Figures du bord

Alphée Jervan

FURNI NOVI PHILOSOPHICI,

Sive

DESCRIPTIO ARTIS DESTILLATORIÆ NOVÆ;

Nec non

Spirituum, Oleorum, Florum, aliorumque Medicamentorum illius beneficio, facilimâ quâdam & peculiari viâ è vegetabilibus, animalibus & mineralibus, conficiendorum & quidem magno cum lucro; agens quoque de illorum usu tam chymico quàm medico, edita & publicata in gratiam veritatis Studiosorum

Per

JOANNEM RUDOLPHUM GLAUBERUM.

AMSTERODAMI,

Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↃ IↃC LI.

3500 fm

PRÆFATIO

AD

Lectorem benevolum.

Vas hactenus fornaces peculiares, viasque destillandi compendiosas, assiduis lucubrationibus speculationibusque inventas paucos ante annos, quibus multa præclara opera, vulgari arti impossibilia, perpetrari possunt; pro me tanquam secreta reservavi, decrevi tandem, perpendens mecum utilitatem, quam præstare potest mortalibus, hanc artem diutius non celare, sed in gratiam proximi publicare, dando perfectam & fundamentalem Spagyris informationem artis hujus noviter inventæ, ne amplius opus habeant in posterum tempus terere, sumptusque expendere in laboribus tædiosis longis, sed viâ faciliori, beneficio mearum fornacum multa præclara operari queant. Dividetur autem hic liber in partes quinque, quarum prima docebit constructionem fornacis alicujus, in quâ incombustibilia destillantur & sublimantur, & quidem talia quæ Retortarum aliorumque vasorum beneficio perfici nequeunt; & quomodo mineralium metallorumque spiritus, flores & olea illius beneficio præparentur, nec-non illorum usum & vires.

In secundâ parte docebitur alia fornax, in quâ combustibilia, utpote vegetabilia, animalia & mineralia

deſtillantur, perfectiſſimeque ſubtiliantur: cujus beneficio mult a medicamina præſtantiſſima ad tollendos graviſſimos & incurabiles alias morbos & affectus præparari poſſunt.

In tertiâ docebitur nova quædam inventio hactenuſque incognita deſtillandi Spiritus ardentes, utpote ex vino, frumento, fructibus, floribus, herbis & radicibus; nec non aquas vegetabilium animaliumque, & quidem in magnâ copiâ, brevi temporis ſpatio, & abſque magnis ſumptibus; ut & coquendi cerviſiam, hydromel, vinum, aliaque, quæ alias conficiuntur in magnis cupreis vel ferreis vaſibus; beneficio vaſorum ligneorum, adminiculo parvi alicujus inſtrumenti cuprei vel ferrei, ponderis 2. vel 3. librarum, viâ nimirum quâdam facili abſque fornacibus. Docet quoque noviter hæc inventa ars varios labores alios chymicos, utpote putrefactiones, digeſtiones, circulationes, extractiones, abſtractiones, cohobationes, fixationes &c. Eſtque hæc inventio admodum neceſſaria utiliſque tyronibus hujus artis, non enim indigent in confectione ſpirituum ardentium, aquarum vegetabilium, extractorum, aliorumque medicamentorum, tot fornacibus, totque cupreis, ferreis, ſtanneis, terreis vitreiſque vaſis, docentur enim hic, quomodo prædicti labores omnes perficiantur ſaltem adminiculo parvi alicujus inſtrumenti cuprei vel ferrei in vaſis ligneis, tam bene nimirum ac per veſicas, aliaque vaſa ampliſſima cuprea: quâ ratione parcitur expenſis &c.

In quartâ parte docebitur alia quædam hactenuſq; incognita fornax, in quâ facilime perpetrantur cuncti labores chymici: utiliſſima ad explorandas mineralium metal-

metallorumque naturas; itemque ad probanda, exâminanda, liquefacienda, capellanda, & separanda metalla, ne quid pereat, viâ nimirum compendiosâ & scilimâ, & quidem magno cum fructu &c.

In quintâ parte docebitur confectio sive præparatio instrumentorum ferreorum, terreorum, vitreorum aliorumque, necessariorum ad prædictas 4. fornaces, docebuntur & alia necessaria utilissimaque manualia.

Et quidem in primâ parte, delineatâ fabricâ primæ fornacis, revelabo etiam quomodo ipsius beneficio conficiantur Spiritus, olea, flores aliaque utilissima medicamina, eorumque vires & usum quantum fieri quidem licet fidelissime & absque fraude. Et quidem non dubito, quin intellecturi, opus hoc approbaturi, indocti autem Zoili contemturi sint. Dicitur enim per Proverbium: Ædificans prope viam publicam, multa audire cogitur, ab obtrectatoribus, *cum primis autem à misellâ plebeculâ &c. Sed opus esset, quod ejusmodi Thrasones aliquid præstantius ederent in lucem antequam aliorum carperent labores.*

Quare nemo intempestivè judicet hoc opus, antequam nimirum perfectè de illo fuerit informatus; tunc enim non dubitabo; quin laudem inde deportaturus sit author.

Et si cui forte fortuito, qui extruxerit hanc fornacem, laboranti vel operanti per illam, non omnia statim ex animi sententiâ succedant; cogitet ille secum, se fortasse in aliquâ parte peccâsse (est enim opus novum & incognitum, in quo facile quis errare potest)

nec propterea murmuret adversus authorem ipsi culpam imputando, quod non satis aperte scripserit, sed suæ adscribat ignorantiæ, authorisque mentem intelligere studeat, exerceatque sese in laboribus, tunc enim non dubitabo de meliori successu, quem omnibus & singulis precor. Amen.

PARS

PARS PRIMA FURNORUM PHILOSOPHICORUM.

De præparatione Primæ Fornacis.

QUOD ad primam fornacem, poterit illa pro lubitu major vel minor exstrui, habitâ ratione quantitatis materiæ destillandæ &c. & quidem vel rotunda vel quadrata; vel è lateribus vel per figulum ex argillâ. Requirit autem diameter spithamæ unius (intrinsecus nimirum) altitudinem quatuor spithamarum; unam nimirum à fundo usque ad cratem, unam quoque à crate ad foramen injiciendis carbonibus destinatum; duas ab hoc usque ad summitatem fistulæ, quæ ad minimum spithamam unam furnum egredi oportet, ne vasa recipientia ob propinquitatem fornacis incalescant. Oportet quoque fistulam habere diametrum parte anteriore, respondentem tertiæ parti diametri intrinseci fornacis; ampliorem quoque paululum parte posteriore quàm anteriore. Craticula talis esto, quod possit eximi pro lubitu & mundificari, obstructa à materiâ destillandâ injectâ: obstruitur enim facile in destillatione salium, colliquescentium cum carbonibus, unde aër denegatur igni, & destillatio per consequens impeditur. Vel imponantur fornaci transversim duo baculi ferrei robusti, cui alii 4. vel 5. minores innitantur, & quidem unus ab altero per distan-

tiam digiti unius lati transversi, exeuntes paululum è fornace, quo obstructi, forcipe comprehensi, commoveri & à materiâ combustâ mundificari; iterumque postea rite in sua loca reponi queant: quare etiam oportet fornacem parte suâ anteriore, sub crate nimirum apertam esse, quo melius cratem tractare possis.

Oportet quoque supernè habere tectum fornacem lapideum vel terreum, foramine præditum in medio, cum aliquâ distinctione, arenâ replendâ, quo operculum impositum rite claudere possit foramen illud, ne spiritus exhalare queant, sed coacti per fistulam egrediantur in recipientes, postquam injeceris materiam destillandam.

De Recipientibus.

VAsa recipientia conficiantur è vitro, vel è terrâ forti, spiritus quæ retinere possit, qualis est Waldburgica, Hassiaca, Frechheimensis, Siburgica &c. Meliora sunt confecta è vitro si modo non deficiunt officinæ, & quidem è vitro forti & firmo; quæ circa juncturas smirite lævigari & adæquari possunt, quo melius conjungantur, & tunc lutatione opus non est, (quomodo autem smirite lævigentur & adæquentur, id docebitur in parte quintâ, de manualibus agente) quia adeò arctè hac ratione conjunguntur, ita ut nullus egredi possit spiritus per juncturas scil. Secus juncturas luto optimo firmare oportet, spiritus exhalare non permittente, quale docebitur in libro

bro de manualibus agente. Formam Recipientum videre licet in delineatione. Quod ad quantitatem eorum ſcito, quod quò majora eo meliora, paucioribus enim tunc opus habes, pluribus verò minoribus. Orificium ſuperius amplius eſto inferiore, ita ut ſemper aliud vas recipiens orificio ſuo inferiori, jungi poſſit ipſi; & quidem orificium inferius habeat diametrum trium digitorum latorum tranſverſorum, vel circiter, habitâ nimirum ratione fornacis, cujus diameter eſt unius ſpithamæ. Major enim fornax majora requirit foramina ut & orificia recipientum, quo igni ſufficiens aëris debitaque adminiſtretur proportio: Vel ſi fornacis diameter plus quàm ſpithamam haberet, oporteret quoque eam habere duas vel tres fiſtulas, (quæ ſimul conſideratæ haberent amplitudinem reſpondentem tertiæ parti amplitudinis fornacis, tanta enim amplitudo tantumque aëris requiritur, ſi ignis libere ſuum officium præſtare debet:) quibus applicanda vaſa recipientia dictæ proportionis, ne ignis ſuffocetur.

Appoſita autem figura conjunctionem recipientum edocebit, nec-non eorum applicationē ad fornacem. Et primum quidem vas recipiens innititur tripodi, vel ſellulæ in medio perforatæ, ut collum primi recipientis tranſire poſſit, cui applicatur ſcutella fiſtulata recipiens deſtillantes ſpiritus: Primo poſtea jungitur ſecundum atque huic tertium & ſic conſequenter (prope nimirum parietem vel ſcalam aliquam) tot nimirum quot

placuerit. Supremum vas recipiens apertum quoque ſicuti cætera omnia, oportet ut relinquatur. Inferiori, uti dictum, annectitur ſcutella fiſtulata, per cujus fiſtulam defluunt ſtillati ſpiritus in aliud quoddam vas vitreum appoſitum; quod repletum aufertur, aliudque ſubſtituitur; quià illud abſque lutatione applicatur, ac proin facile mutari poteſt. Etſi quid aliud ſtillare placet oportet auferre, & mundificare, mundificatamque iterum arctiſſimè applicare ne quid ſpirituum exhalare queat, collo inferioris Recipientis (nimirum ſcutellam fiſtulatam.) Etſi ſcutella fiſtulata adeò arcte jungi nequit ita ſcil. ne quid exhalare poſſit, infunde cochleare unum aquæ; adſtringit enim, nec nocet ſpiritibus, quia in rectificatione iterum ſeparatur.

De vaſis ſublimatoriis.

HÆc non opus eſt conficere è vitro, vel è terrâ tali, quæ ſpiritus retinere poteſt, cujus ſupra mentio facta; ſi modò conficiantur è communi terrâ figulinâ bonâ, beneque intrinſecè devitreenter, talis nimirum formæ & figuræ qualis apparet ex appoſitâ declinatione.

Eligenda tamen terra bona ignem tolerare potens, inferiores enim ollæ ab igne incaleſcunt, ita ut frangerentur ab eo, ſi non eſſent confectæ è terrâ bonâ.

Nunc etiam ipſum deſtillandi modum in genere declarabo; ut & in deſtillatione quavis manualia neceſſaria.

Modus

Modus deſtillandi.

PRimo injiciantur aliquot carbones vivi, qui poſtea cooperiantur alijs, uſque ferè ad repletionem fornacis, ad fiſtulam ferè uſque; quo facto operculum ſuperius maneat remotum à ſuo foramine(quo calor & fumus illuc tranſeant, non autem per fiſtulam & vaſa recipientia, quæ inde incaleſcunt, quod impedimento futurum deſtillationi) uſque dum ignis ſufficienter accenſus, furnuſque probè incaluerit. Deinceps tantum injice materiæ præparatæ deſtillandæ cum cochleari ferreo, quantum ſufficit ad cooperiendos carbones; quo facto arctiſſimè obtura fornacem, operculum ſuperius foramini ſuo, ſive arenæ quæ in diſtinctione illâ, quâ foramen ſuperius præditum, firmiter imprimendo. Injecturus autem per foramen medium, oportet ut factâ injectione, ſtatim admoveat obturamentum lapideum ſuo foramini, quod quoque oportet, claudere illud ſive obturare quàm exactiſſimè, hâc enim ratione omnia coguntur inſtar nebulæ craſſæ erumpere per fiſtulam in Recipientes, ibique in ſpiritum ſive oleum acidum condenſare ſeſe, indeque deſtillare in ſcutellam applicatam, per cujus fiſtulam porrò ſtillant in excipulum alterum vitreum appoſitum. Conflagratis carbonibus, ſpiritibuſque omnibus egreſſis, oportet ut plures carbones injiciantur, pluraque materialia, donec ſufficientem nactus ſis quantitatem ſpirituum. Hâc deſtil-

destillandi ratione poteris pro lubitu cessare iterumque inchoare, nihil enim periculi inde.

Purgaturus autem fornacem nihil aliud facere habet, quàm extrahere baculos ferreos, transversis incumbentibus, ut caput mortuum, decidat, quod postea batillo auferendum; quo facto oportet ut baculi exempti transversis, iterum superimponantur, atque his carbones vivi, quibus alii usque ad sufficientiam, tandemque his accensis materialia.

Purgaturus autem recipientes, inchoaturus alterius rei destillationem, non opus habet amovere illos, sed solummodo infundere aquam puram, per superiorem scil. Recipientem, cujus descensu purificantur illi.

Atque hâc ratione non modo è vegetabilibus, volatilibus & mineralibus (incombustibilibus) sed etiam è metallis fixis & lapidibus mirabiliter & facile, copiosè eliciuntur spiritus, olea & flores, quod fieri alias nequit vulgari scil. arte destillatoriâ.

In hoc autem furno ejusmodi solummodò destillantur materiæ, quæ destillatæ humiditatem dant incombustibilem, utpote sal commune, vitriolum, alumen, nec-non alia mineralia & metalla, quæ tamen singula peculiaria sua, tractata requirunt manualia.

Fornace autem hâc non inserviente cuivis materiæ, quia vivis carbonibus species destillandæ superinijciuntur, utpote combustibilibus; decrevi in secundâ parte dare & aliam, minorem scil.

scil. atque huic dissimilem, convenientem autem omnibus combustibilibus, volatilibus spiritibus præditis destillandis, utpote tartaro, cornu cervi, succino, sali armoniaco, urinæ &c. Conficiuntur quoque hujus beneficio spiritus subtilissimi volatiles sulphurei salium & mineralium, ut pote salis communis vitrioli, aluminis, nitri, antimonii, omniumque cæterorum mineralium & metallorum, qui aliàs sine hâc fornace vix confici possunt, quibus mirabilia præstantur in medicinâ & alchymiâ, uti in 2. parte fusius demonstrabitur.

Nunc etiam aliorum Recipientum dabo conficiendi rationem, pertinentium ad primam fornacem, & quidem nonnullis laboribus aptiorum; quemadmodum priores alijs aptiores; quare operaturus hos vel illos pro lubitu eligere potest.

Quemadmodum igitur priores juxta murum vel scalam sursum erecti, quo fit quod spiritus sursum ex uno in alium tamdiu ascendat, donec refrigeratus & condensatus iterum destillet deorsum in scutellam annexam; ita hi rectâ (modo contrario) ceu collaterales statuuntur & collocantur in labro frigidâ repleto ad condensandos spiritus; quâ ratione tot non opus est Recipientibus. Aliter quoque his formatos esse oportet, nec sicuti priores supernè & infernè apertos, sed superne solummodò, instar ollarum coctionibus inservientium: hoc autem observandum, quod quo profundiores & ampliores, eò meliores.

Oportet quoque illos copulari beneficio fistularum

larum terrearum, ita quidem distinctarum, ut spiritus prohibeantur adhuc calidi (nondum refrigerati) ex uno in alterum emigrare; sed per medium separationis fistularum coacti descendant ad fundum cujusvis recipientis, indeque iterum ascendant per aliam fistulam in alium recipientem, instar prioris duplici operculo præditum, ubi, denuo descendentes ad fundum frigidum, refrigerati & condensati permanent. Sufficiunt autem horum numero 3. vel 4. cum illorum requirantur 13. vel 15. habitâ ratione magnitudinis illorum.

Figuram horum Recipientum, nec non copulationem eorundem, ex appositâ delineatione petere licet. Sufficit autem plerumque unus pauca destillaturo, cumprimis si materia non est pretiosa; & tunc quidem una saltem fistula curva terrea copulatur brachio uno cum fistulâ furnum egrediente, altero verò cum Recipiente, ita quidem ut deorsum Recipientem ingrediatur ad medietatem scil. usque; atque tunc non opus est claudere orificium Recipientis; non enim multũ refert si quid evaporet, si nimirum materia destillanda non pretiosa est. Atque hâc ratione & quidem singulis horis novi spiritus, novique flores confici possunt, beneficio unius fornacis, uniusque recipientis, hâc tamen cum cautelâ, quod pro quâvis novâ destillatione, aquâ sit lavandus Recipiens, antequam iterum applicetur fistulæ; quo denuo applicato, poteris postea tuas in fornacem proijcere species, atque id tamdiu, donec

nec sufficientem nactus sis quantitatem spiritus.

Atque hæc destillandi ratio cum primis inservit exploratoribus multorum & variorum mineralium naturarum & proprietatum, experiendi gratiâ, quales in igne concedant spiritus & flores. Nimis enim tædiosum est, in quâvis novâ destillatione novam & peculiarem applicare recipientem; multi quoque chymicæ artis studiosi studium suum deserturi, valentes per Retortas non nisi unam facere Probam quotidie: Expensæ quoque nec-non temporis jactura multos, non mirum, si deterrerent.

Hic autem Retortarum copiâ non opus, nec illarum lutatione, ut nec recipientum, similiumque rerum superfluarum: Nec etiam hîc requiritur assidua operatoris præsentia, igniſque regiminis observatio, cujus neglectione jactura retortarum & recipientum alias metuenda, & per consequens laboris frustratio. Hæc & alia tædiosa hîc non curantur, quia saltem sufficit proiicere materiam supra carbones, & operire fornacem, & tunc evestigiò egrediuntur spiritus & flores ejusdem speciei cum suo minerali. Quorum si sufficientem copiam nactus, extrahere oportet baculos ferreos, quibus carbones incumbunt, ut decidant auferendi; & dum adhuc calet furnus, reponere baculos nimirum ferreos, atque ijsdem superimponere carbones (alios) qui tunc ultro à calore fornacis accenduntur: interea quoque auferre oportet Recipientem, ipsumque mun-

mundificare & reponere, vel si mavis, applicare alium mundum, pro novâ scil. alterius materiei destillatione.

Atque hâc ratione & quidem spatio unius horæ varia destillari & sublimari possunt in parvâ scil. quantitate. Volens autem destillare vel sublimare in majori copiâ, capiat 3. vel 4. ollas, quo spiritus ex unâ in alteram migrare valeant, ne quid pereat ipsorum. Non opus est hîc (uti dictum) assiduâ præsentiâ, licet enim abire, cessare & repetere pro lubitu, quia opus caret periculo fractionis Retortarum & Recipientum.

Sciens igitur usum hujus fornacis, multa brevi quidem temporis spatio præstare potest, nec facit jacturam temporis & sumptuum. Unius enim horæ spatio plus ejus beneficio efficere quis potest, quàm viâ vulgari 24. horarum spatio: quâ etiam ratione egregiè parcitur carbonibus, quia 10 libræ carbonum hâc ratione plus valent quàm aliàs 100. E. gr. Expertus unius horæ spatio stillare facere potest lib. 1. spiritus salis, cum 3. 4. 5. libris carbonum; cum alias requirantur 50. 60. libræ, & ad minimum 20. vel 30. horarum spatium, viâ illâ vulgari retortarum beneficio; id quod admodum tædiosum.

Possunt etiam hâc ratione mineralium metallorumque confici flores, in magnâ nimirum copiâ & quidem facilimè brevissimo temporis spatio, sine magnis sumptibus, ita ut unius horæ spatio cum 3. vel 4. lib. carbonum, una libra florum Antimonii confici possit: estque hoc non exiguum

exiguum adminiculum medico & chymico.

Durat autem hæc fornacula semel exttucta multos annos, & fracta facile reparatur.

Atque hâc ratione saltem opus materialium destillandorum, retortis non indigemus, nec recipientes in sunt periculo, quâ egregiè parcitur sumptibus. Præter prædictas vias habeo adhuc aliam & quidem compendiosiorem, destillandi nimirum & sublimandi, facilioremque, quâ exiguo temporis spatio incredibilis copia spirituum salium, & florum mineralium & metallorum confici potest; quam ad aliud tempus, quia sufficit hæc nunc dixisse, reservabo. Non autem dubito, diligentes spagyros vestigia mea secuturos, inventurosque incognita mihimet ipsi, *facilius* enim *est inventa augere, quam ignota invenire.*

Constructione igitur fornacis clarissime juxta meam quidem opinionem declaratâ, sequetur etiam nunc ejus, ipsaque destillandi & sublimandi ratio.

Etsi forte fortuito, & quidem contra spem, aliquid obscuritatis occurreret, processus tamen processum explicabit; sequeturque effectus in praxi diligentem operantem, naturæque scrutatorem, & quidem sine omni dubio, eo modo quem præscripsi. Id quod ex animo precor piis spagyris nec non benedictionem Dei ter Opt. Max. Amen.

Quomodo Spiritus Salis deſtillandus.

QUod primo aggrediar ſalis ſpiritum, antequam nimirum agam de vegetabilium ſpiritibus, ratio hæc eſt, quod ſit ferè præcipuus, qui hâc fornace confici poteſt : pauci enim viribus & virtutibus ipſum excellunt, quare etiam ipſi hunc exhibui honorem. Nec eſt ullus ſpirituum acidorum, qui hactenus plus negotii faceſſerit chymicis, quàm hic, quare etiam omnium pretioſiſſimus fuit. &c. Nonnulli enim ſalem miſcuere cum argillâ figulinâ ; & mixturam in globulos redegêre, quos per Retortam ignis violentiâ pepulêre ſpiritus conſequendi gratia : alii miſcuêre ſcalam cum bolo, alii cum farinâ tegularum, alii cum alumine uſto. &c.

Alii uſuri viâ compendioſiore, fluere fecêre ſalem in retortâ tubulatâ nimirum ſuperiore & poſteriore parte ; per cujus tubulum ſuperiorem aquam frigidam inſtillârunt, ad elevandos ſpiritus ſalis ponderoſos, per poſteriorem verò folle ſufflârunt, ad pellendos ſpiritus in retortam : atque hic modus non ſpernendus ſimpliciter, hoc tamen incommodi habet, quod temporis progreſſu frangantur retortæ, quod ſalem amplius retinere nequeant, & deſtillatio intercipiatur. Alii tentârunt id præſtare retortis ferreis, ſed hâc ratione ſpiritus mortificati fuere, quia facile aggrediuntur ferrum ; unde loco ſpiritus phlegma accepere. Atque tales alioſque tædioſos hactenus deſtil-

destillandi modos invenêre; & per optimum quidem vix libram unam stillare potuerunt 24. vel 30. horarum spatio cum libris 50. 60. 100. carbonum, ratio fuit, quod parum in ipso sit tentatum, paucique ipsum justum & bonum habuerint, unde etiã ipsius vires incognitæ manserẽt.

Atque hoc propterea indicare volui, ut appareat quàm pretiosus hic spiritus fuerit hactenus, & quàm facile nunc & copiosè viâ himirum mea noviter inventa, paucis sumptibus confici possit.

Dictum supra, quod materialia hâc destillandi ratione immediate projiciantur in ignem, quod tamen cum discretione accipiendum: Etsi enim nonnullæ species absque ulla aliqua præparatione immediate projiciantur in ignem; non tamen sequitur quod omnes & singulæ; oportet enim in quibusdam discretione uti, utpote in salis destillatione. Si enim sal immediatè projiceretur in ignem: non modo nullos daturus esset spiritus, sed tamdiu supra carbones saltaturus, donec ad infimam fornacis partem descensum inveniret: Huic autem diversimodè præveniri potest; & primo quidem hac ratione: Solve salem in aquâ commini, postea extingue carbones vivos in hâc aquâ, ut imprægnentur sale, quos postea in fornace accensos conflagari permitte: oportet autem primo injicere alios vivos (ardentes) carbones, super quos sale imprægnatos, & quidem ad repletionem usque fornacis ut suprà dictum: & dum conflagrantur carbones vi ignis sal resolvitur in spiritum.

Obſervandum autem, quod hâc ratione deſtillaturus ſalis ſpiritum opus habeat eligere ſibi recipientes vitreos, quià terreos ob nimiam ſubtilitatem calidus penetrat: Eſtque hic ſapore gratiſſimus ſpiritus. In defectu verò vitreorum dabo & alium modum, ubi terreis uti licet.

Admiſce ſali aliquid vitrioli vel aluminis, conterendo optimè in mortario (quo enim melius conteruntur, eo plures dant ſpiritus.) Poſtea projice mixturam in ignem cum cochleari ferreo, tantum nimirum, quantum ſufficit ad cooperiendos carbones, & tunc magno impetu egredientur ſpiritus in Recipientes, ubi coagulati deſtillant in ſcutellam, indeque in alterum excipulum. Et ſi rite noveris operari, ſpiritus inſtar aquæ continuo effluent per fiſtulam craſſitie calami; poteriſque facile quavis horâ conficere lib. 1. Spiritus. Ratio autem, quod hâc rarione plures accipias ſpiritus quàm illâ, hæc eſt, quod admixtum vitriolum & alumen fluere faciat ſubito ſalem, quâ ratione prohibetur ejus deſcenſus per carbones ad inferiorem fornacis partem, ſed carbonibus adhæreſcens ſal ferè omnis convertitur in ſpiritus. Caput mortuum ſubrubrum facile cum cineribus deſcendit per craticulam, quod amplius deſtillari nequit, dat autem ſalem album fixum excoctione, inſerviens pro fluxu metallico: quod in aquâ calidâ ſolutum inſervit quoque pro cliſtere contra vermes, quos necat, purgatque inteſtina.

Objicies hunc hac ratione confectum ſpiritum

tum non esse sincerum salis spiritum, propter admixtionem spiritus vitriolis & aluminis, sed mixtum & compositum. Resp. Non potest hac ratione ullus stillare spiritus vitrioli & aluminis, id quod sæpe probavi, projiciens vitriolum, vel alumen in fornacem, ubi nullos omnino accepi spiritus; ratio hujus est quod hi spiritus, salis spiritu sint longe graviores, nec tantam altitudinem, utpote trium spithamarum ascendere valeant, sed comburantur, unde nisi phlegma stillare potest nihil. Quare hac ratione confectus non mixtus sed purus putus spiritus salis est, ejusdem saporis & virtutis, cum illius, qui per se fit; quia in hac fornace aluminis & vitrioli spiritus confici nequit, nisi fistula egrediatur fornacem prope craticulam, ut ex delineatione, fornacis videre est, aliàs enim fieri nequit; Propterea hi spiritus melius rectiusque docentur in secundâ parte. Et posito quod aliquid unà cum spiritu salis egrediatur, quod tamen impossibile, quid quæso inde damni, tam in solutione metallorum quàm medicinâ? Quare hâc ratione suspicione caret paratus spiritus. Attamen incredulo satisfaciam, daboque illi alium modum, sine aluminis vel vitrioli additione, stillandi spiritum sed in secundâ parte hujus libri, ubi docebo fornacem, per quam conficiuntur spiritus nitri, aqua fortis, aliorumque combustibilium, utpote olea vegetabilium, & pinguedines animalium, aliaque quæ per hanc confici nequeunt: atque hac ratione satisfaciam illis, quibus prædictus modus non arridet.

Deficientibus autem sæpè vitreis Recipientibus, cogimur usurpare terreos, qui verò salis spiritum prædictis modis confectum retinere nequeunt: in quo casu possem quidem revelare exiguum aliquod manuale, cujus beneficio prædictus spiritus in magna etiam copiâ, in terreis recipientibus capi potest: Sed certis de causis hîc reticebitur, & reservabitur usque ad editionem secundæ partis. Sufficiat igitur meminisse hujus rei, quare omissa illa aggrediar demonstrare hujus spiritus vires & usum tam in alchymia, quàm medicina, & aliis mechanicis,

De usu Spiritus Salis.

OPeræ pretium est non reticere vires & virtutes egregii hujus spiritus; quas alii authores luculenter descripsêre, ego hic præteribo quidem, & remittam lectorem ad illorum authorum scripta; paucasque saltem attingam, de quibus alii nihil.

A plerisque *salis spiritus* egregia statuitur medicina, tuto tam intrinsecè quàm extrinsecè usurpanda: Extinguit sitim præter naturalem in morbis calidis, abstergit & consumit phlegmaticos humores in stomacho, excitat appetitum, prodest hydropicis, calculosis & podagricis &c. Cæterum est menstruum solvens metalla, cætera cuncta excellens. Solvit enim omnia metalla & minerala, Lunâ exceptâ, feréque cunctos lapides (ritè nimirum rectificatus) redigitque in egregia medi-

medicamina. Multa quoque egregia præstat in Mechanicis.

Nec spernendus ejus usus in culinâ, ejus enim beneficio parâtur multi cibi gratissimi, pro ægris æquè ac pro sanis, & quidem meliores, quàm cum aceto aliisque acidis : & plus præstat in exiguâ, quàm acetum in magnâ quantitate. Cum primis autem servit regionibus aceto carentibus. Usurpatur quoque loco agrestæ, succi limonum. Nam hâc ratione paratus viliori pretio venit quàm acetum & limonum succus. Nec instar succorum expressorum corruptibilis, sed potius melioratur vetustus. Saccharo mixtus est egregium condimentum carnis assæ. Præservat etiam varii generis fructus per annos multos. Intumescere quoque facit passulas majores & uvas siccatas, ita ut pristinam suam magnitudinem iterum acquirant, oportet autem aliquid admiscere aquę, alias enim nimiam contrahunt aciditatem passulæ, reficientes stomachum languentem in multis morbis, inservientes quoque variorum ciborum, è carnibus vel piscibus conficiendorum præparationi. Cum primis autem inservit hic spiritus acidis cibis delectantibus, quæcunque enim præparantur cum ipso, utpote pulli, columbæ, caro vitulina &c. gratioris saporis sunt iis, qui cum aceto parantur. Caro bubula macerata cum ipso, intra paucos dies adeò tenera redditur, ac si diu cum aceto fuisset macerata. Talia & alia plura præstare potest salis spiritus.

Destillatio oleorum vegetabilium quâ major quantitas acquiritur, quam vulgari, illâ per vesicam.

QUotquot fuêre hactenus destillatores meliorem nescivêre viam olea destillare aromatum, lignorum & seminum, quam per vesicam, cum magnâ aquæ quantitate : Et quamvis per retortam quoque fieri possint, magna tamen tunc requiritur diligentia, aliàs empyreuma contrahunt; quarè modus ille per vesicam semper melior æstimatus, qui quidem non contemnendus si destillaveris vegetabilia vilioris pretii & oleaginosa; sed non item in destillatione aromatum, aliorumque cariorum, utpotè sunt cinamomum, macer, crocus &c. quæ sine jacturâ per vesicam destillari nequeunt, quià tunc requiritur magna aquæ quantitas, & per consequens magna & ampla vasa, quibus aliquid adhæresçit, quarè dimidiæ ferè partis patimur jacturam, quæ non adeò magni facienda in vegetabilibus oleaginosis, utpote semine anisi, fœniculi, carvi &c. jactura autem facta in destillatione vegetabilium siccorum & cariorum, utpote Cinnamomi, Ligni Rhodii, Cassiæ ligneæ, satis evidens est nec per consequens vilipendenda. Fieri quoque nequit, quod illâ viâ omnia exstillare possint, bona enim quantitas coctione tenacitatem acquirit gummosam, quæ cum aquâ ascendere non potest.

Quod

Quod ut in posterum evitetur, dabo modum destillare olea aromatum aliorumque pretiosorum, qui fit cum spiritu salis, quo omne oleum absque omni jacturâ elicitur; ut sequitur nimirum. Reple cucurbitam aliquam cinamomo, vel alio quovis ligno, sive semine, cui affunde tantum spiritus salis, quantum sufficit ad cooperiendum lignum illud, quam colloca cum suo alembico in arenâ, & administra ignem gradatim, ut bulliat spiritus salis, & cum pauco phlegmate omne extillabit oleum, penetrat enim spiritus salis suâ acrimoniâ lignum liberatque oleum, ut stillare possit melius sive rectius. Atque hâc ratione oleum non perditur, magnæ illius aquæ quantitatis additione in vasis illis magnis & amplis, sed in minoribus vasis vitreis, pauci humoris additione elicitur. Factâ destillatione effunditur spiritus per inclinationem à ligno, iterum utilis ijsdem laboribus. Et si aliquam à ligno contraxerit impuritatem, poterit rectificari: Residuum verò spiritum in ligno recuperare licet, si lignum illud projicitur in fornacem prædictam supra carbones vivos, quo fit, quod clarus & limpidus iterum egrediatur: quâ ratione nec jacturam patimur spiritus salis. Atque hâc viâ beneficio salis spiritus eliciuntur olea vegetabilium cariorum cum fructu, quod per vesicam fieri nequit.

Conficiuntur etiam ejus beneficio olea gummatum & resinarum clara & perspicua.

Oleum Maſtichis & thuris pellucidum.

℞. THuris vel maſtichis ſubtiliter contritæ, quantum ſufficit ad replendam tertiam cornutæ (quæ loricata ſit oportet) partem, cui affunde ſufficientem ſpiritus ſalis quantitatem, cavendo ne nimium repleatur, retorta, aliàs ſpiritus ebulliens effluit retortâ; quam colloca in arena & gradatim adminiſtra ignem, & egredietur primò aliquid phlegmatis, quod ſequitur oleum clarum & pellucidum unà cum ſalis ſpiritu, ſeorſim capiendum; poſtea ſequitur flavum quoddam etiam, peculariter capiendum: tandem ſequitur rubrum, quod etſi non ſpernendum, primo tamen illi minime ſimile; inſerviens uſibus extrinſecis, miſcibile unguentis & emplaſtris, egregiè enim conſolidat, ac proin prodeſt recentibus & veteribus vulneribus. Primum cum primis rectificatum, ſuâ ſubtilitate, & penetrandi facultate vini ſpiritui non diſſimile, commodéque tam intrinſecè quàm extrinſecè uſurpatur, in frigidis nimirum affectibus, cum primis autem in nervorum rigore, à frigidis humoribus profecto, quem contractura ſequitur. Oportet autem tunc primò fricare membrum contractum linteo calido, ut probè incaleſcat, cui poſtea affricandum hoc oleum manu calidâ: præſtat enim mira in ejuſmodi nervorum affectibus.

Eâdem ratione ex omnibus gummatibus conficiuntur olea. Rectificantur etiam ſalis ſpiritu, olea

olea rubra, tenacia & fœtentia, tartari, cornu cervi, succini &c. viâ vulgari destillata per retortam, ita ut pellucida reddantur, & Empyreumate ex destillatione contractâ priventur.

Est autem causa nigredinis & fœtoris ejusmodi oleorum sal quoddam volatile, reperibile tam in vegetabilibus quàm animalibus quibusdam; quod facilè miscetur oleo, quod si accidit, fuscum redditur oleum. Est enim unumquodque sal volatile, sive sit urinæ, tartari, succini, cornu cervini, aliorumque vegetabilium & animalium, hujus conditioni & naturæ, quod exaltare possit & alterare colores rerum sulphurearum, & quidem vel in pejus vel in melius; plerunque verò olea reddit crassa, nigra & fœtentia, ut videre est in succino, cornu cervi & tartaro. Cognitâ igitur causa nigredinis & fœtoris horum oleorum, facilè præcavere possumus eadem in destillatione, & contracta iterum corrigere, beneficio nimirum spiritus salis. Omne enim sal volatile contrariatur cuivis spiritui acido, & vice versa spiritus acidus omnis contrariatur cuivis sali volatili, naturâ salis tartari prædito: Præcipitantur enim æque bene metalla soluta acidis nimirum spiritibus cum spiritu urinæ, vel alterius cujusdam salis volatilis ac cum liquore salis tartari. Quod fusius declarabitur in parte secundâ.

Mortificantibus igitur spiritibus acidis, utpotè salis, vitrioli, aluminis, aceti &c. sali volatile, ita & volatilitate privetur & fixetur, quâ ratione debilitatum, deserit socium, nigredine à se infectū; necesse

necesse est ut eâdem etiam ratione procedatur cum fœtentibus hisce oleis, ut sequitur nimirum.

℞. Oleum aliquod fœtidum, tartari, succini &c. quo quartam solummodò partem cornutæ vitreæ reple, atque huic guttatim affunde salis spiritum, & effervescet, uti fieri solet, quando affunditur aqua fortis sali tartari; quare paulatim & guttatim spiritus affundendus propter periculum fractionis vitri. Signum autem mortificationis salis volatilis est, quando strepere finit, quare nihil amplius affundendum; & cornuta in arenâ collocanda, igniſque gradatim accendendus, uti fieri solet in rectificatione facilè elevabilium: & primo quidem egredietur aqua quædam fœtens, quod sequetur oleum pellucidum, clarum & odorum, atque hoc flavum quoddam clarum etiam & bene redolens, sed non ita ut primum, quare seorsim singula capienda mutatis recipientibus. Sunt autem hæc olea gratiora usurpata, fœtidis illis officinarum. Retinent autem ejusmodi olea suam claritatem & pulchritudinem, semel ablatâ causâ fœtoris & rubedinis per salis spiritum. In fundo retortæ remanet sal volatile nigrum cum salis spiritu, à quo sublimari potest inodorum, & sapore sal referens armoniacum. Spiritus quoque salis aciditate privatur, & coagulatur per sal volatile, estque instar tartari vitriolati, suis quoque usibus destinatus, ut dicetur in secundâ parte de spiritu urinæ.

Eâdem etiam ratione rectificantur cætera olea

olea, quæ temporis diuturnitate lentorem contraxêre, utpote sunt oleum cinamomi, macis, cariophyllorum &c. cum salis spiritu si rectificantur per retortam, tunc enim eandem & claritatem & bonitatem cum noviter destillatis iterum acquirunt.

Meminisse hîc oportet erroris alicujus medicorum, non Galenicorum ignorantium, sed Spagyrorum, commissi in præparationibus quorundam medicamentorum chymicorum. Multi enim sibi persuaserunt, oleum tartari, cornu cervi &c. fœtore privatum, esse medicinâ radicaliter tollens quasvis obstructiones; id quod cum grano salis capiendum. Nonnulli enim ejusmodi olea rectificârunt per vitriolum calcinatum, & aliquatenus eâ ratione privârunt suo empyreumate, sed & cum empyreumate suis viribus: quod alii animadvertentes, perhibuêre ejusmodi fœtorem non esse auferendum, quod simul auferatur virtus illorum oleorum, ac si virtus consisteret in fœtore; id quod maximus error, quia fœtor inimicus est cordi & cerebro, in quo nihil boni. Sed hoc conceditur, ablaturos fœtorem illorum oleorum, mortificare quoque vires ipsorum. Sed ais, quomodo igitur procedendum in ablatione fœtoris absque virium jactura? Utrum per spiritum salis rectificanda? ut modò docuisti. ℞. Minimè; etsi enim dixi, quod clarificentur olea cum salis spiritu, non tamen sequitur, quod velim ejusmodi clarificationem esse ipsorum emendationem: estque saltem hæc clarificationis via, quâ gra-

gratiora redduntur ; non ſpernendo, meliore incognitâ. Quomodò autem à fœtore, & nigredine rectificanda abſque virium jacturâ, & nobiliora reddenda, non huc pertinet, quia per hanc fornacem fieri nequit; remittam igitur lectorem ad partem ſecundam, ubi docebitur, quomodo ejuſmodi ſpiritus abſque virium jactura rectificandi, qui ita parati pro Quartâ totius medicinæ Columnâ haberi poterunt. Atque hæc ſaltem informationis gratiâ indicâſſe volui, non offenſionis gratiâ, motus charitate proximi.

Quinta eſſentia omnium vegetabilium.

AFfunde aromatibus, ſeminibus, lignis, radicibus, floribus &c. ſpiritum vini optimè rectificatum, colloca in digeſtione ad extrahendum, donec omnis eſſentia vini ſpiritu ſit extracta : atque huic ſpiritui vini imprægnato affunde optimum ſpiritum ſalis, mixta colloca in B. ad digerendum, uſque dum ſeparetur oleum ſupernè innatans à vini ſpiritu, tritorio ſeparandum. Vel avocetur vini ſpiritus in B. & aſcendet oleum clarum : ſi enim non abſtrahitur vini ſpiritus, tunc oleum illud ſanguinis inſtar rubrum eſt; Eſtque vera Quinta eſſentia vegetabilis illius, à quo vini ſpiritu fuit extracta.

Quinta essentia omnium metallorum & mineralium.

SOlve quodvis metallum spiritu salis fortissimo (solâ Lunâ exceptâ, quæ aquâ forti solvenda) & in B. abstrahe phlegma: remanentiæ optimè rectificatum affunde vini spiritum; colloca ad digerendum, usque dum supernè elevetur oleum sanguinis instar rubrum, quod tinctura est & Quinta Essentia illius metalli, thesaurus in medicinâ pretiosissimus.

Oleum dulce & rubrum metallorum & mineralium.

SOlve metallum vel minerale in spiritu salis, solve quoque æquale pondus salis vini essentificati; misce solutiones, & destilla per retortam ignis gradu primum lento, postea fortiori, & egredietur oleum suave & sanguinis instar rubrum cum salis spiritu: & colorabitur interdum collum Retortæ & Recipientis instar caudæ pavonis diversis coloribus, & quandoque colore aureo.

Et quia nulla differentia, volui omnia metalla & mineralia sub uno aliquo generali processu comprehendere. Facturus Lunæ Essentiam, capiat nitri spiritum & in omnibus procedat, ut modò dictum de cæteris metallis. Quod ad usum harum essentiarum, non opus est multa de eo di-

eo dicere. scienti enim præparationem, usus quoque earum revelabitur. Olea corrosiva metallorum & mineralium. Cum hæc uno aliquo processu describi nequeant, operæ pretium est singulorum dare proprium, ut sequitur.

Oleum sive Liquor Auri.

SOlve solis calcem salis spiritu (fortissimo, quia aliàs aurum solvi nequit per ipsum) in defectu autem ejusmodi spiritus fortissimi, admisce parum salis petræ purissimi; sed illud oleum est melius, quod solummodo conficitur per salis spiritum. Auro soluto, abstrahe medietatem solutionis, & remanebit oleum corrosivum, cui affunde succum Limonum expressum, & virideſcet solutio, feceſque pauculæ præcipitabuntur ad fundum, reducibiles in fluxu. Quo facto colloca hunc liquorem viridem in B. & abstrahe phlegma; remanentiam exime & super tabulâ, colloca in loco frigido & humido, & resolvetur in oleum rubrum: quod tutò, absque periculo intro assumi potest, curat mercurio perditos. Cumprimis autem commendatur in veteribus ulceribus oris, linguæ & gutturis profectis à morbo gallico, leprâ, scorbuto &c. ubi aliorum olea non usque adeò tuto usurpari possunt. Non datur melior medicinâ in exulceratione & tumore glandularum, in ulceribus linguæ & gingivarum, quæ citius mundificet & consolidet: nec tamen oportet omittere necessaria purgantia & sudorifera,

fera, propter recidivam metuendam, non ablatâ causâ.

Nec aliquid periculi inde, si administratur sive extrinsecè, sive intrinsecè, ut in aliorum medicamentorum & gargarismorum usu consueto; potest enim quotidie & quidem sine omni periculo, ad minimum tribus vicibus usurpari, cum maximâ admiratione celeris operationis.

Oleum Martis.

SOlve laminas Martis tenuissimas spiritu salis rectificato, accipies solutionem viridem & dulcem, sulphur fœtidum redolentem; quam filtra ad separandam luteam illam & fœculentam remanentiam: Postea in cucurbitâ vitreâ in arenâ abstrahe omnem humiditatem, igne nimirum lento, insipidam instar aquæ pluvialis, quia omnem acrimoniam Mars attraxit siccitate suâ. In fundo autem remanebit massa quædam sanguinis instar rubra, ignis more urens linguam: tollens omnem carnem superfluam humidam vulnerum, absque omni nimirum periculo; præservanda ab aëre in vitro clauso, ne resolvatur in oleum, quod lutei coloris. Desiderans verò oleum aëri exponere poterit super tabulâ in cellâ humidâ, & infra diem resolvetur in oleum coloris medii inter luteum & rubrum; egregium arcanum in omnibus exedentibus ulceribus, fistulis, cancro &c. consolidans & mundificans incomparabile. Non absque fructu miscetur quoque cum

aqua communi, ad lavanda ulcera crurum humida, fœtentia, tumores producentia, calidè instar balnei applicandum, exsiccat enim & sanat subito; si simul nimirum etiam administrentur purgantia. Curat quoque quamvis scabiem. Massa illa rubra (nondum resoluta) imposita oleo arenæ sive silicum (de quo in secundâ parte) crescere facit, arborem unius vel alterius horæ spatio, radice, trunco & ramusculis præditam: quæ exempta & capellâ probata dat aurum bonum, quod arbor illa è terrâ i. e. silicibus extraxit. Poteris, si vis, rem altiori intellectus acumine perpendere.

Oleum Veneris.

NOn facilè aggreditur Venerem salis spiritus, nisi prius redigatur in calcem, hâc nimirum ratione. ℞. Laminas cupri ignitas, in crucibulo cooperto candefactas nimirum, easque exstinguito in aquâ frigidâ, & fatiscent in squamas rubras: posteà remanentiam laminarum iterum ut antea candefac, & ignitas sive candentes in aquâ frigidâ exstingue; atque repete hoc toties donec calcis sufficientem nactus sis copiam; quam siccatam & pulverisatam extrahe salis spiritu rectificato in arenâ, usque dum salis spiritus sufficienter coloratus tincturâ viridi, quàm decantare oportet & filtrare, & ab eâ abstrahere superfluam humiditatem, ut remaneat oleum viride spissum, quod egre-

egregium remedium ulcerum, venereorum inprimis; extrinsecè usurpatum.

Oleum Iovis & Saturni.

NEc hæc duo metalla facilè solvuntur salis spiritu, limata tamen solvuntur salis spiritu, optimè nimirum rectificato. Sed operatio melius succedit cum floribus horum metallorum (quorum præparatio posteà docebitur.) Accipe igitur eos, quibus in cucurbitâ affunde salis spiritum, & statim aggredietur illos spiritus in primis in calido collocatos; solutionem flavam filtra, & abstrahe humiditatem ad remanentiam olei flavi ponderosi; ulceribus putridis destinatum.

Oleum Mercurii.

NEc hic facile salis solvitur spiritu: sublimatus autem à vitriolo & sale facilè solvitur. Solutus dat oleum admodum corrosivum, cum discretione usurpandum, quare non nisi in defectu aliorum administrandum. Vidi enim fœminam hoc oleo, cancro mamillarum applicato à chirurgo quodam subitò interfectam. Non autem est contemnendum hoc oleum in ulceribus exedentibus, serpigine &c. quæ mortificantur illo.

Oleum Antimonii.

ANtimonium crudum ignem nondum expertum difficulter salis solvitur spiritu; ut & re-

gulus ejus; pulverisatum verò (regulum) subtilissimè facilius aggreditur, si modò sufficienter rectificatus.

Vitrum facilius, omnium autem facilimè solvuntur flores, confecti secundùm præscriptionem nostram paulò post traditam. Nec est butyrum antimonii aliud (confectum è Mercurio sublimato & antimonio) nisi regulus antimonii salis spiritu solutus: mixtus enim Mercurius sublimatus cum antimonio percipiens ignis calorem, deseritur à spiritibus corrosivis, sese associantibus antimonio, unde proficiscitur oleum illud spissum: quod dum fit jungitur antimonii sulphur Mercurio vivo, & dat cinabrium, collo Retortæ adhærescens; residuus verò Mercurius remanet in fundo cum capite mortuo, quia exigua pars ejus saltem exstillat: Et si scis, integrum pondus Mercurii recuperare poteris.

Atque hæc propterea indicare volui, quia multi opinantur hoc oleum esse Mercurii, ac proin album illum pulverem, aquæ copiosæ affusione inde confectum, *vitæ Mercurium* appellant, cui tamen nullus omnino admixtus Mercurius, est enim purus putus regulus antimonii, salis spiritu solutus, qui denuò separatur, quando aqua affundirur butyro antimoniali; id quod probatur experientiâ. Fusus enim in crucibulo pulvis ille albus exsiccatus dat partim vitrum flavum, partim quoque regulum, nullum autem Mercurium omnino.

Unde

Unde necessario sequitur, Oleum illud spissum esse nihil nisi solutum antimonium salis nimirum spiritu: Dant enim & flores antimonii mixti cum salis spiritu ejusmodi oleum, in omnibus & per omnia simile confecto illi butyro ex antimonio & Mercurio sublimato; quod eâdem ratione copiosæ aquæ affusione præcipitatur in pulverem album, qui vulgo *vitæ Mercurius* dicitur; similique ratione convertitur in minerale bezoarticum, spiritus nimirum nitri abstractione, quod nihil nisi antimonium diaphoreticum.

Perinde enim est sive conficiatur illud diaphoreticum cum nitri spiritu, vel cum ipso nitro, corporali scil. sunt enim similibus viribus prædita; quamvis alii illud præstantius opinentur; sed revera nulla est differentia. Liberum tamen suum cuique esto judicium, quæ enim scripsi, non ambitionis gratiâ, sed veritatis enucleandæ gratiâ scripsi.

Nunc iterum ad propositum, quod est dare oleum antimonii confectum cum salis spiritu.

℞. Florum antimonii, de quibus paulo post, lib. 1. quibus affunde spiritus rectificati lib. 2. probéque misce in vitro, & colloca per diem & noctem in arenâ ad solvendum; postea effunde solutionem illam unà cum floribus in cornutam loricatam, quam colloca in arena, & primo lentum administra ignem, donec phlegma sit egressum, quod sequitur igne paululum aucto spiritus debilis, fortiores enim remanent in fundo cum antimonio: Tandem fortiorem administra

ignem, & egredietur oleum, butyro illi antimoniali simile, confecto cum Mercurio sublimato ijsque usibus destinatum, ut sequitur.

Flores Antimonii albi Vomitivi.

℞. HUjus butyri quantum vis, cui in cucurbitâ vitrea, vel quovis vitro alio amplo, affunde magnam aquæ quantitatem, donec non amplius præcipitantur flores albi; posteà decanta aquam à floribus, quos aquâ calidâ edulcora, lenique calore sicca & accipies pulverem album. Dosis est, quod 1. 2. 3. 8. 10. granorum pondere per noctem macerentur in vino, quod mane bibitum purgat supernè & infernè. Non autem administrandi puerulis, senibus atque debilibus, sed solummodò robustis & vomere consuetis. Oportet quoque quandoque, illis assumptis, quando operari nequeunt, valdéque patientem ægrotare faciunt, provocare vomitum digito, aliàs enim non operantur, ægrosque adeò labefactant, ut vitâ suâ actum esse putent. Oportet etiam in nimiâ horum florum operatione haustum cervisiæ tepidæ, vel potius aquæ calidæ propinare, decoctæ cum cerefolio vel petroselino, & mitius operabuntur. Potens verò non impediat illorum operationes, major enim spes inde sanitatis recuperandæ, egregiè enim purgant bilem, & phlegma in stomacho evacuant, aliis catharticis nimirum humores reluctantes; aperiunt obstructiones, resistunt sanguinis putredini, mul-

multorum morborum causæ quales sunt. Variæ febres, cephaleæ &c. prosunt leprosis, scorbuticis, melancholicis, hypochondriacis, lue venereâ infectis, & in principio pestis. In summâ accuratissimè operantur & multa præstant. Ab assumptione illorum in lecto manendum, vel saltem è domo non egrediendum ad vitandum aërem, aliàs enim suspecti habentur.

Et quia ob nimiam vehementiam formidantur, odioque habentur, dabo in 4. parte hujus libri, in gratiam ægrotorum mitiores & tutiores, potius infernè, quàm supernè operantes, vomituque cientes faciles, quos etiam puerulis atque senibus absque periculo administrare poteris, habitâ tamen ratione ægritudinis, & ætatis.

Flores Antimonii Diaphoretici.

FLores prædicti si projiciuntur in nitrum fusum, paululumque relinquuntur in fluxu, redduntur fixi, ita ut diaphoretici reddantur, & cathartică suâ vi priventur. Aqua acida à floribus separata, si evaporatur, relinquit spiritum salis optimum, iisdem vel similibus laboribus iterum inservientem.

De usu externo olei Antimonii corrosivi.

HOc oleum diu fuit in usu Chirurgorum, in vulneribus enim ferè insanabilibus benefi-

cio calami applicârunt, ad separandas impuritates, curæ accelerandæ causâ, ut alia postea applicata medicamina melius operari queant. Melius autem est si miscetur cum salis spiritu, facile enim miscentur, mitiusque redditur illud inde, nimiaque ejus mitigatur corrosiva facultas. Nec est alius, præter salis spiritum, cui misceri potest hoc oleum, nisi sit spiritus nitri fortissimus; debilis enim nitri spiritus præcipitat butyrum antimonii, ut videre est in præparatione Bezoartici mineralis. Spiritus autem nitri fortissimus solvens hoc butyrum, solutionem dat rubram, mirabilium virium in Chymicis, de quibus non est hujus loci tractare; qui si destillatione iterum abstrahitur, relinquit primâ vice fixum antimonium & diaphoreticum, qui aliàs, bis terve abstrahendus, si debilis nimirum, impotensque solvere butyrum absque præcipitatione.

Est autem hoc Bezoarticum, diaphoreticum optimum tutissimumque in omnibus morbis diaphoresi egentibus, utpote peste, morbo Gallico, febribus, scorbuto, lepra &c. si administratur à gr. 6. 8. 10. ad 20. in vehiculis appropriatis; penetrat universum corpus, omnesque pravos humores evacuat per sudorem & urinam.

Oleum Arsenici & Auripigmenti.

SIcuti salis spiritus illibenter aggreditur antimonium, propter copiam sulphuris crudi, nisi redactum in flores, in quorum præparatione pars quæ-

quædam ipsius sulphuris comburitur; ita etiam Arsenicum atque Auripigmentum difficulter solvuntur salis spiritu, nisi redacta in flores, nisique salis spiritus sit fortissimus, qui illa aggredi valet. Soluta possunt destillari per cornutam instar antimonii in oleum grave & spissum; quod extrinsecè usurpatum in ulceribus cancrosis, exedentibus &c. excellit illud antimonii, in mortificandis illis malis, mundificandis & purgandis. Simili ratione ex omnibus realgaribus confici possunt olea corrosiva, destinata usui extrinseco.

Oleum lapidis Calaminaris.

℞. LApidis Calaminaris optimi flavi vel rubri contriti in pulverem subtilem q. v. & affunde ipsi quintuplam vel sextuplam proportionem spiritus salis rectificati, mixta probè agita; nec diu relinque inagitata; sed mox iterum agita vitrum cum materialibus; atque hoc sæpius, aliàs enim in durissimum lapidem concrescit calaminaris lapis, qui amplius solvi nequit; cui prævenitur prædictâ sæpissimâ agitatione. Etsi amplius in frigido solvere non potest salis spiritus, colloca vitrum in arenâ calidâ tam diu, donec spiritus flavissimo tingatur colore; quem tunc decanta, recentemque reaffunde, iterumque colloca in digestione ad extrahendum, nec agitare intermitte vitrum. Solutione peractâ, filtra illam, & abijce residuam terram mortuam. Postea colloca solutionem in arenâ, ignemque

administra, & ferè $\frac{2}{3}$ spiritus salis egredietur insipida, quod non nisi phlegma, etsi spiritus fuerit rectificatissimus; cujus rei rario est ficcissima lapidis calaminaris natura, cui maximè amicatur salis spiritus, ac propterea difficulter iterum separabilis ab ipso. Non enim novi aliquod minerale aut metallum (præter *Zinck*) quod siccitate excederet lapidem calaminarem. Tandem nihil phlegmatis amplius egrediente, fac ut omnia refrigerentur; quo facto exime vitrum & invenies oleum spissum & rubrum, instar olei olivarum pingue, nec nimis corrosivum; spiritus enim salis ferè mortificatus calaminari lapide, & acrimoniâ suâ privatus. Hoc oleum ab aëre præservandum, aliàs enim paucorum dierum spatio multum aëris attrahit quem in aquam convertit, unde debilitatur illud.

Hoc oleum est mirabilis virtutis, tam intrinsecè quàm extrinsecè usurpatum. Et miror quod tanto tempore nemo fuerit, qui laboraverit in lapide calaminari & naturam ejus descripserit, cum aureo sulphure sit præditus (de quâ re in quartâ parte) si enim artificiosè separatur ipsius terrestreitas, manifestatur aurum purum putum; maxima autem pars illius est volatilis & immatura, nec facilè in corpus reducibilis influxu, quarè hactenus à Chymicis non fuit æstimatus ille lapis, scientibus autem semper fuit charus &c.

Usus

Vſus Olei Lapidis Calaminaris.

SI adminiſtratur à gutt. 1. 2. 3. uſque ad 10. & 15. cum congruis vehiculis, purgat hydropen, lepram, podogram, cæteroſque humores noxios fixos, vegetabilibus catharticis non obtemperantes. De quâ re plus in ſecundâ parte de ſpiritu urinæ & ſalis tartari. Extrinſecè inſervit pro balſamo optimo vulnerario, cui vix par dari poteſt, non ſolum in omnibus vulneribus antiquis corruptis reſtituendis, ſed etiam recentibus, potenter enim ſiccat, mundificat & conſolidat.

In œconomiâ quoque uſurpatur, ſolutum enim viſcum in ipſo dat materiam quandam tenacem, inſervientem capiendis avibus, muribus &c. domi & ruri. Permanens eſt enim tam in ſolis æſtu, quàm hyemis frigore; quarè quovis anni tempore uſurpari poteſt; cuncta animalcula parva adhæreſcunt ipſi, ſi attingunt illam materiam.

Faſcia eâ illita, & arbori alicui circumligata, prohibet adſcenſum arenearum, aliorumque inſectorum fructibus infeſtorum; id quod obſervatu dignum.

Hoc oleum aquæ affuſione non corrumpitur, nec inde præcipitatur, quemadmodum illud antimonii: quarè multis rebus inſervit. Sulphur commune flavum coctum in ipſo, igne ſcil. fortiore, ita ut diſſolvatur in ipſo, inſtar pinguedinis innatat ipſi, purificatur inde & tranſparens redditur inſtar vitri flavi pellucidi, meliorque medi-

medicina, vulgaribus illis nimirum floribus sul phuris: Inservit quoque aliis usibus, quos omne & singulos recensere, nimis longum foret.

Mixtum cum arenâ mundâ, & per retortan destillatum igne fortissimo (secus spiritus sali non deserit lapidem calaminarem) dat spiritum planè igneum, remanente lapide calaminari in fundo retortæ.

Hic spiritus adeò fortis, quod vix conservar possit, solvens cuncta metalla, cunctaque mineralia (exceptis Lunâ & sulphure) quarè ipsius beneficio multa præclara medicamina conficiuntur, quæ cum vulgari, etiam rectificatissimo, confici nequeunt; qui etsi sæpissimè rectificatus, phlegmate tamen non caret, inseparabili vi rectificationis eatenus nimirum, ut cum lapide calaminari.

Hic spiritus multa præstat tam in Medicinâ quàm in Alchymiâ, prout & in aliis artibus, ut facilè conjecturam facere licet, sed jam non datur occasio de hisce plura dicere, in gratiam tamen ægrorum unicum saltem apponam, cui pauca comparanda, cujus processus simplex & brevis nolim tibi sit offendiculo. Misce nimirum ejusmodi spiritum cum spiritu vini rectificatissimo, mixturam digere aliquantisper, & salis spiritus separabit vini spiritum, & mortificato sale volatili, vini oleum innatare faciet, quod est cordiale egregium, cumprimis si prius aromata illius beneficio fuerint extracta (vini scil. spiritu) hoc vero (salis spiritu) aurum fuerit solutum. Tunc enim

enim in digestione mixtorum, oleum vini separatum attrahit essentiam specierum cordialium, aliorumque vegetabilium, antea vini spiritu exttactorum; nec non auri tincturam, atque adeò medicinam efficacissimam & incomparabilem, universalem omnium morborum, humidum radicale confortantem, ut hostes suos evincere possit. Pro quâ Deo immortali laus & gloria in æternum, qui nobis tanta secreta revelaverit.

De extrinseco usu spiritus salis culinario.

DIxi suprà, quod loco aceti & agrestæ usurpari possit, ut & loco succi limonum, nunc restat docere, quomodò sit usurpandus, & quidem in gratiam tam sanorum quàm ægrorum. Paraturus igitur pullum, columbas, carnem vitulinam &c. adjiciat primò sufficientem quantitatem aromatum, aquæ & butyri, postea pro lubitu etiam spiritus salis majorem vel minorem quantitatem: Atque hâc ratione carnes citius perfectionem suam acquiruut coctæ, quàm viâ illâ vulgari. Gallina etsi vetus, vetusque caro fuerit, tenera tamen redditur instar pulli, additione hujus spiritus. Usurpaturus autem loco succi limonum cum carne assâ, imponat illi cortices limonum, conservationis gratiâ, quia præservat. Loco agrestæ usurpatur vel per se solus, vel mixtus cum modico sacharo, si nimis acidus.

Maceraturus carnem bubulam, teneramque factu-

facturus instar capreoli, solvat prius in ipso tar tarum & parum salis, antequàm humectet car nem cum ipso, & non modò præservabitur, se etiam tenera reddetur inde caro. In longâ auten carnium conservatione oportet aliquid admisce re aquæ, carnemque ponderibus aggravare, u cooperiantur muriâ: hâc enim ratione diu con servari possunt carnes.

Simili ratione præservari possunt omnia fru ctuum genera hortensia, utpote cucumeres, por tulaca, fœniculum, genista, cappares Germano rum &c. & quidem melius quàm cum aceto. Diu etiam ipsius beneficio conservari possunt flore & herbæ, ita ut per integram hyemem rosas ha bere possis.

Præservat etiam vinum, si parum saltem admi scetur ei. Parum mixtum lacti, præcipitat caseum qui si ritè conficitur, nunquàm corrumpitur, in star caseorum ferè qui dicuntur *Parmesan.* Serum illud lactis ferrum solvit; quod lavacri loco usur patum curat quamvis scabiem.

Beneficio spiritus salis conficitur è melle & sa charo potus gratissimus, vino haud dissimilis. Conficitur similiter è quibusdam fructibus cum salis spiritu, acetum optimum, Rhenensi simi le. Talia & alia plura, quæ nunc divulgare non licet, perpetrari possunt cum salis spiritu.

Atque sic aliqualiter docui usum salis spiritus quod non sic capias, velim, ac si omnia revela verim, nam brevitatis causâ, ut & propter alias rationes multa reticui. Nec ego omnia scio; quæ autem

autem scio, eatenus revelavi, ut alii inde ulteriorem quærendi ansam habeant. Descripturus autem omnes & singulas ejus vires & virtutes, integrum volumen conscribere opus habet, id quod non est nunc nostri instituti, poterit autem fortassis fieri alio tempore. Dabuntur quoque nonnulla arcana quæ hujus spiritus adminiculo præparantur, in parte secundâ hujus libri: quomodò nimirum dulcificandus ad extrahendam auri aliorumque metallorum tincturam, relinquendo corpus album, quæ tinctura non est medicina spernenda. Quarè cum palam sit quanta hic præstare possit spiritus, nemo non ingentem ejus copiam pro suâ œconomiâ optabit, cumprimis viâ tam facili brevique parati spiritus excellentissimi.

Quomodo spiritus acidus sive acetum destilletur ex omnibus vegetabilibus, utpote herbis, lignis, radicibus, seminibus &c.

PAucas quasdam primò fornaci vivos imponito carbones, deinde superimpone lignum destillandum ut comburatur: quod dum comburitur, egreditur spiritus ejus acidus in Recipientem, ubi condensatus descendit in excipulum, sapore ferè referens acetum commune, quare etiam *lignorum acetum* dicitur.

Atque hoc modo è quovis ligno, quovisque vegetabili elicere licet spiritum acidum, & quidem in magna quantitate sine sumptu; quia paucis sal-

cis saltem quibusdam carbonibus vivis lignum destillandum superimponitur, atque huic aliud; unum enim alterum accendit; nec aliàs hîc spiritus requirit expensas, quàm ligni destillandi; quæ magna est differentia inter hanc & vulgarem illam destillandi rationem, ubi præter retortas etiam requitur peculiaris ignis; & ex ingenti retortâ 5. vel 6. horarum spatio, vix libra una elicitur spiritus; cum in nostrâ unius diei spatio, & quidem sine sumptu & labore elici possint libræ 20. vel 30. quia lignum immediatè in ignem projicitur destillandum, & quidem non frustulatum sed integrum. Potest autem hic spiritus (rectificatus) commodissimè usurpari in variis operationibus chymicis, facilè enim solvit lapides animales, utpotè cancrorum oculos, lapillos percarum & carpionum, corallia, perlas &c. ad instar aceti vini. Solvuntur quoque illius beneficio vitra metallorum, utpote Jovis, Saturni, Antimonii, & extrahuntur, rediguntque in oleo dulcia.

Hoc acetum intrinsecè assumptum per se, sudorem egregiè movet, quare in multis prodest morbis, cumprimis confectum è quercu, buxo, guajaco, junipero, aliisque gravioribus lignis; quo enim graviora ligna, eò spiritum dant acidiorem.

Extrinsecè usurpatum mundificat ulcera & vulnera, consolidat, exstinguit & mitigat inflammationes ab igne causatas; scabiem curat, cumprimis autem decoctio illius beneficio facta è proprio ligno. Mixtum cum aquâ calidâ pro balneo

neo ventris inferioris; curat occultos mulierum morbos; ut & ulcera maligna crurum.

Dignus igitur hic spiritus alicujus loci in officinis i. e. injustè rejicitur in officinis, cùm factu sit faci is. In destillatione absinthii aliorumque vegetabilium, remanet in fundo fornacis cinis, qui aquâ calidâ extractus, dat salem decoctione; qui denuo proprio spiritu vel aceto solutus & filtratus, phlegmatis evaporatione, collocatus in frigido abit in sal crystallinum, sapore gratum, lixivium non referens, nec instar aliorum salium in aëre solubile. Efficacius quoque est hoc sal (in crystallos nimirum redactum per spiritum proprium) illo quod fit sulphuris beneficio, vel aquæ fortis & olei vitrioli, aliorumque more illo consueto Chymistarum & pharmacopœorum.

Spiritus papyri & linteorum.

FRustula lintea collecta & acquisita à sartoribus dant in fornacem projecta supra carbones vivos spiritum acerrimum, cutem, ungues & pilos flavo tingentem colore; restituentem membra frigore perdita, nec non in gangræna, & erysipelate utilem, si linteoliis in ipso madefactis applicatur, &c. Eadem præstat spiritus è papyro confectus, è frustulis nimirum.

Spiritus Serici.

EAdem ratione è frustulis sericis conficitur spiritus, qui non est adeò acris, sicuti ille confe-

ctus è linteis & papyro, nec cutem tingit; est autem præstantissimus in vulneribus tam veteribus quàm recentibus, cutemque venustam reddit.

Spiritus capillorum hominis aliorumque animalium; nec-non cornuum.

E Pilis etiam & cornubus conficitur spiritus, sed fœtentissimus, quare malè usurpari potest, quamvis aliàs variis artibus inserviat: rectificatus claritatem acquirit, urinæque spiritus odorem: sulphur commune solvit, & dat aquam celerrimè curantem quamvis scabiem.

Inserviunt autem huic negotio frusta pannorum laneorum non tinctorum à sartoribus acquisita, & in magnâ copiâ in fornacem projecta. Frusta pannorum intincta in hoc spiritu & suspensa in vineis & agris, prohibent ingressum cervorum & aprorum, metuentium odorem illius spiritus, tanquam venatorem insidiantem sibi.

Spiritus aceti, mellis, & Sacchari.

L Iquida destillaturus, carbones candentes projicere opus habet ex. gr. in acetum in fornacem; vel si sit mel sive sacharum, solvantur prius oportet in aquâ, quo à carbonibus devorari possint; qui postea ita imprægnati, per vices in fornacem projiciendi & comburendi; & dum comburuntur carbones, reliquum incombustibile egre-

le egreditur. Atque hâc ratione in magnâ copiâ liquida destillare potes.

Acetum hâc ratione destillatum est ejusdem facultatis cum illo quod destillatur in vasis clausis.

Mel verò & sacharum hâc ratione destillata alterantur paululum, aliasque vires acquirunt: quomodo verò destillanda absque jacturâ spiritus sui volatilis, docebitur in parte secundâ. Hâc alias ratione, quævis liquida, absorpta à carbonibus vivis destillari possunt.

De usu aceti destillati multa essent dicenda, sed quia omnium Chymicorum libri uberrimè de illo tractant, non opus esse duxi, scripta repetere. Hoc tamen observatu dignum, quod acetum acerrimum, maximam habeat affinitatem cum quibusdem metallis, quæ ipsius beneficio extrahuntur; solvuntur & in medicamenta redigunntur: Multa siquidem ipsius beneficio confici possunt ut testantur omnium Chymicorum libri.

Cæterum est & aliud acetum, cujus sæpe fit mentio in libris Philosophicis, cujus beneficio mirabilia præstantur in metallorum solutionibus cujus nomen veteres reticuêre; de quo hîc non tracto, quia per hanc confici nequit fornacem; tractabo verò de eo in alterâ parte, ita tamen ne incurram maledictioni philosophicæ.

Quomodo conficiantur spiritus è sale tartari, tartaro vitriolato, spiritu salis tartarisato, & ejusmodi alijs salibus fixis.

QUotquot fuêre Chymici, ferè omnes arbitrati, non posse elici spiritum è sale tartari, alijsque fixis. Experientia enim docuit, per retortam parum vel nihil omnino elici posse spiritus ex illo, quod sæpe accidit mihi ante inventionem hujus Furni: cujus rei ratio fuit admixtio arenæ, terræ, boli, farinæ tegularum &c. ad prohibendum fluxum salis tartari hâc ratione dispersi. Sed factum hoc ex ignorantiâ authorum, qui salis tartari proprietates ignorârunt. Mixta enim materia lapidea, utpote arena, silex, bolus &c. Sali tartari, sentiens ignis calorem & candefacta cum ipso, arctissimè jungitur illi, ità ut spiritus nullus omnino elici possit inde, sed in durissimum abeat lapidem. Arena enim cæteraque ipsi similia, cum sale tartari tantam habent affinitatem, ut unita vix iterum separentur. Fieri tamen potest per artem, additione arenæ puræ vel silicis, quod tota salis tartari substantia in spiritum convertatur unius vel alterius horæ spatio, uti docebitur in parte secundâ; qui viribus cætera cuncta excellit medicamina in curandis calculo & podagrâ: Et si artis regimine in illâ destillatione relinquitur caput mortuum, habet illud, aëre in liquorem solutum, facultatem metalla præparata sibi imposita, paucarum horarum spatio putrefacere.

facere, ita ut nigrescant, & instar arborum excrescant cum suis radicibus, truncis & ramis, quæ quo diutius ibi relinquuntur, eò meliorantur magis.

E calce Saturni subtiliatâ & sale tartari confici potest spiritus gradatorius mirabilium virium proprietatum, tam in Medicinâ, quàm Alchymiâ: E capite mortuo per deliquium fit liquor quidam viridis miranda præstans; unde probatur, *Saturnum non esse planetarum infimum.* Sapienti satis.

Et sic fit Lac Virginis & sanguis Draconis Ph.

QUandoque reperitur terra aliqua, sive bolus, quæ nullam cum tartaro affinitatem habet, quæ mixta cum sale tartari dat spiritum, sed quantitate exiguum. Possunt autem in hâc fornace fixissima quævis elevari, quia species in illâ non inclusæ, sed dispersæ, super ignem projectæ, ab igne per aërem elevantur, & in recipientibus refrigeratæ iterum condensantur, quod ita facilè nequit per retortam clausam.

Facturus igitur spiritum salis tartari, facere nihil aliud opus habet, quàm tartarum calcinatum, in ignem projicere, & totus abibit in spiritum: sed requiruntur tunc recipientes vitrei, quia terrei ipsum retinere non valent.

Atque hic est ille modus, quo fixissima salia destillantur in spiritum per fornacem primam.

In secundâ fornace (partis nimirum secundæ fornace) id ipsum præstari potest & melius & facilius, ubi etiam unà cum præparatione docebitur usus ejus.

Spiritus, Flores & Salia Mineralium & Lapidum.

HAc ratione è quovis minerali & lapide elevari potest spiritus, & quidem absque additione alterius cujusdam speciei; ita nimirum quod trita mineralia, tritique lapides, utpote silex, cristallus, talcum, lapis calaminaris, marcasita, antimonium, cum cochleari ferreo projiciantur supra carbones, & unà ascendent cum spiritu quodam acido, sal quoddam & flores, quæ postea ablutionis beneficio è Recipientibus iterum auferenda & filtranda; & flores remanebunt in chartâ emporeticâ sive bibulâ, aqua enim unà cum spiritu & sale transit per filtrum, quæ rectificationis beneficio separanda, & seorsim ad suos usus servanda. Hoc autem scito, quod eligenda mineralia, ignem nondum experta, si illorum desideras spiritum.

Quomodo mineralia & metalla in flores redigenda; & de illorum viribus.

HActenus metallorum & mineralium flores in usu non fuêre, exceptis floribus antimonii & sul-

& sulphuris, qui facilè elevantur : reliquorum enim metallorum mineraliumque fixorum sublimationem tentare chymici non ausi fuerunt, contenti illorum solutione aquarum fortium sive corrosivarum beneficio, & præcipitatione factâ cum liquore salis tartari, edulcoratione & siccatione ; atque sic præparata suos flores appellârunt mineralia & metalla: per meos autem flores ejusmodi intelligo materiam, quæ ignis beneficio absque additione alterius materiæ elevatur, & in pulverem subtilissimum convertitur nec dentibus nec oculis perceptibilem; qui revera pro floribus (meo quidem judicio) habendus; Cum aliorum flores plus corporei, tam bene edulcorari nequeant, quin aliquid salsedinis retineant secum, id quod ex ponderis incremento percipere licet, ac proin oculis aliisque partibus nocui.

Nostri autem flores vi ignis per se sublimati, non modò carent salsedine, sed adeò etiam subtiles sunt, ut intro assumpti statim operentur viresque suas exserant, juxta Medici nimirum dispositionem. Nec horum præparatio adeò sumptuosa, quemadmodum illorum.

Metalla quoque & mineralia maturantur & emendantur in ejusmodi sublimatione, ut tutius usurpari possint; in illorum verò potius destruantur & corrumpuntur, testante experientiâ, quomodo autem ejusmodi flores conficiantur, nunc quoque docebo, & quidem singulorum metallorum seorsim, quò artifex in illorum præparatione errare nequeat & primo quidem.

De Auro & Argento.

AUrum & argentum vix in flores redigi possunt, quia plerique ferè opinantur, nihil ipsis decedere in igne, cumprimis verò auro etsi relinqueretur ibi in æternum: quod etsi verùm, auro nimirum nihil in igne, etsi diu ibi relinquatur; argento verò parum decedere, nisi admixtum habeat cuprum, vel aliud quoddam metallum, quod tamen paulatim evaporat.

Quod ut ut sit, possunt tamen fracta & subtiliata, carbonibus adspersa atque adeò dispersa, vi ignis aëriſque adminiculo sublimari, & in flores redigi.

Cùm autem prædicta metalla sint cara & pretiosa, & fornax cum suis recipientibus ampla, nolim ut aliquis illa, aurum cumprimis ita projiciat, quia non omnia recuperare licet. Desiderantibus igitur hosce flores dabitur alius in secunda Parte modus illos conficiendi absque metalli nimirum jacturâ; ad quam lectorem remitto. Hæc enim fornax inservit metallis & mineralibus sublimandis non pretiosis, quorum jactura non magni æstimatur. Atque hæc propterea dicta ut appareat aurum & argentum, ut ut fixa, sublimari tamen posse. Cætera verò metalla facilius sublimantur, unum tamen facilius altero, nec aliâ indigent præparatione, quàm granulatione, antequam projiciantur in ignem.

Flores

Flores Martis & Veneris.

℞. Limaturam ferri vel cupri, q. v. nimirum; projice illam cum cochleari ferreo super carbones vivos dispersim scil. & ascendet è Marte vapor ruber, è Venere autem viridis, elevabiturque in vasa sublimatoria: igne deficiente, oportet illum fovere recentibus carbonibus, & continuare projicere in fornacem Martis sive Veneris limaturam, donec sufficientem nactus sis copiam florum: & tunc omnia refrigescere permitte. Quo facto aufer vasa sublimatoria & exime flores, eosque serva, sunt enim optimi si miscentur ungentis & emplastris: qui si intrinsecè usurpantur, vomitus provocant; meliores igitur in chirurgiâ, ubi vix aliquid illis comparabile. Venus soluta spiritu salis, & oleo vitrioli præcipitata, edulcorata, siccata & sublimata, dat flores, qui in aëre resolvuntur in balsamum viride, utilissimum in vulneribus & ulceribus antiquis putridis, ceu thesaurus pretiosissimus.

Flores Saturni & Iovis.

NOn opus est hæc metalla in granula redigere, sufficit si frustulatim injiciuntur; sed tunc oportet sub crate collocare patinam terream vitreatam aquâ repletam, ad colligendum id quod liquefactum defluit, quod eximendum, iterumque in ignem projiciendum, atque id toties do-

nec totum metallum in flores fit conversum; qui postea vasis refrigeratis iterum eximendi, sicuti dictum de floribus Martis & Veneris. Atque hi flores sunt præstantissimi; mixti emplastris & unguentis, in vulneribus antiquis & recentibus, majorem enim habent vim exsiccandi, quàm metalla calcinata, teste experientiâ.

De Mercurio.

HIc facilè redigitur in flores, quia admodum volatilis, non autem prædictâ ratione, quia saltat in igne & descensum quærit. Etsi desideras ejus flores, misce illum prius cum sulphure, ut mortificatum pulverisare & injicere possis. Et si crucibulo, collocato in fornace, candenti injicis parum Mercurii vivi per vices scil. cum cochleari, avolabit evestigio, & pars quædam resolvetur in aquam acidam, præferendam floribus, meo quidem judicio; reliquus autem Mercurius, stillat in receptaculum. Sed hîc requiruntur vasa vitrea, quia in terreis amittitur aqua prædicta. Quæ sine dubio aliquid præstat in arte: Utilis autem extrinsecè usurpata in scabie, venereisque ulceribus.

Flores Zincki.

ESt mirabile metallum, repertumque spagyricâ anatomiâ esse purum putum sulphur, aureum, immaturum. Carbonibus vivis superimpositum, subitò avolat totum; accenditur quoque par-

partimque comburitur instar sulphuris communis alterius coloris flammâ, aureâ nimirum purpureâ; datque flores elegantissimos albos & levissimos.

Usus.

Administrati à gr. 4.5.6. usque ad 12. provocant sudorem egregiè, quandoque etiam vomitus & sedes habitâ nimirum ratione peccantis materiæ. Vires illorum extinsecæ sunt egregiæ, præstantiores enim non reperiuntur flores, non modo citò consolidantes vulnera recentia, sed etiam antiqua semper aquam stillantia, ubi reliqua cuncta excellunt medicamina. Tantæ enim sunt siccitatis quæ adjunctam sibi habet consolidandi vim, quod etiam incredibilia præstant. Diversimode autem administrari possunt; & quidem vel per se adspergi superimponendo emplastrum stictícum, vel radacti in unguentum cum melle vulneribus imponendum; quod in vulneribus profundis ad duritiem coquendum pro formandis suppositoriis parvulis, vulneribus imponendis, quæ postea emplastro aliquo tegenda & ab aëre præservanda; hâc ratione applicati fundamentaliter curant. Mixti cum emplastris stupenda præstant.

Si miscentur cum aquâ rosaceâ vel pluviali, ita ut uniantur simul; si postea quotidiè aliquoties aliquid instillatur oculis rubris, lachrymantibus, aliis ophthalmicis non obtemperantibus, faciunt

ciunt quod restituantur & curentur iterum.

Hi flores linteolo excepti, si adsperguntur locis puerulorum (prius tamen lotis aquâ) vulneratis urinâ, sanat eos iterum. Curant quoque cutis unitatem solutam, profectam ex diuturno decubitu ægrotantium, unde ingens proficiscitur dolor, cito si adsperguntur.

Facilius quoque hi flores solvuntur in aquis corrosivis, quàm metalla & mineralia cætera; nec spiritus illos iterum deserit in igne, sed phlegma insipidum stillat, solummodò, relinquens oleum pingue & spissum, ut supra de lapide calaminari dictum; ijsdem usibus destinatum, efficacius tamen illo. Qui spiritus si ignis violentiâ expellitur, tantæ est fortitudinis, ut vix conservari possit. Nec solum uti dictum supra, spiritus salis hâc ratione exaltari potest, sed etiam aqua fortis & regia, ita ut mirabilia præstet in separatione metallorum; quæ non sunt hujus loci, dicentur autem in parte Quartâ.

Non autem opus flores eligere huic operi, quia crudum Zinckum idem præstat, quamvis flores id ipsum præstent melius: unde apparet, metallum sublimiorem gradum siccitatis contraxisse in sublimatione.

Flores Antimonii.

NUlla est difficultas flores antimonii conficere, diu enim in usu Chymicorum fuêre, & quia

quia illorum præparatio fuit tædiosa, vili pretio non venerunt.

Quare nemo fuit qui aliquid aliud in illis tentare voluerit, quia saltem vomitus provocandi causâ usurpati fuêre; quorum dosis fuit à gr. 1. 2. 3. 4, usque ad 8 & 10. in affectibus stomachi & capitis, ut & in febribus, Peste, Morbo Gallico &c. Præterea nihil in iis tentârunt. Nec mirum, quia etiamnum reperiuntur, qui sibi persuasi, quod nihil à veteribus non inventum (viris doctissimis) inveniri hodiè possit; & si quid fuisset amplius reperibile, utique fuisset inventum. Quæ sanè stulta est opinio, ac si Deus omnia dedisset veteribus, nec aliquid pro posteris reservasset. Nec illi naturâ in suis laboribus cognoscunt: quæ indesinenter laborat, nec fatigatur in suis laboribus &c. Ut ut autem sit, palam est Deum hisce temporibus revelâsse quæ olim occulta erant, quod non cessabit usque ad finem mundi.

Ad propositum iterum, quod est dare modum faciliorem conficiendi florum antimonii, quo major acquiritur quantitas, ita ut etiam aliis usibus inservire possint. ℞. Antimonii crudi pulverisati q. v. & primo quidem fac ut probè incalescat candeatque fornax; postea injice pro unâ vice libram integram antimonii, vel plus minus, dispersim nimirum supra carbones; & evestigio fluet, mixtumque carbonibus vi ignis per aërem elevabitur in Recipientes instar nebulæ, quæ ibi coagulabitur in flores albos. Observandum quod quando combustis prioribus carbonibus

alij

alii imponendi sublimationis contituandæ gratiâ, recentes semper ante impositionem accendendi, ne flores à pulvere carbonum, unà cum floribus adscendente, inquinentur, griseumque inde contrahant colorem: sed nihil interest, si per se illos usurpare nolis ad provocandos vomitus, quia nihil periculi inde, proficiscitur enim ille color non nisi à carbonum furno, quare non formidandos: Fastidiens verò illum, carbones accendat antequam injiciat in fornacem, & acquiret flores albos. Oportet quoque non occludere foramen medium, per quod injiciuntur carbones & antimonium, ut ignis eò liberius ardere possit; aliàs enim flores ollarum superiorem flavescent & rubescent propter sulphur antimonii, quod altius sublimatur quàm regulus. Potest autem hâc ratione spatio unius horæ confici libra una florum cum libris 3.4.5. carbonum. Parum est quod decedit de antimonio, sulphur nimirum combustibile, quod comburitur, omni reliquo abeunte in flores. Oportet quoque tibi prospicere de sufficiente copiâ ollarum sublimatoriarum, propter sufficiens spatium requisitum ad florum sublimationem.

Hâc parati ratione flores viliſſimo pretio veneunt, ita ut libra una vilioris pretii sit, quàm uncia dimidia aliter præparatorum. Tutioresq; sunt utpote liberâ ignis flammâ confecti, non enim tam vehementes provocant vomitus; quin imo inferiorum ollarum flores vomitivi non sunt, sed diaphoretici, ac si cum nitro essent præparati; ita enim

enim corriguntur per ignem. Atque hâc ratione unâ eâdemque operâ diversarum operationum diversi flores confici possunt : inferiorum enim ollarum flores sunt diaphoretici, mediarum vomitivi mediocriter, supremarum verò vomitivi vehementer. Prout enim plus ignem passi eò magis sunt correcti ; unde diversitas virium proficiscitur. Quare singuli seorsim conservandi, & superiores quidem pro emplastris, vel pro butyro, vel oleis, iisque vel dulcibus vel corrosivis inde conficiendis. Medii ad purgandum & vomendum : infimi autem ad sudorem provocandum. utpote præstantiores Bezoartico minerali, vel antimonio diaphoretico facto cum nitro. Sanè non credo viam esse faciliorem conficiendi flores emeticos & diaphoreticos, hâc nostrâ. Quod ad usum illorum; sciendum emeticos illos robustis saltem esse administrandos, vomere consuetis : Puerulis & senibus verò cum discretione, ut supra de Butyro antimonii dictum. Diaphoretici verò absque periculo senibus atque juvenibus administrari possunt; sanis & ægris; in omni affectu diaphoresi egente; utpote peste, morbo Gall: scorbuto, lepra, febribus &c. Dosis illorum est à gr. 3. 6. 9. 12. usque ad 24. cum vehiculis appropriatis, ad sudandum in lecto ; expellunt enim tam per sudorem quàm per urinam omnes pravos humores. Et quia emetici copiosiores sunt diaphoreticis, nec ita necessarii ut hi, & ex unâ vel alterâ unciâ plures confici possint doses, necesse est docere, quomodo emetici in diaphoreticos transmutan-

mutandi: Fit autem illud tribus modis, quorum duos supra tradidi de butyro antimonii confecto è floribus cum salis spiritu, tertius hic est: colloca flores in crucibulo (absque lutatione) cooperto, ne quid incidat, ita per se solos in igne lento ne liquescant, sed saltem obscurè candeant aliquot horarum spatio; postea permitte ut refrigescant, facti enim sunt fixi & diaphoretici. Etsi flavedinem aliquam vel cinereum colorem contraxissent, hâc tamen ratione redduntur albi & elegantes, fixi & diaphoretici. Cæterum hi flores usurpantur ad Emplastra Stictica, propter naturam siccam, quâ prædíti.

Funduntut quoque in vitrum flavum transparens; nec datur, via facilior antimonium per se redigendi in vitrum flavum transparens; ubi antimonium crudum primo sublimatur, sublimatum postea in vitrum funditur. Sublimatio hic inservit loco calcinationis, cujus beneficio facilius sublimantur viginti libræ, quàm illius beneficio libra una redigitur in cinerem.

Nec hic periculum fumorum ascendentium, quia antimonio projecto in ignem abire licet, quæ tuta faciliſque calcinatio, cum vulgaris continuam requirat artificis præsentiam agitantis materiam, qui materiam semel conglobatam eximat, iterumque conterat; quâ ratione multum agere habet, antequam materia ad albedinem perveniat. Viâ autem nostrâ, primâ vice materia sufficienter albescit & quidem plus quàm illâ vulgari calcinationis & agitationis. Autumo igitur

ut antimonii vitrum confecturo optimam, hactenusque incognitam monstrâsse viam; quâ revelatâ non sperabo quempiam stultorum more inposterum ambulaturum viam illam tædiosam priscorum, sed potius vestigia mea secuturum. Hâc enim ratione facilimè quilibet medicorum sibi parare poterit flores emeticos & diaphoreticos, nec non vitrum antimonii per se.

Ex hisce floribus confici possunt etiam olea dulcia & corrosiva; aliaque medicamenta, ut supra dictum de spiritu salis, & postea dicetur in parte secundâ.

Facturus flores è regulo hisce pulchriores, factis nimirum ex antimonio crudo, projiciat illum pulverisatum in ignem, & in omnibus procedat ut supra dictum, & accipiet &c. Elevantur & hi facile. Quomodo autem hîc conficiendus regulus compendiosè nimirum, invenire licet in parte quartâ.

Sublimantur quoque scoriæ ita ut nihil pereat. Facturus autem flores in aëre solubiles in liquorem, adjiciat tartarum calcinatum, vel aliud quoddam sal fixum vegetabile, & accipiet flores solubiles in quovis liquore. Facturus autem flores rubros tam diaphoreticos quàm purgantes, admisceat Martem, & accipiet cinabrium referentes flores. Desiderans virides admisceat Venerem; lapidem calaminarem si purpureos.

Atque sic è quovis minerali flores confici possunt, sive illud sit fixum sive volatile; cogitur enim in altum avolare projectum in igne: Qui diversi-

mode in Chirurgiâ usurpari possunt, in emplastris & unguentis; exsiccant enim & adstringunt potenter, cum primis confecti è lapide calaminari. Nec sunt spernendi confecti è marcasitâ aureâ & argenteâ. Ex arsenico confecti & auri pigmento venenati sunt, pictoribus autem utiles, Arsenicum & auripigmentum calcinata cum nitro, si sublimantur postea dant flores, tuto intro assumendos, expellentes omne venenum per sudorem & alvum. Dupliciter enim corriguntur, primo scil. per nitrum, secundò per ignem in sublimatione: non igitur formidandi, quia & antimonium venenum fuit, ante præparationem sui. Quo enim majus virus ante præparationem, eò major post medicina.

Flores sulphuris docentur in parte secundâ, quamvis etiam per hanc confici possint fornacem, cognitâ nimirum illius naturâ & proprietate per expertum, aliàs sulphur comburitur.

Ita etiam lapides præparati rediguntur in flores aliaque plura, de quibus non opus verba facere; poterit qui velit experiri. &c.

Et quidem non dubito de revelatione planâ & clarâ destillationis quæ fit per fornacem nostram primam, quare finem faciam. Intelligens igitur, scienſque fabricam fornacis (quam petere licet ex delineatione) ejusque usum, non negabit, me bonum opus feciſſe, nec laborem meum improbabit.

Atque hæc est via optima destillandi & sublimandi incombustibilia. In secundâ parte invenies

aliam

aliam fornacem in quâ destillantur combustibilia, nec non spiritus subtilissimi &c. Inservit prima fornax aliis quoque usibus, utpote separationi metallorum; puri ab impuro; confectioni salis centralis, humidique radicalis illorum. Sed quia id prædictâ fieri nequit viâ, quâ res projiciuntur in ignem, ad consequendos flores & spiritus, sed viâ quâdam secretâ philosophicâ, vi ignis alicujus secreti; hactenus à philosophis occultatâ, nec ego Secretum illud prostituam coram omnibus, sufficiat igitur ansam dedisse ulterius inquirendi, viamque monstrasse aliis

FINIS.

INDEX

Rerum præcipuarum partis Primæ.

Exstructio primæ fornacis. 7.
Recipientes. 8.
Ollæ sublimatoriæ. 10.
Modus destillandi. 11.
Destillatio Spiritus Salis. 18
Ejusdem usus in Chymicis. 22.
Olea vegetabilium. 24.
Olea gummatum & resinarum. 26.
Rectificatio oleorum tenacium & fœtentium. 28.
Quinta essentia vegetabilium. 30.
Quinta essentia metallorum & mineralium. 31.
Oleum dulce & rubrum metallorum & mineralium. ibid.
Olea corrosiva eorundem. 32.
Oleum seu liquor Solis. ibid.
Oleum Martis. 33.
Oleum Veneris. 34.
Oleum Iovis & Saturni. 35.
Oleum Mercurii. ibid.
Oleum Antimonii. ibid.
Antimonii vomitivi flores albi. 38.
Vomitivi. ibid.
Diaphoretici. 39.
Olei Antimonii corrosivi usus externus. ibid.
Oleum Arsenici & Auripigmenti. 40.
Oleum lapidis calaminaris. 41.
Ejusdem usus. 43.

Secretum

Secretum aliquod medicum. 44.
Vſus ſpiritus ſalis œconomicus. 45.
Spiritus acidus, ſive acetum cunctorum vegetabilium. 47.
Spiritus papyri & linteorum. 49.
Spiritus ſerici. *ibid.*
Spiritus capillorum, cornuum & oſſium. 50.
Spiritus aceti, mellis & Sacchari. *ibid.*
Acetum Philoſophicum. 51.
Spiritus ſalis tartari, tartari vitriolati aliorumque Salium fixorum. 52.
Metallorum creſcentia. *ibid.*
Spiritus, Flores & ſalia mineralium & lapidum. 54.
Flores metallorum & mineralium, eorumque uſus. *ibid.*
Flores Auri & Argenti. 56.
Flores Martis & Veneris. 57.
Flores Saturni & Iovis. *ibid.*
Flores & aqua Mercurii. 58.
Flores ex Zinck, eorumque uſus. *ibid.*
Flores Antimonii. 60.
Fortiter purgantes. 63.
Mediocriter purgantes. *ibid.*
Diaphoretici. *ibid.*
Vitrum Antimonii. 64.
Flores in aëre ſolubiles. 56.
Olea florum. *ibid.*
Flores auripigmenti. *ibid.*
Rubri. *ibid.*
Virides. *ibid.*
Purpurei. *ibid.*

Flores Arsenici, Auripigmenti & marcasitarum. 66.
Flores Sulphuris. ibid.
Flores Lapidum. ibid.
Metallorum anatomia, purificatio, sal centrale & Humidum radicale. 67.

FINIS.

Exstant apud JOANNEM JANSSONIUM.

clɔ Iɔc LI.



Prima olla sublimatoria E. innititur foramini superiori fornacis D. Secunda F. Tertia G. Quarta H. & sic consequenter.



Cineritium ejusdem cum fornace amplitudinis A. Foramen medium per quod carbones & species injiciuntur destillandæ B. obturamentum lapideum apponendum post injectionem C. Foramen superius distinctione aliqua prædictum arenâ replendâ D. Cum suo operculo E. quod apponitur post injectionem carbonum & materialium. Fistula furnum egrediens copulata primo recipienti F. Primum vas recipiens G. Secundum H. Tertium I. Sellula cui innititur primum vas recipiens, in medio perforatum, ut collum recipientis transire valeat, cui scutella L. annectitur K. Ipsa scutella per cujus fistulam desiluunt condensati spiritus in recipulum appositum L. Receptaculum in quod stillant in scutella collecti spiritus M. Sellula N. Per cujus medium transit trochlea pro lubitu elevabilis, cujus beneficio scutella L. Primo applicatur recipienti, i.e. inferiori. Locus fistulæ pro destillatione spiritus vitrioli & aluminis O. Crates consistens è duobus baculis ferreis robustis transversis, firmiter fornaci applicatis, cui innituntur 4. vel 5. alii minores mobiles, quo fornax ab immoditie liberare queat.



Prima fistula curva G. accommodata fistulæ fornacis æquali F. Vas recipiens fistulæ illi accommodatum, collocatum in labro quodam. I. in aquâ ad accelerandas operationes H. cum suo operculo duplici foramine prædito K. quorum primum prima transit fistula curva simplex G. alterum verò prima fistula curva dupliciter L. uno scilicet brachio, quorum alterum abit in vas recipiens secundum HH. Similiter ut primum in aquâ in labro quodam collocatum, quod etiam altera fistula curva dupliciter M. ingreditur, brachio scilicet uno, &c. quâ ratione & destillantur spiritus & sublimantur flores celerrimè & quidem in magnâ copiâ.

FURNORUM PHILOSOPHICORUM,

PARS ALTERA.

In quâ

Describitur secundæ fornacis proprietas; cujus beneficio destillari possunt omnia volatilia, subtilia & combustibilia; vegetabilia, animalia & mineralia; viâ quâdam incognitâ hactenus & compendiosâ; quâ nihil perditur omnino, sed spiritus etiam subtilissimi capiuntur, quod aliàs per retortas, aliaque vasa fieri nequit

Per

JOANNEM RUDOLPHUM GLAUBERUM.

AMSTERODAMI,

Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↃ IↃC LI.

STRUCTURA
SECUNDÆ FORNACIS.

VAs destillatorium esto confectum è ferro, vel è terrâ optimâ, & in igne fixâ (de quâ in quintâ parte) majoris vel minoris pro lubitu quantitatis: Inservit autem ferreum spiritibus non corrosivis admodum; terreum verò illis rebus quæ ferrum in igne aggrediuntur & liquefaciunt, utpotè sunt sulphur & antimonium &c. quarè duo requiruntur vasa, unum nimirùm ferreum, alterum terreum; quò unicuique materiæ (sive ea sit corrosiva, sive non) suum peculiare vas, suusque peculiaris furnus attribuatur, ne per contraria perdatur. Speciem autem prædicti vasis videre licet è figurâ. Oportet autem infernè esse paulò amplius quàm supernè, cujus altitudinis proportio sit dupla ad amplitudinem; supernè præditum orificio cum certâ quâdam distinctione profunditatis unius digiti lati transversi ad minimum, pro excipiendo operculo, auriculâ prædito, ut forcipe auferri pro lubitu, iterumque reponi possit; nec-non prominentia aliquâ, distinctioni illi prædictæ partis inferioris correspondente. Oportet quoque partem inferiorem præditam esse tribus prominentiis collateralibus, quibus innitatur muris fornacis, quæ alia esse non debet, quàm vulgaris destillatoria cum capellâ, ut videret licet è figurâ. Etsi nolis habere fornacem, non

opus erit illis tribus prominentiis, si modò sit planum in fundo vas destillatorium, vel pedibus præditum &c. Cujus tubulus unius spithamæ longitudinis, in anteriore parte paulò angustior quàm posteriore, egrediatur propè distinctionem illam prædictam, spiritibus stillandis destinatus.

Modus destillandi.

DEstillaturus accendat ignem in fornace, ut probè incalescat vas: quod si non incameratum, super cratem collocandum erit, & circumcircà lateres, in quorum medio carbones accendendi, ad calefaciendum vas, cujus replenda distinctio plumbo fuso, quò arctissimè claudatur orificium vasis appositio operculo, spiritibusque interdicatur sive denegetur exitus.

Quo facto materia destillanda per vices injicienda venit, singulis nimirum vicibus parùm, quâ injectâ operculum apponendum, quæ calefacta emittit suos spiritus per tubulum in Recipientem luto adaptatum illi; quæ quia in paucâ quantitate per vices iniicitur; caret periculo ereptionis per lutum, & fractionis recipientis, quare deorsum cogitur. Quo facto plus iniice materiæ, & in omnibus & singulis procede ut anteà; atque hoc continua, donec sufficientem nactus sis spirituum quantitatem. Cave autem, ne plus unâ vice injicias, quàm recipiens ferre potest propter periculum fractionis. Repleto vase (destillatione nondùm finitâ) aufer operculum, & exime caput mortuum cum cochleari fer-

ferreo; eoque ablato iniice novam materiam, paululum, nimirum per vices; quod sic continua pro lubitu.

Atque hâc ratione spatio unius diei plus destillare licet è vase aliquo parvo, quàm per ingentem aliquam retortam, ubi nullum periculum jacturæ faciendæ spirituum vel recipientis. Licet etiam in hâc destillatione pro lubitu cessare, iterumque inchoare, carente ignis periculo plùs debito aucti, inserviente destillationi spirituum etiam subtilissimorum. Destillaturus enim spiritum aliquem viâ illâ vulgari per retortam, subtilem nimirum, utpotè tartari, cornu cervi, salis armoniaci &c. cum damno experietur, spiritus magno cum impetu erupturos (etsi illorum materia non nisi sit media libra) lutumque malum penetraturos, vel recipientem (si lutum sit optimum transitum illis prohibens) fracturos; fieri enim nequit, quod tanta copia spirituum unâ vice, subtilissimorum nimirum capiatur. Egredientes enim cum impetu erumpunt, ità ut recipiens ipsos capere nequeat; unde fit quod frangatur, vel illi lutum transeant: id quod in hâc destillandi ratione fieri nequit, quia parum saltem unâ iniicitur vice, quod tantos & tàm copiosos dare nequit spiritus, qui recipientem frangant; quibus prima vice egressis & sedatis, iniicitur plus materiæ vice nimirum altera, & sic consequenter usque ad sufficientiam. Tandem auferendus recipiens, eximenduque spiritus, qui conservandus in ejusmodi vitris quales describentur in parte quinta.

Hàc igitur ratione cuncta melius destillantur,

sive ea sint vegetabilia, sive animalia, sive minera-lia, quam viâ illâ vulgari retortarum, cum primis autem subtilissimi illi spiritus hîc capiuntur, qui aliàs capi nequeunt transeuntes per lutum, meliores & præstantiores oleis illis gravibus, quæ falsò pro spiritibus vulgò habentur, sunt enim non nisi aquæ corrosivæ: Verus enim spiritus volatilis est, subtilis & penetrans; quæ attributa non reperiuntur in spiritu salis, aluminis, vitrioli officinarum, quia non nisi olea sunt gravia, calore non exhalantia. Verus enim spiritus, ante phlegma veniat oportet, nec id quod sequitur phlegma & phlegmate gravius spiritus volatilis dici meretur, sed potius oleum quod dam grave & acidum. Si quidem palam est spiritum vitrioli officinarum epilepsiam non curare, quæ tamen virtus aliàs adscribitur ipsi, & quidem reverà. Nec spiritus vulgi tartari spiritus dici meretur, sed potius phlegma fœtidum, vel acetum.

Quomodò autem veri illi spiritus eliciendi, id nunc aggrediar demonstrare, quia multa præstant in multis morbis: Inservit autem hæc destillandi ratio quærentibus egregia medicamina; alii enim quibus perinde est, utrum benè vel malè parata sua medicina, non opus habent exstruere hanc fornaculam, horum spirituum conficiendorum gratiâ, quia vili pretio semper & ubique possunt à vulgaribus chymicis & pharmacopœis spiritus suos mortuos & inefficaces coëmere. Quarè non mirum, si nihil hodiè egregii præstatur medicamentis illis Chymicis, alias meritò Galenicis bonitatis suæ causâ præferendis. Eò enim nunc devenit, ut verus

rus Chymicus pius & honestus, appellatione chymicorum medicamentorum erubescere habeat, quia talia non edunt miracula, qualia de illis perhibentur. Est autem nulla alia causa, malæ nimirum illius famæ Chymicorum medicamentorum, quam ipsa incuria medicorum hodiernorum, qui etsi utuntur chymicis medicamentis (ostentationis scil. gratiâ) rem tamen domesticam pluris faciunt, quàm salutem ægrorum, coëmentium malè parata medicamina à Pseudo-chymicis, eaque incautè administrantium; undè plus damni sæpè quàm utilitatis ægrorum, nobilissimaque Chymia infamis redditur. Curiosus autem medicus pro virili nititur propriis manibus sua præparare medicamenta; & si non, coëmit ab honestis & exercitatis Chymicis parata, quibus fretus plus præstat in medicinâ, laudemque indè meretur, præ cæteris nimirum ignorantibus medicis, qui incognita sibi medicamina suis ægris administrant, ac proin rationem reddere aliquandò non valebunt coram supremo judice praxeos suæ injustæ.

Oleum vitrioli acidum, spiritusque vitrioli volatilis.

HActenùs dixi in genere quomodò subtiles illi spiritus eliciendi; nunc quoque in specie uniuscujusque materiæ præparationem aggrediar: & quidem primò agam

De

De Vitriolo.

VItriolum antequam destilletur, nullâ aliâ indiget præparatione, quàm manuali separatione à suis impuritatibus, sive rebus heterogeneis ne spiritus inde inter destillandum inquinetur. Si verò velis, poteris ipsum semel dissolvere in aquâ purâ, solutum, filtrare, iterumque posteà aquæ evaporatione redigere in vitriolum, ut certus sis purificationis ejus. Posteà instrumento calefacto, injice unciam unam vel alteram cum cochleari ferreo, quo injecto repone iterum operculum, & instar nebulæ albæ unà cum phlegmate egredientur spiritus in recipientem; quibus evanescentibus & condensatis, plus iniice vitrioli, atque hoc tamdiu continua, donec vas tuum repletum sit; tunc enim operculum auferendum, & cum cochleari ferreo caput mortuum eximendum; quo ablato plus iniice vitrioli, atque id tamdiu repete, quamdiu volueris, vel donec sufficientem nactus sis copiam spirituum. Tandem omnibus refrigeratis aufer recipientem, liquoremque effunde in retortam, quam colloca in arenâ, ex leniſſimo ignis calore spiritum volatilem separa ab oleo gravi: oportet autem vas recipiens spiritum illum volatilem, optimo luto retortæ unitum esse, quale docebitur in 5. parte. Spiritu volatili omni egresso, quod percipere licet è guttulis majoribus, aufer recipientem cerâ obturandum, aliumque repone (sed absque luto) ad phlegma seorsim capiendum, & remanebit in retorta oleum grave,

ve, nigrum & corrosivum, quod si vis, rectificationis gratia, poteris fortiori igne elicere: Et si non, fac ut omnia refrigescant, quo facto exime retortam, & affunde oleo spiritum prædictum volatilem, quam colloca in arena, ignemque administra moderatissimum, & unicè egredietur spiritus ille volatilis, relicto omni phlegmate cum oleo, attrahente illud ratione siccitatis suæ. Hac igitur ratione spiritus ille omni privatur phlegmate, & planè igneus redditur, sed non corrosivus. Qui si non rectificatur ab oleo proprio, non diu perseverat in bonitate sua, quia temporis progressu, pulveris rubri præcipitatione, privatur suis viribus, & aquæ similis redditur; quod si rectificat, fieri nequit. Causa autem hujus præcipitationis est debilitas spiritus, à nimia copia aquositatis causata, qua fit ut sulphur suum retinere nequeat; quod tamen facilè retinet rectificatus à proprio suo oleo. Pulvis autem ille ruber non spernendus, sed conservandus diligenter, quia non minoris pretii quàm spiritus: estque nihil nisi sulphur volatile vitrioli virium mirandarum, quarum non nullæ recensebuntur.

Vsus & Dosis Sulphuris narcotici vitrioli.

ADministratur gr. 1.2.3.4. vel plurium pondere, habitâ nimirū ratione ægrotantis: Mitigat dolores dulcem provocat somnum, non instar opii, hyoscyami, aliorumque soporiferorum, scil. non periculosum, sed tutum & suavem: Cujus beneficio gravissimi curantur morbi, cui Paracelsus multum

tum attribuit, ubi scripsit de sulphure embryonato.

De usu & virtute Spiritus Vitrioli volatilis.

HIc spiritus sulphureus proprietate præditus subtiliandi & penetrandi; aliquot enim guttularum pondere administratus sudoris gratiâ, permeat universum corpus, aperit obstructiones, & instar ignis omnes vitiosos humores consumit: Estque egregia medela in Epilepsiâ, Maniâ, suffocatione matricis, scorbuto, melancholiâ hypochondriaca, aliisque morbis ab obstructione & putredine sanguinis proficiscentibus. Prodest quoque in peste, cunctisque febribus. Mixtus cum spiritu vini pro quotidiano usu, mirabilia præstat in extrinsecis accidentibus. Item in apoplexiâ, contracturâ, aliisque nervorum affectibus, parti affectæ afflictus; penetrat ad ossium medullam; calefacit & recreat nervos duros. In colicâ si præter intrinsecam administrationem, in clistere applicatur, evestigio juvat. Loco podagrico illitus, mitigat dolores, tollit tumores & inflammationes; & præ cæteris scabiem curat, impetigines, serpigines &c. curat recentia vulnera & antiqua, cancrum, lupum &c. exstinguit ambustiones, inflammationes, gangrænam, & consumit nodos cutaneos. In summâ hic spiritus à veteribus *sulphur Philosophorum* vocatus, universaliter operatur in cunctis morbis, cujus vires laudari satis nequeunt; quarè mirum, quod hodiè tàm rarò reperiatur. Aquæ fon-

fontanæ mixtus, gratam illi conciliat aciditatem, ità ut referat acidulas. Curantur etiam domi per hunc ſpiritum alii morbi, qui aliàs thermarum uſu curantur. Poſſem hîc recenſere, quomodo hic ſpiritus in magnâ copiâ impetrandus & quidem abſque deſtillatione pro balneis, quo miracula præſtari queunt, ſed ob hominum ingratitudinem differetur ad aliud tempus.

De viribus & uſu Olei vitrioli corroſivi.

NOn multum in medicinâ uſurpatur, quamvis in omnibus ferè officinis reperiatur, aciditatis conciliandæ gratiâ ſyrupis & conſervis. Poteſt quoque miſceri aquæ fontanæ, ad reſtinguendam ſitim præternaturalem & viſcera interna refrigeranda. Extrinſecè illitum mundificat ulcera ſive vulnera immunda, purum ab impuro ſeparando, & bonum fundamentum facit. Reſolvit quoque rectificatum nonnulla metalla & in vitriola redigit, cumprimis autem Martem & Venerem; miſceri autem oportet cum aqua; aliàs enim difficulter illa aggreditur, fit autem id ſequenti modo.

Vitriolum Martis & Veneris.

ACcipe oleum vitrioli grave unà cum phlegmate (ſeparato priùs ſpiritu volatili) & affunde illud laminis cupri aut ferri, & colloca vitrum in arena calida, donec oleum nihil amplius ſolvat; poſteà effunde ſolutionem, eamque filtra, quam denuò col-

colloca in cucurbita humili in arena calidâ, ad evaporandum phlegma, donec cuticula supernè appareat: tunc ignem exstingue, & ubi refrixerit, colloca exemptum vitrum in loco frigido, & intra paucos dies virides producentur crystalli è Marte, è Venere autem subcœruleæ, quas exemptas sicca super chartâ emporeticâ; residuum denuò colloca in arena ad evaporandum ut anteà; atque id toties, donec omnis solutio abierit in vitriolum. Est auhoc vitriolum purius meliusque communi, meliorem enim dat spiritum volatilem &c. Conficitur etiam vitriolum è prædictis duobus metallis cum sulphure vulgari, sed via difficiliori prædicta, quarè hîc studio omittitur.

Vitriolum Lunæ cæruleum.

SOlve rasuram Lunæ cum oleo vitrioli rectificato additione aquæ, sed non tantæ, quanta requiritur, ad confectionẽ vitrioli Martis & Veneris. Vel quod melius solve calcem Lunæ, præcipitatam ex aqua forti cum cupro vel aqua salsa; Solutione peracta, illam decanta & filtra, posteà guttatim affunde spiritum urinæ, vel salis armoniaci, donec strepere cesset, & ferè omne argentum præcipitabitur in pulverem album; quem unà cum liquore effunde in phiolam, & colloca in arenâ 24. horarum spatio ad coquendum, & ferè totam calcem solvet iterum liquor ille, & cœruleum indè acquiret colorem: solutionem decanta, filtra & abstrahe humiditatem superfluam, donec appareat cuticula: posteà in fri-

frigido colloca ad producendum vitriolum; & cum residuo liquore procede, ut suprà dictum de Marte & Venere.

Atque hac ratione conficitur argenti vitriolum egregium, quod per se administratum à gr. 4. 5. 6. ad 10. catharticum est Cephalicum. Et si habes ejus copiam, quod destillare illud possis, accipies non modò spiritum acidum, sed etiam volatilem, præstantissimum in omnibus affectibus cerebri: residuum in destillatione in corpus reducibile est, ità ut nihil pereat argenti, nisi quod abiit in spiritum.

Cæterum Oleum Vitrioli acidum præcipitat cuncta soluta, sive sint metalla sive lapides, animalis etiam piscíumque lapides, corallia & perlas, salis spiritu vel nitri, eoque reducit in pulveres levissimos, (Magisteria officinarum) elegantiores præcipitatis cum sale tartari: Cumprimis corallia & margaritæ redigentur in pulverem nitidissimum, nec-non mater perlarum, & cochlearum testæ, margaritis orientalibus similimum. Qui modus hactenùs fuit secretus, cui ille magisteria ex aceto per sal tartari præcipitantur, non comparandus. Pulveres prædicti adhuc pulchriores redduntur, si præcipitantur cum spiritu sulphuris accido, ità ut loco cosmetici cutis nigræ usurpari possint.

Non possum silere hîc abusum erroremque hactenùs commissum in præparatione horum magisteriorum. Paracelsus in suis archidoxis docuit præparationem magisteriorum EXTRACTORUM; quibus planè dissimilia nonnulli ipsius discipulorum præscribunt, mentem Paracelsi prorsus non assecuti

cuti. Sine dubio Paracelsus præscripsit magisteria confortantia & vitalia; discipulorum verò ejus sunt corpora mortua & inefficacia, etsi nitidissima.

Non negaverim quod è corallis & perlis confici possint medicamina præstantissima, quorum & ego nonnullas præscribo præparandorum vias, sed non instar vulgarium. Quid enim quæso utilitatis è lapide soluto cum aquis corrosivis, iterumque in lapidem præcipitato? potestne hac ratione virtus ejus multiplicari? minime, potius verò diminuitur, Multa enim à corrosivis spiritib. ceu igne destruuntur, nec omnia in igne sive aquis corrosivis emendantur, sed potiùs major pars corrumpitur. Sed ais, propterea in talia rediguntur Magisteria, ut in subtilissimum redacta pulverem eò citiùs operentur. ℞. Corallia, Perlæ, aliaque soluta aquarum corrosivarum beneficio, iterumque præcipitata & edulcorata, vix ac ne vix quidem solubilia iterum in ejusmodi spiritibus acidis. Quarè in illâ præparatione res potiùs corrumpuntur quàm emendantur, & potiùs occluduntur quàm recluduntur: testatur enim experientia, magisteria illa prædicta non præstare promissa.

Liquet inde perlas & corallia cruda archeo stomachi esse gratiora, utpotè quibus essentia sua subtilis vi corrosivorum non combusta; cujus ratione multa sanè præstare possunt. Veteres enim coralliis & perlis attribuerunt virtutem renovativam sanguinis corrupti, ablativam melancholiæ & tristitiæ, & confortativam cordis, & lætificativam; quod etiam efficaciter præstant; minimè autem

tem magisteria illa prædicta; quia cruda efficaciora magisteriis combustis. Non enim latet prædictos morbos utplurimum proficisci ex obstructione lienis, quæ non nisi succus tartareus, sive pituita acida, occupans viscera interna, ibique coagulabilis. Ex quâ obstructione proficiscuntur cephalea, vertigo, tremor cordis & partium, lassitudo spontanea, vomitus, appetitus præternaturalis, nausea, horror, calor præternaturalis momentaneus, aliaque plura symptomata; nec quidem hæc solummodò, sed etiam putredo & corruptio sanguinis, producentes lepram, scorbutum, scabiem fœdam, &c. quorum malorum omnium origo tartarus crudus acidus; id quod probatur vomitu crebriore acido melancholicorum aliorumque, cui acetum acerrimum vix comparabile, dentes instar pomorum immaturorum stupefaciente. Quid hîc consilii? Ablatâ causâ tollitur morbus: quæ si catharticis auferretur, utique esset bonum, sed plerunque illa respuit. Per vomitum aliquatenus diminui potest, sed non unicuique consulendus vomitus, quibus periculosus. Utrum igitur tartarus ille mortificandus suis contrariis? id quod fieri quodammodò potest per vegetabilia & animalia, sale volatili prædita; utpotè sunt nasturtiorum genera, semen sinapi, raphanus major, cochlearia; spiritus tartari, cornu cervi, urinæ, &c. Penetrantia, tartarum microcosmi quærentia, & contrariorum instar mortificantia: in quo duello duorum contrariorum oritur effervescentia quædam insignis, corpus calefaciens, sudoremque producens; & quo-

ties

ties ejusmodi per contraria producitur sudor, toties aliquid tartari mortificatur. Sed quià parum singulis vicibus humoris acidi mortificatur & dulcificatur per spiritum volatilem, quarè sæpius repetenda operatio ad mortificandum omnem tartarum. Et quia (ut dictum) sudor fortis provocatur qualibet vice, spiritus vitales labefactans, id quod periculosum, propter jacturam virium, ægro faciendam, consultius est humori acido famelico objicere concedenda, quibus corrosiva ipsius qualitas mortificatur & dulcificatur, non naturæ humanæ inimica & contraria, sed grata & amica, utpotè corallia & perlæ. Omnium enim, quotquot sunt lapides, solubiliora corrallia, perlæ, oculi cancrorum &c.

Quod autem corallia & perlæ mortificent corrosiva, & quod coralliorum perlarumque ope tartarus coagulatus acidus reducatur in liquorem dulcem (medicinam naturæ humanæ amicam) nunquam iterum coagulabilem, demonstrabitur posteà, ubi acturus sum de tartaro.

Melius igitur non datur remedium in coagulationibus tartareis, viscerumque obstructionibus proficiscentibus à prædominio pituitæ acidæ, quàm coralliorum rubrorũ & margaritarum pulvis, manè jejuno stomacho administratus à ℈ ß ad ʒ. ı. habita ratione patientis, ad jejunandum posteà 2. vel 3. horarum spatio, quotidiè nimirum usque ad curæ finem. Hac ratione humor acidus mortificabitur & dulcificabitur à corallis & perlis, ut possit posteà per naturam evinci, qua ratione obstructio reseratur & tollitur morbus.

Hanc

Hanc meam opinionem de corallorum usu vero & magisteriorum abusu, operæ pretium esse duxi apponere, & si cum fastidio multorum imperitorum scil. in gratiam nimirum veritatis amatorum indagantium, qui re ipsa experientur rem ità sese habere: incredulus sua sibi quisque retineat magisteria.

Et si tibi res mira videtur, corallorum perlarumque pulverem in stomacho concoctum vires suas exserere, quid tibi videbitur de corallis & margaritis integris devoratis ab humore melancholico consumendis, ita ut nihil illorum pec alvum excernatur? item de metallis duris & compactis utpotè ferro & Zinck: Sed hoc intelligendum velim de melancholicis, non item de sanguineis & pituitosis, quibus rarò ejusmodi præscribuntur. Sæpè enim vidi robustis administratam ferri rasuram à ℈ ß ad ʒj pro unâ vice contra obstructiones, ad quos plus utilitatis inde rediit, quàm ex medicinis pretiosissimis officinarum; quorum inde facta fuerunt nigra excrementa, quemadmodum fieri consuevit in acidularum usu, à mineris ferreis, quas permeant, vires suas mutuantium.

Etsi rasura Martis non consumitur, unde quæso illa excrementorum nigredo? patet igitur indè dura & cruda metalla à stomacho concoqui posse: Etsi hoc verum, quid ni etiam corallia & margaritæ? Probatur idem exemplo puerulorum, quibus administrantur grana 4. 6. 8. 12. 16. limaturæ Martis subtilissimæ contra lumbricos, quos enecat & evacuat stomachum & intestina, excrementa nigricans. Sed hoc in hoc casu observandum, lum-

bricis occisis & in intestinis relictis sive non expulsis, necesse esse posteà administrare purgans aliquod, illos evacuans, quià Mars in minori dosi non sufficienter operatur, sed solummodò laxat; ne renascantur alii è mortuis. Senioribus autem major administrari potest dosis, nimirum à ℈j. usque ad ʒj. ad mortificandos & expellendos simul lumbricos: Etsi quandoque concurrat vomitus, nihil periculi inde, sed potius meliores inde evadunt. Non autem solum adversus lumbricos, sed & contra febres stomachicas, cephaleas & obstructiones totius corporis, tutò administrari potest Mars, ceu naturæ non inimica medicina, instar magnetis noxios attrahens humores. De cujus viribus mirabilibus vide *libellum* nostrum *de Sympathia & Antipathia rerum.* Quas nonnulli Medici animadvertentes cogitârunt illum arte emendare, sed inefficacem potius ipsum reddiderunt, admoventes nimirum frustum chalybis ignitum Sulphuri ad liquefaciendum chalybem, quem liquefactum excepêre in vasculo aliquo aquâ repleto, & posteà siccatum & pulverisarum contra obstructiones, sed frustrà administrarunt: quia Mars per sulphur redditur insolubilis, & per consequens inefficax: Sed si reddidissent ipsum solubiliorem, utique benè egissent. Sulphur enim solvi nequit neque per aquam fortem neque per regiam, quomodò igitur solubile per humorem aliquem animalem.

Atque hæc dixisse sufficiant de humore acido melancholicorum consumente lapides & metalla facile solubilia, nec proin opus esse corrodere

coral-

corallia & perlas antequam administrentur; quia archeus stomachi satis potens ad consumenda illa, & ad sibi amicum attrahendum ope nimirum prædictorum humorum. Non est autem mea opinio, id ipsum de omnibus metallis omnibusque lapidibus intelligendum esse, non enim ignoro alia cruda absque præmissa præparatione ægrotis minimè esse administranda. Quæ autem dicta, propterea dicta, ut videamus quomodò sæpè res optimæ ex ignorantiâ potius corrumpantur quàm emendentur. Sperabo igitur neminem hac mea admonitione offensum iri, quia hac in parte non meam ipsius laudem, sed proximi utilitatem quæsivi. Nunc igitur iterum ad vitriolum.

De Oleo Vitrioli dulci.

MEminerunt veteres Olei vitrioli dulcis, curantis epilepsiam, necantis lumbricos, aliarumque virium, *distillandi* (ut perhibent) *per descensum*; Ad quod obtinendum juniores omnem moverunt lapidem, sed frustra. Si quidem non intellexerunt veteres, dum studuerunt vi ignis illud elicere; non enim dulce, sed corrosivum & acidum, viribusque illi dissimile impetrârunt; cui nihilominus tantas vires (sed falsò) attribuerunt, quantas veteres suo in rerum veritate. Testatur enim experientia, Oleum vitrioli vulgi non curare epilepsiam, nec lumbricos enecare; quod tamen Philosophicum præstat subitò. Quarè videre est, illud scil. vulgi, vero oleo vitrioli medicinali non esse comparandum. Non

negaverim, quod è vitriolo communi vi ignis per descensum eliciatur oleum subviride, quod tamen alteri vulgariter facto non est dissimile, quia æque corrosivum ac si fuisset factum per retortam. Paracelsus, Basilius, aliique authores pauci olei nimirum dulcis, magni semper illud fecerunt, & pro Quarta Medicinæ columna statuerunt, perhibet enim Paracelsus, non privandum esse sua viriditate, (id quod exiguus calor præstare potest) quâ enim si privatur (perhibet ille) privatur etiam suis viribus & suavitate: Vnde videre licet, non vi ignis conficiendum illud oleum &c. Verisimile quoque est, veteres qui tantoperè celebrarunt vitrioli oleum, nesciviſſe hodiè usitatam destillationem: quia simpliciter naturam secuti tot inventiones, stillandique modos non usurpârunt.

Sed utut sit, fieri non potest ejusmodi dulce oleum viride ignis nimirum violentia, sed potius vi purificationis via quadam peculiari; quia sæpè veteres per destillationem intellexerunt purificationem; uti apparet ex verbis illorum dicentium; *Destilla per filtrum*, sive *chartam emporeticam*; quæ nobis destillatio non est. Sed hisce omissis certè latet magnus in vitriolo sanitatis thesaurus; sed non in communi illo; ignis calorem experta, sed adhuc in minera suâ latente in terra reperta. Quæ è terra eruta facilè privari potest calore solis spiritu suo subtili, qui arte elicitus suavior ambra & musco est; id quod est mirabile in oculis vulgi, quod tanta in tam vili re lateat medicina regia. Sed non est hujus loci illius præparatio, quia hîc agitur solum-

lummodò de illis ſpiritibus, qui vi ignis eliciuntur; nec eſt hujus loci olei dulcis & viridis præparatio, quia abſque igne conficitur; & quamvis hoc non ſit hujus loci, dabo tamen hic ejus præparationem, quam hactenus ſemper ſecretam habui, in gratiam nimirum ægrorum relictorum. &c.

Ritè enim paratum non ſolùm curat epilepſiam ſenum atque puerorum, lumbricoſque citò enecat tam in corpore quàm extra corpus, ut perhibuêre veteres, ſed etiam per illud alii curantur morbi, aliàs incurabiles, utpotè peſtis, pleuritis, febres, cephaleæ, ſuffocationes uterinæ, nec non obſtructiones totius corporis, cumprimis autem lienis & epatis, melancholia hypochondriaca, ſcorbutus, &c. Corrigit etiam ſanguinem, illumque renovat, quâ ratione curantur morbi abominabiles, utpote morbus Gallicus, lepra, aliæque ſanguinis impuritates. Curat etiam mala externa, utpotè ulcera fiſtuloſa fœtida totius corporis undecunque profecta citò & tutò, ſi non ſolùm extrinſecè ſed etiam intrinſecè adminiſtrantur.

Tales & alii hoc curantur oleo dulci feliciter, cumprimis abſque jactura dulcedinis rubificato; tunc enim incredibilia præſtat, ità ut mereatur nomen Panaceæ: Sequitur ipſa

Præparatio olei citrioli dulcis.

REperitur plerunque in quâvis terrâ pingui lutoſâ, cumprimis verò alba lapis quidam rotundus vel oblongus quantitatis ovi, interdum etiam minoris, inſtar articuli alicujus digiti, externè

niger, quarè non æstimatur; internè verò lotus & fractus aurei coloris instar Marcasitæ aureæ, vel mineræ alicujus auro divitis; nullius saporis, nec alterius quàm aliorum lapidum; qui etsi pulverisatus diù coquitur in aquâ nec mutatur, nec mutat aquam, ità ut aqua remaneat eadem qualis fuit anteà, odore, sapore & colore. Atque hic lapis est vera optimaque vitrioli minera, Metallorumque semen per naturam, instar seminis vegetabilis rotundum, in terrâ seminatum, è quo conficitur medicina egregia, ut sequitur.

Expone hanc mineram frustulatam aëri frigido aliquantisper, & intra 20. vel 30. dies attrahet ex aëre vi quâdam Magnetica, peculiarem aliquam humiditatem salis naturæ participem, undè ponderosior redditur, quarè fatiscit tandem in pulverem nigrum; qui tamdiu in aëre relinquendus, donec albescat, & vitriolarem dulcedinem gustatus referat. Cui posteà affunde in vasis vitreis aquam pluvialem puram ad eminentiam 1. vel 2. duorum digitorum transversorum; & quotidie agita pulverem aliquoties; & intrà paucos dies aqua virideſcet; quam decanta, aliamque reaffunde, prioremque laborem toties repete, donec amplius non coloretur aqua. Quo facto aquam tinctam filtra per chartam emporeticam, & fac illam in cucurbita abscissa evaporare usque ad cuticulæ apparentiam; posteà colloca in loco frigido & producentur lapilli elegantissimi cærulei coloris, qui non sunt nisi vitriolum purissimum. Quo ablato colloca aquam residuam iterum ad evaporandum, & crystallisandum

dum ut antè, atque id repete toties, donec non amplius producatur vitriolum, sed remaneat liquor viridissimus dulcis & suavis permanens in calido, & frigido, qui verum est illud oleum vitrioli dulce viride, viribus prædictis præditum.

Quomodò verò absque igne redigatur in oleum sanguini instar rubrum, dulce & suave; post apparitionem nimirum variorum colorum, viribusque & suavitate excellens viride, ad instar uvæ maturæ excellentis immaturam; id non est hujus loci & temporis docere, poterit autem fortassis fieri alia occasione. Sufficiat igitur nunc benevolo lectori oleum viride, cujus præparationem & usum diligenter addiscat; & absque dubio plura mirabilia ipsius beneficio præstabit, quàm hactenus cum illo corrosivo & acido.

VSVS & Dosis olei vitrioli dulcis.

ADministrari possunt pro una vice gutt. 1. 2. 4. 8. usque ad 10. vel 12. habita ratione personæ & ægritudinis, in vehiculis appropriatis, in vino, cervisia, mane jejuno stomacho; ad instar aliorum medicamentorum, quorum dosis augetur & diminuitur, & quotiescunque opus est repetitur.

Expellit omnes vitiosos humores non solùm per sedes & vomitus, sed etiam per urinam & sudorem, habita nimirum ratione, prædominantis superfluitatis: & quidem absque omni periculo: qua ratione multi curantur morbi radicitus.

Noli autem mirari, quod tantas huic oleo attri-

buam vires profecto è re viliſſima, viaque ſimpliciſſima parato, cujus proceſſus non artificioſus & tædioſus: quibus referta magna volumina, iiſque falſis & doloſis, quibuſque vita teritur humana. Sed mirum non eſt quod tanti æſtimentur ejuſmodi falſi proceſſus & ſumptuoſi, quia non creditur aliquid boni delitescere in rebus vilioribus, ſed pretioſa ſaltem & exotica æſtimantur, quorum præparatio laborioſa & ſumptuoſa. Atque iſti homines fidem non adhibent verbo Divino dicenti; *Deum non inſpicere hominum perſonas, ſed cunctos, quotquot ſunt hominum diligentium & timentium Ipſum, accipere.* Quod ſi verum, neceſſario ſequitur Deum creaſſe medicinam ſive materiam medicinalem tàm pro pauperibus quàm pro divitibus: quæ ſi pro pauperibus creata, utique talis quoque erit conditionis, ut poſſit facilè & comparari & præparari. Videre enim licet Deum non ſolum in agris divitum, ſed etiam alibi, & quidem ubivis locorum produxiſſe ſalubria vegetabilia, animalia & mineralia, profligandorum nimirum morborum gratiâ. Unde liquet, voluntatem eſſe Divinam, quod ab omnibus cognoſcantur illa; ille verò creator ab omnibus propterea honoretur & celebretur.

Sine dubio reperientur Zoili ſpernentes hoc ſubjectum, in quo nihil invenire licuit illis; quibus hoc; quod tam mihi quàm illis adhuc multa mirabilia naturæ lateant; Et quod ego non primus, qui de Vitriolo, ejuſque medicinâ ſcripſerit; multa enim ſemper vitriolo à veteribus attributa fuêre, ut patet è ſequentibus:

Viſ-

Visitabis Interiora Terræ Rectificando Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.

QUibus docuêre veram in ipso delitescere Medicinam. Noverunt illud quoque juniores Philosophi: Basilius enim & Paracelsus illud passim in suis libris summoperè celebrant. Et est mirabile quod prædicta Minera, sive semen Metallicum quod meretur nomen auri Medici (quia tanta inde parari potest Medicina) nunquàm sub terrâ alteretur instar aliorum, sed semper suam retineat speciem & formam, donec in aërem veniat, qui ipsius terra, in quo putrescit & crescit. Primò enim in ipso intumescit instar seminis vegetabilis in terrâ; attrahens ex aëre suum incrementum & nutrimentum instar seminis alicujus vegetabilis è terrâ, attrahentis. Nec solum aër ipsius matrix est in quâ crescit & augetur, sed est etiam ipsius sol qui ipsum maturat; spatio enim 4. septimanarum putrescit & nigrescit; albescit postea 14. dierum spatio; tandem etiam virideſcit; ut dictum supra. Et si ulterius cum ipso procedetur Philosophicè, sequetur tandem rubedo excellentissima, medicina nobilissima pro quâ Deo omnipotenti grates immortales. Amen.

De Spiritu Sulphureo volatili & Acido Salis communis & Aluminis.

QUemadmodum ille vitrioli, ita etiam hic Salis & aluminis conficiendus. *Mo-*

Modus præparandi.

ALumen ita per se injicitur absque mixtione; sal autem mixtum cum bolo vel aliâ quâdam terrâ, fusionis scil. prohibendæ gratiâ: Egreditur autem unà cum spiritu volatili, Spiritus quoque acidus, cujus virtutes habentur in Prima Parte. Oleum aluminis est earundem ferè virium cum Oleo vitrioli; sicuti etiam utriusque spiritus volatilis unius ferè ejusdemque proprietatis. Non autem dant tantam copiam sal commune & alumen, quantam dat vitriolum, nisi mixta.

De Spiritu Volatili Sulphureo mineralium & Metallorum, eorumque præparatione.

EIusmodi quoque spiritus sulphureus volatilis elicitur è mineralibus atque metallis viribus excellentiorem illo, qui elicitur è vitriolo, alumine & sale; sequenti nimirum modo.

Præparatio Spiritus volatilis metallorum.

SOlve Martem, Venerem, Jovem vel Saturnum, cum spiritu vitrioli, vel salis communis acido: Deindè abstractâ prius humiditate, elice iterum spiritum acidum, & trahet secum è metallis spiritum volatilem separandum vi rectificationis à corrosivo: atque hi spiritus efficaciores sunt illis qui conficiuntur è salibus.

Spiri-

Spiritus volatilis mineralium præparatio.

84. MIneræ antimonii pulverisatæ, marcasitæ aureæ, vel alterius cujusdam mineralis sulphurei part. 2. Nitri purificati part. 1. Misce; & projice per vices mixturam in instrumentum, singulis nimirum vicibus parum, & egredietur spiritus viribus non cedens prioribus, rectificandus.

Alius modus.

CEmenta metallum quodvis laminatum vel granulatum, (auro excepto) cum parte dimidiâ sulphuris, in crucibulo forti clauso, ne quid sulphuris evaporare possit, per horam dimidiam, donec sulphur laminas penetraverit & fregerit: quas tere in pulverem & misce cum æquali pondere Salis communis, & elice inde spiritum modo suprà tradito volatilem efficacissimum. Usurpantur autem singuli, habitâ ratione diversitatis metalli ad partes humani corporis sibi proprias, utpotè Lunæ spiritus ad cerebrum, Jovis ad pulmones, Saturni ad lienem.

Spiritus è Zinck.

ELicitur ex hoc minerali spiritus volatilis & acidus, quorum ille prodest cordi sive sit confectus cum spiritu vitrioli, sive aluminis sive salis: quia Zinck aureis qualitatibus præditum.

Spiri-

Spiritus Volatilis Scoriarum Reguli Martis.

DAnt quoque scoriæ nigræ Martis stellati, postquam in aëre abivere in pulverem, spiritum sulphureum volatilem efficacem, similem prioribus.

Possunt quoque ex aliis mineralibus ejusmodi spiritus elici volatiles & sulphurei, quos omnes & singulos recensere est superfluum, quià iisdem facultatibus præditi omnes & singuli.

Spiritus Salis nitri acidus albus & volatilis ruber.

℞. ALuminis part. 2. Salis nitri part. 1. misce optimè, & per vices parum injice in instrumentum, modo suprà dicto, & egredietur unà cum spiritu volatili spiritus acidus: Oportet autem ad singulas libras specierum, libram unam quoque aquæ immittere in recipientem, ut eò facilius capiantur spiritus volatiles: qui spiritus posteà levissimâ balnei rectificatione superandi; oportet enim spiritum volatilem purum & sincerum capere, quare recipiens tempestivè mutandus, ne phlegma misceatur spiritui rubro, cujus admixtione debilitaretur & albesceret: hoc igitur observa; quandò egreditur spiritus ille volatilis, tunc intensè rubescit recipiens, qui veniente phlegmate iterum albescit; denuóque rubescit veniente spiritu acido, sed non adeò prout in spiritus volatilis egressu.

Potest quoque aliâ capi ratione, utpotè si nitrum misceatur cum duplâ quantitate boli, farinæ tegu-

tegularum &c. fusionis prohibendæ gratiâ; præstantior autem est modus ille primus, cum primis propter spiritum illum volatilem rubrum.

De usu spiritus volatilis rubri.

HIc spiritus cumprimis rectificatus semper permanet ruber, rubetque instar sanguinis, viribusque planè similis est prioribus cum primis autem in gangrænâ & sphacelo linteolis applicatus commendatur: similiter excellit ferè cætera omnia in erisypelate & colicâ, item in sugillationem profecta ex lapsu vel contusionibus tam externe (mixtus cum aquis appropriatis) quàm internè administratus.

Qui si miscetur cum spiritu volatili urinæ, dat saem mirabilem, de quo infra.

De usu spiritus Salis nitri acidi.

HIc non multum usurpatur in medicinâ, etsi in omnibus ferè officinis reperiatur inserviens iisdem usibus, quibus spiritus vitrioli acidus de quibus supra actum; miscetur enim conservis & syrupis aciditatis conciliandæ gratiâ. Usurpatur quoque à quibusdam in colicâ, sed reverà nimis est corrosivus & hebes, etsi aquæ admixtione ipsius acrimonia quodammodò obtunditur, comparari tamen cum illo nequit, quia maxima inter illos differentia, quemadmodum inter album & nigrum.

Quapropter ille ad medicos usus reservandus, hic verò ad metallorum mineraliumque tractationes

nes, ad redigenda nimirum metalla in vitriola, flores, calces & crocos.

Aqua Regis.

SOlve in hoc spiritu (acido nimirum nitri) salem communem calcinatum, & urge per retortam vitream ex arenâ igne forti, & ità fortificabitur, ut possit dissolvere aurum & cuncta cætera metalla & mineralia (Lunâ exceptâ & Sulphure) & quidem separare melius nonnulla quàm Aqua Regia facta cum Sale Armoniaco. Et si rectificatur per lapidem calaminarem, vel per Zinckum, adeò exaltatur, ut possit cuncta metalla & mineralia solvere (solâ Lunâ & sulphure exceptis) cum quo plus perpetrari potest in metallorum tractatione, quàm cum spiritu nitri & aqua forti vulgari, ut postea demonstrabitur, & primo quidem per auri præparationem.

Præparatio auri tonitruantis.

℞. AUri puri granulati vel laminati purgati per antimonium vel per aquam fortem, q. v cui affunde 4. vel 5. partes aquæ regis, colloca in cucurbita obturata in arena calida, & solvetur aurum ab aqua regia intra horas duas in liquorem flavum: quod si non fit, est signum debilitatis aq regiæ, vel ejus affusæ insufficientis quantitatis tunc decanta solutionem & plus affunde aquæ regiæ, iterumque colloca in arenâ calidâ vel in cineribus ad solvendum, & factâ solutione auri remanebi

nebit calx quædam alba, quæ non nisi argentum insolubile ab aqua regia. Aqua enim R. sive sit facta vulgari modo cum sale Armoniaco, vel cum sale communi, argentum solvere nescit; sicuti nec A. F. aurum solvere potest, nec etiam nitri spiritus: cum cætera cuncta metalla solubilia sint tam in aq. R. quam in A. F. Quare cave ne accipias aurum mixtum cupro, quod unà cum auro solveretur, & præcipitaretur impedimento futuro accensionis. In defectu vero ejusmodi auri cape Ducatus, vel Rosas Nobiles, quæ moneta creditur carere cupro, nullum enim periculum ob admixtum illis argentum, ab A. R. insolubile, & instar pulveris albi remanens in fundo insolutum. Quare accipe prædictam monetam (candefactam prius) & in gyros redactam, & projice illam in A. R. ad solvendum. Quo facto affunde solutioni flavæ, oleum tartari guttatim, per deliquium nimirum factum, & aurum præcipitabitur instar pulveris coloris medii inter flavum & fuscum, ob contrarietatem liquoris salis tartari, relictâ solutione clarâ. Cave autem ne plus quàm sufficit præcipitationem, affundas olei tartari, aliàs enim aurum præcipitatum partim iterum solveretur & quidem non sine impedimento futuro. Auro præcipitato, decanta aquam claram ab auri calce, cui toties aquam calidam affunde, singulis nimirum vicibus aurum agitando spatulâ lignea, & in loco calido collocando, donec aurum iterum præcipitetur, & aqua pristinam suam acquirat claritatem, quoties opus fuerit ad auferendam omnem salsedinem & acrimoniam; qua ablata aurum collocan-

locandum in solis, vel quovis alio moderato calore ad siccandum: sed hic cave, ne calor ille excedat calorem mensis Maii vel Junii, propter periculum accensionis, & consequenter adstantium; cumprimis si magna ejus esset copia, ingens inde fragor instar tonitruantis profecturus; quare prudens esto, si nolis facere jacturam auri & sanitatis.

Poteris etiam aliâ ratione aurum præcipitatum edulcorare, ut sequitur nimirum. Effunde illud unà cum liquore salso in chartam bibulam, sive emporeticam, duplicatam, collocatam in infundibulo vitreo, ut aqua destillet in excipulum vitreum appositum; qua ablatâ, affunde aliam, sed dulcem & calidam, atque id toties, donec omnis acrimonia fuerit ablata. Quo facto exime chartam bibulam unà cum auro, ex infundibulo, & colloca eam super aliam siccam nimirum & copiosam, & siccitas chartæ bibulæ omnem attrahet humiditatem ex auro, qua ratione facile siccatur aurum. Quod postea auferendum & in alia munda ad usus suos conservandum. Aqua salsa filtrationis beneficio collecta, in vase vitreo, humiditatis evaporatione, in salem, ab aëre præservandum, coagulari poterit, qui quoque usui medico destinatus, ob latentem in ipso qualitatem auream, inperceptibilem nimirum ob ejus perspicuitatem; perceptibilem verò, si fundatur in crucibulo mundo cooperto, & effundatur in mortarium mundum cupreum calefactum; fit enim tunc sal sub purpurei coloris; cujus exhibentur grana 6. 9. 12. usque ad 24. purgans stomachum & intestina cumprimis in febri-

bus

bus, & aliis stomachi affectibus. Relinquiturque in crucibulo (sale effuso) materia quædam terrestris, à sale separata, flavescens; quæ fusa igne fortiori, in crucibulo parvo abit in vitrum flavum, tincturâ solis imprægnatum, præditum grano argenti, similimi cupellati, in quo nullum omnino reperitur aurum, id quod admirandum; quia à plerisque creditur Chymicis, argentum esse insolubile in A. R. id quod etiam verum. Quæritur igitur nunc, unde illud argentũ venerit, si in A. Reg. sit insolubile? Forte quis respondebit, delituisse illud in Oleo tartari, quia à multis creditur, *quod salia in metalla sint transmutabilia*, cui opinioni non contradico, sed saltem nego quod hic (in hâc præparatione) id fieri potuerit: si enim argentum fuisset in sale tartari, vel A.R. quæ tamen illud ferre nequit, utique etiam cum auro fuisset præcipitatum.

Quod autem non fuerit argentum, sed aurum, quod in argentum abiverit, tincturâ nimirum ablatâ, paucis probabo. Aqua enim illa salsa reliqua ex auri præcipitatione, profecta & mixtione salis tartari & aquæ regiæ, hanc habet proprietatem, quod pennam immissam, quamvis clara sit & alba, purpureo inficiat colore, qui auri non argenti color est; argentum enim tingit colore rubro vel nigro: unde liquet, aquam illam salsam aliquid auri retinuisse secum. Instas; si aqua illa aliquid retinuit auri, quare in fusione dedit argentum & non aurum? R. Nonnulla salia habent proprietatem privandi aurum in fusione suâ ani-

mâ & tincturâ; quâ revera ablatâ, non amplius aurum est, nec esse potest; sicuti nec argentum, sed corpus inutile nigrum & volatile, plumbo etiam volatilius, ignem ferre minimè potens, cumprimis autem examen capellæ, exiguum etiam ignem instar Mercurii & arsenici fugiens, quare auri fixitas suæ animæ sive tincturæ attribuenda, & non corpori. Verisimile igitur aurum esse separabile in partes nobiliores & ignobiliores, & proin reducibile in medicinam tingentem. Nunc autem non disputabo de medicinâ illâ Philosophorum antiquorum, cuncta metalla in aurum tingente, quod nimirum hoc impetretur modo; non enim negaverim, esse & aliud subjectum altiore Tincturâ præditum, Tincturâ nimirum auri, nihil per naturam præter necessitatem fixitati suæ requisitam possidens. Attamen crediderim auri Tincturã sive animam, rite separatam à corpore suo nigro, esse exaltabilem, ita nimirum ut possit postea plus corporis alicujus imperfecti perficere, quàm fuit corporis proprii perfecti. Sed ut ut sit, hoc verum est & certum, quod aurum realiter privatum suâ anima, amplius non sit aurum, prout fusius demonstratur in *Tractatu* meo *de Auro potabili vero* : Atque hæc propterea hic apponere volui, ut artifex tale granum in laboribus suis inveniens, scire possit, unde proficiscatur illud.

Potuissem hanc auri (fulminantis) ommittere præparationem, ut pote ab aliis etiam traditam; sed quia in Primâ Parte promisi flores auri, quos verò

verò ex auro fulminante conficere oportet, operæ prætium esse duxi, ejus descriptionem hîc quoque dare, ne lector illius gratiâ alios evolvere libros opus habeat in confectione horum florum. Atque hæc communissima omnium Chymicorum via, in quâ facile erratur, & quidem vel in nimiâ affusione liquoris tartari, (cum primis non puri, unde fit quod non omne præcipitetur aurum, non sine incommodo) vel calcis justo gravioris præcipitatione, ritè non fulminantis, inutilisque sublimationi. Quare meliorem dabo præcipitationis modum, cujus beneficio totum aurum absque omni jacturâ præcipitatur ex aqua regiâ, levissimum & flavissimum. duplo plus fulminans. Nec est alia inter hanc & illam præcipitationem differentia, quàm quod in hâc loco Olei tartari usurpetur spiritus urinæ vel salis armoniaci, ad aurum præcipitandum, cujus beneficio aurum melius præcipitatur, edulcorandum postea, ut supra dictum.

De usu Auri fulminantis.

DE usu medico hujus calcis adhuc corporeæ nec sufficienter referatæ, & per consequens humanæ naturæ ingratæ, non multum dici potest, quamvis ita per se ad gr. 6. 8. 12. & ℈j. sudoris provocandi causâ administretur in peste aliisque febribus malignis, sed sine fructu aliquo singulari. Nonnulli calcinârunt hanc calcem mixtam cum æquali pondere sulphuris communis, cujus

beneficio quidem ipsi adempta vis fulminans, sed non aucta fuit medica, quia calx illa hâc ratione, utpotè crudâ præparatione emendari non potest. Quomodo verò vitalis inde paranda medicina, testificans aurum aptum esse Medicinæ subjectum, quod in medicinam præparari possit efficaciter dotes sibi divinitus traditas demonstrantem, nunc paucis demonstrabo.

Fac ut habeas instrumentum cupreum, simile ferè illi, cujus beneficio conficiuntur spiritus volatiles, brevius tamen, nec supernè operculo præditum, sed fistulâ applicabili Recipienti, cui hic applicari debet absque lutatione, si modò illa hunc satis profunde, in ventrem nimirum ejus intret: fundus quoque hujus instrumenti planus esto melioris commoditatis ergo, prope quem esto ostiolum arctissimè claudens foramen. Quibus omnibus peractis, fac quoque ut habeas duas scutulas argenteas vel cupreas, magnitudinis unius unguis, quarum beneficio imponitur aurum fulminans. Collocandum autem vas illud cupreum super tripode, ut carbones aliquos vivos infernè collocare possis, ad calefaciendum fundum: Quo ita collocato unâ cum recipiente vitreo immobiliter fundoque calefacto, imponenda unâ scutularum cum gr. 2. 3. 4. fulminantis auri, quâ impositâ claudendum ostiolum, & aurum sentiens calorem ignis, accendetur cum fragore; unde fit, quod auri partes separentur, aurique corpus dissolvatur; facto enim fragore statim per fistulam in Recipientem adscendit aurum instar fumi

fumi purpurei, qui abit in pulverem purpureum. Postea exime scutulam evacuatam, alteramque impone cum forcipulâ, aurum continentem, quod etiam accendetur, fragoreque facto abibit in flores: & interea temporis prima refrigescet, quæ ubi refrigerata, denuo replenda, & reponenda in instrumentum calidum, exemptâ alterâ. Atque hoc, per vices unam post alteram imponendo scutellam, continuandum, donec sufficientem acceperis copiam florum. Tandem instrumento refrigerato, exime aurum non sublimatum cum pede leporino nulli usui inserviens, quare iterum reducendum in aurum beneficio borracis, pallidius paululum priore. Flores autem in Recipiente non ita facile eximuntur, cum primis facti additione nitri, ut de floribus Lunæ dicetur, quia humiditate aliquâ præditi. Quare infunde tantum spiritus vini tartarisati, quantum sufficit ad illos agitatione separandos à Recipiente, quo facto, effunde vini spiritum unà cum Phœnice combustâ in vitrum mundum colli oblongioris, quod colloca luto optimo prius obturatum in B. leni, vel in cineribus calidis, & spiritus vini rubescet, quem decanta, recentemque reaffunde; denuóque colloca in calido ad solvendum: quo facto, misce extracta illa duo prædicta, & ex cucurbitâ vitreâ abstrahe vini spiritum in B. à tincturâ; quæ quidem pauca in quantitate, rubicundissima verò & suavissima sapore. Residui flores tincturâ extractâ aquæ ablutione è vitro eximendi, qui siccati si funduntur, dant

aliquid auri pallidi, major enim pars abit in vitrum fusci coloris, in quo forte aliquid latet mihi incognitum adhuc.

NB. Si aurum fulminans miscetur cum nitro ante fulminationem, dat flores solubiliores, tincturam citius deferentes, quàm aurum fulminans per se: Poteris igitur sivis triplum admiscere nitri (ut dicetur de Luna) & postea in flores redigere.

Usus tinctura Solis sive Auri.

EST medicina præstantissima, cor hominis confortans & exhilarans, sanguinem totum renovans, & propterea varios gravissimos curans morbos, uti lepram, morbum Gallicum, &c. Utrum verò hæc Tinctura sit reducibilis in esse quoddam fixum beneficio Vulcani, id ipsum ignoro egomet ipse, quia nihil ulterius tentavi.

De Floribus Lunæ, & ejusdem Medicina.

UT satisfaciam promissis Primæ Partis, ubi egi de floribus metallicis, nunc etiam agam de floribus Lunæ traditis auri; qui sequenti conficiuntur modo.

℞. Argenti puri laminati vel granulati q. v. cui affunde duplum pondus spiritus nitri rectificati, & evestigio hic incipiet dissolvere illud: cessante verò solutione in frigido, colloca cucurbitam in arenâ calidâ vel cineribus, ibique relinque donec

nec omne argentum sit dissolutum : Deinde effunde solutionem è priori in aliam cucurbitam cui alembicum applicare possis, & in arenâ abstrahe medietatem spiritus nitri : Postea ubi refrixerit, exime cucurbitam, eamque cum solutione relinque stare immotam per diem unum & noctem, & Luna sive argentum abibit in crystallos albas foliatas, separandas à residuâ solutione, à quâ denuo medietas spiritus abstrahenda, & cum illâ iterum ut antea procedendum ; atque id totics donec ferè omne argentum abiverit in crystallos, exiccandas super chartâ emporeticâ, & ad usus suos conservandas.

Solutio verò residua, quæ non abiit in crystallos, coctione super ignem in vase cupreo, cum aquâ dulci præcipitatur in calcem, edulcorandam, siccandam & ad usus suos conservandam, vel in corpus iterum reducendam. Vel si præcipitatur cum aquâ salsâ, dat calcem post edulcorationem & siccationem, facile fusilem non spernendarum virium, faciléque solubilem in spiritu urinæ, salis Armoniaci, cornu cervi, succini, fuliginis, & capillorum ; è quâ optima parari possunt medicamenta, uti postea dicetur de spiritu urinæ. Vel sinon vis præcipitare residuam illam solutionem, poteris inde cum spiritu urinæ extrahere egregiam Tincturam, uti postea docebitur.

De usu Crystallorum Lunæ.

POssunt per se tuto usurpari in medicinâ, si administrantur 3. 6. 9. 12 gr. pondere, habitâ ratione patientis, cum sacharo vel in formâ pilularum. Purgant suaviter absque periculo; ingratæ tamen ob amaritudinem, & inficientes palatum nigredine, nisi administrentur in formâ pulularum : quæ autem causa sit hujus nigredinis, non est hujus loci, illius reddere rationem, sequetur autem mox. Inficiunt quoque metalla, utpote argentum, cuprum, stannum nigredine, quare usus earum formidatur.

Et si in solutione illâ argenti, antequam nimirum producentur crystalli, medietas quoque solvitur Mercurii vivi generabuntur inde crystalli alumen referentes, non ita facile sicuti illæ in aëre solubiles, nec ita amaræ, celeriusque operantes.

Quomodo prædictæ Crystalli in flores redigendæ, & ex hisce medicina egregia conficienda.

℞. CRystallorum foliatarum Lunæ q. v. quibus admisce pondus æquale nitri purissimi & siccissimi, conterendo super lapide calido : Postea impone instrumento ferreo carbones pulverisatos ad eminentiam duorum digitorum transversorum, cujus fistulæ ingens Recipiens optimo luto applicetur, & inferne accende ignem usque

usque adeò, ut ubiq; candeat unà cum carbonibus sibi impositis, instrumentum scil. prædictum. Postea amoto operculo injice cum cochleari ferreo 3j crystallorum Lunæ, vel plus minus, habitâ ratione Recipientis, quo facto repone operculum & unà cum crystallis accendetur nitrum à carbonibus collocatis supra fundum instrumenti, egredieturque fumus argenteus in Recipientem: paulò post nebulâ dissipatâ plus injice, & id continua donec omne argentum injeceris præparatum. Quo facto infunde spiritum vini alcolisatum ad flores eluendos è Recipiente, cum quibus procede in omnibus, ut supra dictum de auro, & accipies liquorem subviridem cerebro proficientem.

Tandem exime quoque carbones è vase destillatio, eosque subtilissime tere, & ablue pulverem levem, & accipies, multa granula argentea, à nitro relicta, reducibilia igitur in argentum bonum. Paratur etiam & alia medicina egregia ex hisce crystallis, viribus non cedens priori, efficacissima contra affectus cerebri; ut sequitur.

Oleum Lunæ viride.

AFfunde crystallis Lunæ duplum vel triplum pondus spiritus salis armoniaci fortissimi, colloca ad digerendum 8. vel 14. dierum spatio in vitro colli oblongioris, & tingetur spiritus salis armoniaci colore cæruleo: Solutionem decanta, filtra, & ferè omnem in B. abstrahe spiri-

tum salis armoniaci (denuò infervientem) è cucurbitâ vel retortâ, & remanebit in fundo graminis instar viridis liquor, ad usus medicos conservandus. Et si forte ad siccitatem usque salis viridis abstraheretur salis armoniaci spiritus, tantum spiritus reaffundere oportet, quantum sufficit ad solvendum salem in liquorem. Quam Tincturam si desideras præstantiorem, omnem abstrahe humiditatem, ad siccitatem usque lapideam, cui affunde vini spiritum optimum, qui statim lapidem illum dissolvet: solutionem filtra, & fecibus rejectis accipies tincturam meliorem, à quâ potior pars spiritus vini iterum abstrahenda, qua ratione non modò ejus exaltatur color sed etiam virtus. Volens autem poteris salem illum sive lapidem viridem (antequam extrahitur vini spiritu) destillare per retortam vitream, & dabit spiritum subtilem, unà cum oleo quodam acri, relicto in fundo retortæ argento planè fusili &c.

In affusione spiritus salis armoniaci, vel vini huic lapidi solutionis gratiâ, vitrum adeo refrigescit, id quod mirum, ut vix manu tenere possis, quæ frigiditas aliunde non, nisi à Lunâ frigidæ naturæ proficiscitur.

Usus liquoris viridis in Alchimiâ & Mechanicis.

NOn modò medicinæ inservit, sed aliis etiam operationibus (deargentat enim cuprum & vitrum) inservit curiosis in re suppelectili. Possunt

sunt enim illius beneficio patinæ, disci, scutellæ, salina, pocula, è vitro confecta instar argenteorum, facilè sine sumptu magno tam interne, quàm externe deargentari, ita nimirum ut pro argenteis habeantur.

Et præter prædicta medicamina aliquid aliud è Lunæ Crystallis fieri potest, si nimirum solvuntur in aquâ carholicâ per naturam destillatâ, nemini incognitâ, & suo tempore digeruntur, fiet inde absolutâ coctione brevi, postquam apparuerint colores varii, essentia quædam suavis, non ita amara uti liquor ille viridis, vi caloris nondum maturatus.

N B. Possunt etiam reliqua metalla (prius in vitriola & salia redacta) beneficio illius Menstrui Universalis, diuturniore digestione medicinalia fieri, tunc enim non amplius mortua sunt corpora, vitalia enim reddita beneficio illius præparationis; nec amplius avarorum sed Philosophorum & Medicorum sunt metalla.

Extra Medicinam.

PRæstant hæ crystalli, præter medicinam, & alia mirabilia: si nimirum solvuntur in aquâ pluviali, colorant pilos, barbam, cutem & ungues hominum & bestiarum, colore incarnato, rubro, fusco & nigro: pro ut nimirum major vel minor quantitas dissolvitur in aqua; vel sæpius pili humectantur solutione illâ. Quâ ratione hominum & bestiarum species alteratur & incognita redditur;

tur ; quod in quibusdam casibus non ita sper nendum. Quæ coloratio fieri quoque potest cum Saturno & Mercurio, aliter autem præpa randis, ut in Quarta parte docebitur.

Atque sic docui conficiendi rationem florum & tincturarum auri & argenti, quæ fit cum spiri tu nitri acido. Possent quidem plura alia appon medicamina ex illis parabilia sed non sunt hujus loci; de quibus tamen partim in hâc, partim in se quentibus partibus mentio fiet ulterior. Et quem admodum ex auro & argento, ita etiam è viliori bus metallis beneficio spiritus nitri bona eliciun tur medicamina : quorum autem pr paratione rectius dantur alibi in hoc libro; nihilo minus u nam dabo uniuscujusque metalli præparatio nem; incipiens de cupro.

Medicina cupri ad usus externos.

SOlve laminas candefactas in igne, nitri spiri tu, & iterum abstrahe spiritum ad siccitatem, nec tamen ad nimiam; & remanebit massa subviridis : quàm poteris per vices injicere in instrumentum ad destillandum, ut de Lunâ dictum; & dabit spiritum efficacem nec non flores copiosos, extrinsecè usurpandos in vulneribus antiquis corruptis, bonum curationis fundamentum facientes.

Medi-

Medicina Martis.

EOdem etiam modo procede cum Marte, & remanebit crocus optimus magnæ virtutis typticæ; è Marte cumprimis parata. Utiliter miscentur cum unguentis & emplastris.

De Iove & Saturno.

SAturnus & Iupiter soluti, abstractione partis alicujus spiritus dant crystallos claras & dulces. Facilius solvitur Saturnus quàm Jupiter, nec hujus crystalli adeò dulces sicuti illius: utriusque tamen tuto in medicinâ usurpari possunt. Possunt quoque inde elici spiritus & flores; quorum dare præparandi modum, non est necesse; prout enim Lunæ parantur, ita etiam cæterorum metallorum spiritus & flores.

Vsus crystallorum Saturni & Iovis.

SAturni crystalli in peste sudoris promovendi, venenique expellendi gratiâ merito usurpantur. Extrinsecè si administrantur solutæ in aquâ cum linteolis, cunctos exstinguunt inflammationes ubicunque fuerint in toto corpore. Suum quoque præstant officium spiritus (per se scil.) flores verò unguentis mixti. Crystalli Jovis non ita celeriter operantur, suum tamen quoque præstant officium. Sunt gratiores Saturni Crystallis, est enim

est enim in Jove purum sulphur auri, in Saturno verò sulphur album argenti, ut demonstrabitur in meo *libro de Naturâ & generatione metallorum.*

De Mercurio.

MErcurius vulgi solutus in spiritu nitri rectificato, dat abstracto prius iterum spiritu, præcipitatum rubrum elegantem; qui non ita elegans, si solutio facta cum spiritu non rectificato, propter impuritatem relictam à spiritu nitri. Atque hic Mercurius calcinatus à nonnullis appellatur *Mercurius præcipitatus*, ab aliis *Turbith minerale*; quo Chirurgi, & Medici imperiti morbum Gallicum curare solent, administrantes pro unâ vice gr. 6.8.10. plus minus (habitâ ratione præparationis, si enim spiritus non ita fortiter abstrahitur, violentior est tunc ejus operatio, quàm si fortissimo igne abstrahitur. Spiritus enim relicti cum Mercurio stimulant ipsum & operari faciunt, quod per se facere nequit.

Sicuti nec cætera metalla aliquid operari possunt, nisi præparata cum salibus & spiritibus, exceptis Zinck & ferro, facilè solubilibus, quæ absque præmissâ solutione (uti dictum supra de Oleo vitrioli) operâri possunt.

Patet autem inde corrisivos spiritus operationis illius esse authores; si enim uncia dimidia Mercurii currentis propinaretur, parum tamen facturus, sed per alvum integer iterum descensurus;

rus; cum aliàs aliquot saltem grana præparati cum salibus & spiritibus violenter operantur, cumprimis autem quo solubilior eo efficacior & violentior, ut videre est in sublimato de sale & vitriolo, cujus etiam granum unum plus valet quam gr. 8. vel 10. Turbith mineralis; grana enim 3 vel 4. sufficiunt occidere hominem. Violentius operatur quàm sublimatus solutus nimirum in nitri spiritu & crystallisatus, ita ut absque periculo non audeas admovere linguæ: quod aliqui animadvertentes, aquam fortem leni saltem igne ab ipso abstraxêre, & remansit iis Mercurius flavus, qui minori dosi plus præstitit quàm ruber.

Nec solum hunc extrinsecè usurparunt carnis putridæ abolendæ gratiâ cum ingenti dolore patientis, sed etiam intrinsecè administrârunt absdiscrimine senibus atque juvenibus loco cathartici, quod sanè omnium crudelissimum. Hic enim nospes quomodocunque paratus, non nisi nocere potest nisi redactus in esse irreducibile in argentum vivum; tunc enim absq; jacturâ salutis tuto intro assumi potest, de quâ re alibi forte fusius.

Nunc etiam detegam maximum quendam errorem in gratiam puerulorum. Ubique ferè locorum mos est, quod ferè in quovis puerulorum affectu incognito, administretur Mercurius vivus lumbricorum occidendorum gratiâ, utpote medicina ob insipiditatem, aptissima, à medicastris nimirum ignorantibus naturam Mercurii nervis nocuam. Multi enim arbitrantur Mercurium ita præ-

præparatum, quod majori dosi administrari possit (qualis est sublimatus dulcis) esse optimè paratum medicamen, sed errant illi boni viri, melior enim est non ita exacte paratus, quia minori dosi exhibitus non tantum minatur periculum. Solutus enim in A. F. vel spiritu nitri, si administratur in adultis in morbo Gallico, tantâ noxam inferre nequit quia minori dosi exhibitus operatur; quâ ratione natura juvatur in expellendo veneno: cumprimis autem frangitur malitia Mercurii salivationibus, à se excitatis; quam proprietatem natura provida implantavit ipsi. Quare non tantum quantum dulcis minatur periculum, qui pueruli administratur à 10. usque ad 30. gr. causans in illis (nisi robusti) infirmitatem membrorum, vix evincibilem contracturam minantem. Errant quoque illi, qui tamdiu aquam vel cervisiam concutiunt cum Mercurio, donec turbida, redditur, quàm postea propinant pueruli contra lumbricos, dicentes se non substantiam Mercurii sed solummodo virtutem ejus propinare; at si paululum relinquerent immotam illam aquam, utique inventuri essent Mercurium vivum in fundo. Et ut verum fatear, nunquam adhuc vidi fructuosum successum ab exhibitione mercurii dulcis, & aquæ illius turbidæ. Verisimile autem, Mercurium præcipitatum lumbricos occidere posse, quia potenter operatur. Sed quis adeò insanus, qui pueruli suis medicinam crudelissimam maximéque pestiferam administrare velit, cum reperiantur, quæ absque periculo usurpari possunt, quales videre

lere licet ſupra ubi actum de Marte, & oleo vitrioli dulci.

Atque hæc dixiſſe ſufficiant de abuſu Mercurii: & ſperabo neminem in poſterum tam incautè oſpitem hunc ingratum & malignum, ruinam oſpitii molientem, hoſpitaturum, nec aliis hoſpitandum præſcripturum: Et ſanè illa cura commendari nequit quâ curatur unum, duo verò vel tria perduntur membra. Quemadmodum videre licet in morbo Gallico, ubi unum aliquod infectum membrum male curatum per Mercurium, toti corpori reliquo minatur periculum. Conſulo igitur abſtinere à peſſimis ejuſmodi medicinis, & loco illorum eligere ſalubriores, quæ abſque periculo uſurpari poſſunt, quarum pluriæ reperiuntur in hoc libro. Etſi quis male tractatus per Mercurium male paratum, tunc meora non dantur remedia, quàm metallica, cumrimis parata ex auro & argento, affinitatem haentia cum Mercurio; quæ ſi ſæpius adminiſtrantur, attrahunt Mercurium ex omnibus partibus, ecumque evacuant; unde corpus ab ipſo iterum beratur.

Alias, in defectu nimirum aliorum, extrinecè uſurpari poteſt Mecurius minori cum periculo quàm intrinſece, utpote in tollenda carne uperflua vulnerum; tutius autem adminiſtrantur oleum corroſivum antimonii, vitrioli, alumiis & ſalis communis &c. ſed rectius procederetur, ſi vulnera in principio non negligerentur ex acuriâ; ſi ſtatim nimirum optima applicarentur

medicamina præcaventia ſymptomata & accidentia, tollenda poſtea corroſivis illis crudeliſſimis. Optimè autem inſervit prædictus ille Mercurius pediculis afflicto, utpote militibus & ſcholaribus, quos occidit adſperſus, ubicunque fuerint, tam in veſtibus, quàm capitibus puerorum: ſed & in hoc caſu cautè procedendum, *omne* enim *nimium vertitur in vitium*, propter periculum cutis corrodendæ per illum.

De aquâ Forti.

EX Partibus æqualibus ſulphuris & vitrioli, vel è partibus duabus vitrioli & unâ ſulphuris (ſi debiliorem deſideras) elicitur aqua per deſtillationem, inſerviens metallorum ſolutioni & ſeparationi; utpote auri ab argento, & vice verſâ argenti ab auro, de quâ re videre licet Partem Quartam. Inſervit quoque ejuſmodi aqua fortis aliis operationibus chymicis, quibus metalla rediguntur in ſalubria medicamina. Et quia nitri ſpiritus & aq. fortis unum ſunt ferè idemque. aqua enim fortis rectificata idem præſtat quod nitri ſpiritus, & vice verſa, nitri ſpiritus quod aqua fortis, nihil hic locorum amplius de iis dicendum judicavi, qua re reſiduum uſque ad Partem Quartâ reſervabo. Sine dubio erunt, cumprimis ignari Chymici ex uſu ſolummodo operantes, qui reprehendent hanc meam opinionem de aq. forti factâ è nitro & vitriolo; & de nitri ſpiritu facto abſ-

cto absque vitriolo, affirmantes illam participem esse spiritus vitrioli.

℞. Etsi admiscetur vitriolum nitro in præparationem aquæ fortis, parum tamen vel nihil egreditur illius spiritus in illâ destillatione cum nitri spiritu; quia ille moderato calore ignis non ita sicuti hic elevari potest; alterius enim causâ non admiscetur vitriolum, quam ad prohibendam fusionem nitri, quo eo facilius spiritus ejus eliciatur. Et si nolis credere, misce parum olei vitrioli rectificati cum nitri spiritu, argenti deaurati solvendi gratiâ, & experiere nitri spiritum ineptum factum additione spiritus vitrioli metallorum separationi, quia aurum aggreditur, quod aquæ forti non attribuitur.

De nitri spiritu sulphurato.

Fieri quoque potest nitri spiritus cum sulphure, ut moris est apud quosdam, qui nitrum in retortâ amplâ terreâ furno incamerata superiore parte tubulatâ, fluere faciunt, & in fluxu per tubulum injiciunt sulphuris particulas magnitudinis pisorum per intervalla quod accensum à nitro, abijt unà cum nitro in spiritum, quem nonnulli *Nitri spiritum*, alij autem *sulphurus oleum* appellavêre; sed neque hoc est neque ille, nec enim metalla instar illorum dissolvit, nec adeò efficax in medicinâ.

Qui si inserviret operationibus Chymicis, utique posset commodius fieri per nostrum instru-

mentum & quidem in majore quantitate, quàm viâ illâ vulgari.

Sulphur verò mixtum nitro certi ponderis & in ignem projectum Primæ Fornacis, dat factâ combustione utriusque peculiarem quendam spiritum, de cujus viribus alibi.

De Cliſſo.

MOderni medici mentionem faciunt alicujus spiritus confecti ex antimonio, nitro & sulphure, mixtis in anaticâ quantitate, *Cliſſum* appellatum, quem in magno & quidem merito, habent pretio; multa enim præstat rite paratus. Et in præparatione illius inventor ejus usus fuit retortâ tubulatâ, cujus mentio facta apud spiritum nitri sulphuratum. Qui modus, ignoto meliore, non contemnendus, aſt si author sciviſſet meum, utique retortam suam tubulatam omisiſſet. Species prædictum spiritum ingredientes optimæ, sed non item pondus illarum: ad quid enim tantum sulphuris, quod cum tam modico nitro comburi nequit?

Etsi non comburitur sed sublimatur, & proin collum retortæ obstruit, unde destillatio impeditur, quomodo vires suas de se dare hâc ratione potest? Quare non tantum sulphuris, sed debita ejus proportio admiscenda, quanta sufficit nitro comburendo; Talis nimirum: ℔. Nitri lib. 1. sulphuris ʒiiij. sed propter admixtionem antimonii (quod copiosi particeps sulphuris combustibilis, ut de-

ut demonstrabitur in Parte Quarta) non opus est tantum sulphuris antimonio admiscere combustionis gratiâ, utpote sulphure prædito. Quare meam, quam meliorem illâ judico, compositionem apponam. ℞. Antimonij lib. j. salis nitri lib. ij. sulphuris ℥iij. Misce species optime contritas; & de mixturâ pro unâ vice accipe unciam unam vel alteram, quam cum cochleare injice in instrumentum; & egredietur spiritus sulphureus acidus antimonii, qui miscebitur aquæ Recipienti antea impositæ, qui factâ destillatione exemptus diligenter conservandus.

Est egregium sudoriferum in peste, febribus, epilepsiâ, aliisque diaphoresi egentibus: caput mortuum in flores redigi potest in Fornace Primâ.

De spiritu Nitri Tartarisato.

EAdem ratione destillatur spiritus è nitro & tartaro, æquali pondere mixtis, præstantissimus in peste & febribus malignis. Caput mortuum inservit calcibus metallorum reducendis; vel loco humido in oleum tartari dissolvi potest.

De spiritu Antimonii Tartarisato.

ADhuc efficacior elicitur spiritus è tartaro, nitro & antimonio, æquali pondere mixtis tritis, qui ob ingratitudinem non formidandus. Non enim solum in peste & febribus, sed etiam

in omnibus obstructionibus sanguinisque putredine mirabiliter & celeriter operatur. Caput mortuum fusum dat regulum, de cujus usu in Pare Quartâ. E scorijs elici potest Tinctura cum vini spiritu rubra præstantissima in multis morbis; vel etiam si nolis Tincturam, poteris inde conficere lixivium rubrum cum aquâ dulci, in scabie præstantissimum; quod lixivium aceti vel alterius cujusdam spiritus acidi affusione præcipitatur in pulverem rubrum medicis usibus destinatum, appellatum à nonnullis sulphur auratum diaphoreticum; ast non est diaphoreticus ille pulvis, quia vomitus excitat; quare in casu necessitatis in defectu aliorum vomitoriorum administrari potest à gr. 6. 7, 9. ad 15. Elicitur etiam è scoriis cum spiritu urinæ sulphur quoddam elegans, & per alembicum elevatur, præstantissimum in omnibus pulmonum affectibus.

De Carbonibus mineralibus.

HI carbones cum nitro æquali pondere mixti, dant spiritum mirabilem, extrinsece usurpandum, mundificat enim & consolidat vulnera celeriter. In destillatione hujus spiritus simul egreditur aliquid metallicum, in formâ pulveris rubri, quod à spiritu separandum & seorsim conservandum.

Si per se destillantur prædicti carbones, non solum dant tunc spiritum quendam acrem, sed etiam quoddam sanguinis instar rubrum & calidum,

lum, ulcera humida exsiccans & consolidans; origine cumprimis curans; consumens quasvis utis excrescentias humidas ubicunque locorum uerint. Sublimati verò carbones fossiles in Prinâ fornace, dant una cum spiritu quodam acido netallico, copiosos flores nigros levissimos, quamvis hæmorrhagiam cito sistentes qui mixi emplastris aliis metallorum floribus non sunt ninores viribus.

De spiritu Nitri, vel Aquâ forti sulphureâ.

℞. SUlphuris partem unam, salis petræ partes duas, vitrioli partes tres, misce & destilla aquam, quæ graduatoria separatoria est, sulphur valde redolens, quod per nitrum & vitriolum ad volatilitatem redactum, in metallorum separatione longe efficacior illâ communi.

Denigrat argentum sibi impositum sed non fixat; affusa solutioni Lunæ præcipitat calcem nigram, sed non fixam. Per rectificationem fit inde spiritus fortissimus volatilis sulphurus, ijsdem cum aluminis & vitrioli spiritibus viribus præditus, extrinsecò usurpatus in balneis.

De spiritu Arsenici Nitroso.

℞. ARsenici albi & nitri puri ana; misce, tere subtilissimè & destilla: & dabunt spiritum cœrulei coloris; qui albescet si aqua est in

Recipiente, arsenicum, cujus cœruleus ille color, præcipitans, quare hic ea omittenda.

Hic spiritus solvit cuprum, illudque argenteo, sed non fixo tingit colore, & malleabile reddit. Dealbat quoque cuprum caput mortuum, si cementatus cum ipso, sed non malleabile reddit. Quomodo verò bonum cum fructu separetur argentum ab arsenico, docebitur in Parte Quartâ. Hic spiritus cœruleus prodest in cunctis corrosivis & cancrosis vulneribus mortificandis & curandis illitus.

Spiritus sulphuris, Tartari crudi & Nitri.

℞. Sulphuris part. j. Tartari crudi part. ij. Nitri part. iiij. contere & destilla philosophice, & egredietur spiritus mirabilis, præstantissimus in Medicinâ & alchymia. Sed nemini author fuêrim destillare illum per retortam, quia illa mixtura ab infra calefacta, instar pulveris tormentarii tonat & percutit; supernè verò cum carbone vivo accensa non fulminat, sed celerrimè consumitur; inserviens metallis fundendis & reducendis.

Spiritus salis Tartari, sulphuris & Nitri.

℞. Salis Tartari part. j. sulphuris part. 1½. salis Nitri part. iij. misce & contere. Hæc mixtura instar auri tonitruantis fulminat, & sicuti supra dictum de auro, flores inde & spiritus eliciuntur, vi-

tur virium non contemnendarum. Nam unius corruptio, alterius generatio est.

Spiritus scobis, sulphuris & Nitri.

℞. SCobis ligni Tileæ part. j. sulphuris optimi part. 2. nitri purissimi & siccissimi part. 9. misce, & per intervalla modicum injice in instrumentum destillatorium, & egredietur spiritus acidus, mundificans immunda vulnera. Prædicta mixtura mixta cum mineralibus & metallis pulverisatis, dat non solùm spiritum efficacem metallicum, sed etiam flores juxta proprietates metallorum & mineralium. Destruuntur enim metalla & mineralia igne hoc vehementi, & quasi emendantur, de quâ re non consultum plus dicere, considera modo dictum Philosophi: Est impossibile sulphur sine flammâ delere calcis adustibile quod præstat fossa minera.

Nec autem solum mineralia, & metalla funduntur & quidem subito in manu vel nucis putamine, sed etiam cupellantur hujus mixturæ beneficio; quâ rationem nonnullæ mineræ, nonnullaque metalla melius probantur, quam viâ illâ vulgari cupellarum: vide Partem Quartam de hâc re. Atque hic *Ianua aperta cognitionis Magnorum Secretorum*, quam si intrare licet, librorum lectione amplius non opus est.

Spiritus & flores metallici, ex linteo beneficio nitri.

SOlve metallum quodvis in menstruo suo appropriato, in quâ solutione solve certum nitri pondus; postea humecta linteola in illâ, quæ iterum postea exsiccanda; & habebis metallum inflammabile, ubi sicuti paulò ante de scobe dictum, combusto sulphure superfluo, mercurialis metalli substantia revelatur. Factâ destillatione, relinquitur certa quædam calx purificata, affricta alijs, colorans metalla; auri enim calx deaurat argentum; argenti deargentat cuprum; calx cupri cupreo colore afficit Martem &c. quæ etsi non sit fructuosa coloratio, possibilitatem tamen artis demonstrat: sine dubio latet aliquid in eâ, quod multis velatum.

De pulvere tormentario.

MUlta essent dicenda de compositione, abusuque diabolico hujus pulveris, sed quia mundus sanguinem sitiens ferre nequit vituperationē injustitiæ, laudesque justitiæ, consultum esse duxi silere de ejusmodi rebus, veniet enim tempus, quando quilibet actionum suarum reddet rationem coram Iudice justo, cordium scrutatore, separatore bonorum & malorum, ad instar auri à scorijs, separandorum. Et tunc quidem apparebit, quales Christiani fuerimus; omnes quidem profitemur Christum, quem tamen re ipsâ denegamus,

gamus, spernentes alij alios, & damnantes vel propter verbuli alicujus sensum, ac proin maledicentes alij alijs, & lethali odio prosequentes; id quod Christus nos non docuit, sed mutuam nobis commendavit charitatem; malarumque actionum recompensationem faciendam non malis, uti fieri solet hodie, sed bonis actionibus: nemo est, qui quærat honorem divinum, sed proprium; ubique enim prævalet avaritia, ambitio, & Pharisaica pietas, literatorum, adeò obstinatorum, ut ne unguem latum quidem ab opinione præconceptâ decedere velint, quantumvis vel totus illorum causâ interiret mundus.

Ecce Christianos è fructibus dignoscendos! Nunc adeò lupi lanâ ovillâ amicti, ut vix dignoscantur, nisi ex operibus. Omnia nunc in pejus ruunt, fœminæ mutantur in viros, & vice versâ viri in fœminas, & quidem contra Dei & naturæ ordinem. In summâ Mundus grallatur. Procul dubio si Heraclitus & Democritus reviviscerent, si unquam antea, certè nunc sat causæ mundum deridendi & deplorandi habituri essent. Non igitur mirum, si Deus nos hodie terribili hac pœnâ tormentarij nimirū pulveris, affligit, quam sine dubio sequetur horribilior (nobis non resipiscentibus) cum tonitru & fulmine cœlitus, mundum aliquando destructuris, finemque facturis avaritiæ, ambitionis, fraudis omnisque vanitatis, à quâ omnis creatura liberari anhelat.

Estque pulvis tormentarius (venenum pernicioſissimum, terrorque omnium viventium) non nisi

nisi fulmen terrestre, annuncians nobis iram divinam, Christique adventum. Et quia Christus veniet judicatum vivos & mortuos, cum tonitru & fulmine, procul dubio hoc terrestre nobis datum futuri illius reminiscentiæ causâ : quod cum ita sit, nihilominus non modò non consideratur, sed potius à plurimis male usurpatur, nimirum ad affligendos & perdendos homines, sicuti palam est.

Nemo enim negabit, quod non detur velocius venenum pulvere tormentario. Ajunt de Basilisco, quod oculis suis occidat homines, à quo quis sibi præcavere potest, qui si est, rarò tamen reperitur; hoc verò veneni genus ubivis terrarum reperitur. Sæpe enim accidit, ut locus conservationis hujus pulveris feriatur fulmine tanquam à suo simili; unde fit quod omnia & singula circumcirca ruinam patiantur in aërem avolantia subito. Nec desunt testimonia urbium in obsidione hujus beneficio miserrimè destructarum; Plura quoque alia & quidem inevitabilia pericula minatur pulvis tormentarius.

Et quia semper à Philosophis & Chymicis statutum, quod quo majus virus, eò major inde paretur Medicina virus adimenti; cujus rei veritatem probat quotidiana experientia; uti videre est in antimonio, arsenico, Mercurio, alijsque mineralibus, quæ cruda venenata sunt; præparata verò præstantissima & excellentissima medicamenta, id quod non quilibet, excepto Spagyro, capere potest. Quare agens in hac parte de spiritibus medi-

medicinalibus alijsque medicamentis, operæ pretium esse duxi, ea quoque quæ è pulvere tormentario parantur, utpote non minora alijs, quantum fieri quidem potest, hic locorum communicare & describere: ut sequitur.

Spiritus pulveris tormentarij.

VAse destillatorio calefacto, illique applicato Recipiente ampliſſimo (sine luto nimirum, aquam dulcem continente, impone scutellam unam post alteram cum gr. 12. vel 15. pulveris tormentarij, ut supra dictum de auro, plus enim imponere non audes, ob nimium inde profecturum ventum Recipientem fracturum: pulvere impoſito, subito claude ostiolum, & pulvere accenso excitabitur ventus commovens Recipientem, & nebula alba egredietur. Pulvere combusto plus injice, non enim exspectandum donec nebula evanuerit, id quod tædiosam facturum esset destillationem: atque id tantisper continua dum sufficientem nactus sis copiam spiritus. Tandem omnibus refrigeratis, aufer Recipientem & effunde spiritum unà cum aquâ ipsi infusâ in principio destillationis (ablutis prius floribus) in cucurbitam vitream rectificationis gratia in B. & stillabit aqua turbida sulphur redolens, quam serva; in cucurbitâ verò invenies salem album, conservandum in cucurbitâ.

Exime etiam caput mortuum è vase destillatorio salem referens cinerei coloris, quem in crucibulo

bulo cooperto calcina ut albescat (cave tamen ne fluat) cui affunde aquam prædictam fœtidam per alembicum destillatam solutionis gratiâ, & feces abjice insolubiles. Solutionem filtra, & affunde sali albo reservato in cucurbitâ, à quo spiritus ille sulphureus abstrahebatur; quam colloca cum alembico copulandam circa juncturas optimè munitum in arenâ, & abstrahe aquam sulphuream flavescentem nunc, & sulphur magis redolentem. Quæ aqua si aliquoties reaffunditur sali, denuoque abstrahitur, instar lactis ferè albescet & dulcescet, sulphur amplius non redolens; præstantissima in omnibus pulmonum affectibus: quæ argento illita, inficit illud aureo colore non fixo; & in digestione maturata abit in meliorem Medicinam. Sali verò reliquo in cucurbitâ administra ignem fortiorem, ita ut arena candescat, & sublimabitur in alembicum sal albissimus sapore ferè referens salem armoniacum; sublimabitur etiam alius ad medietatem cucurbitæ sub flavi coloris, saporisque mineralis & mordicantis. Prædicti duo sales commendantur in peste, febribus malignis, alijsque morbis diaphoresi egentibus; potenter enim movent sudorem, & quandoque lenes sedes, purgant & roborant stomachum. Reliquas vires medicas ignoro. Usurpari quoque possunt in Alchimiâ, sed non est hujus loci, tractatio usus Chymici. Tandem sali, qui in cucurbitâ remansit, aquam affunde pluvialem, si remansit integra; sin minus salem exime siccum, eique affunde aquam & solve; solutionem

nem filtra, & feces plurimæ separabuntur; postea coagula iterum in salem flavescentem, quem in crucibulo mundo & cooperto fac fluere, & sanguinis instar rubescet, eritque saporis ignei mordicantis, qui denuo solvendus, filtrandus & coagulandus. In quo labore admodum purificatur sal ille; cujus solutio ante coagulationem viridescit, ejusdemque cum sale mordicationis. Solutio illa graminis instar viridis, iterum coagulata in salem rubrum, poterit denuo (factâ prius coagulatione) in crucibulo forti liquefieri, & acquiret majorem rubedinem & acredinem.

NB. Apparentes in fusione prædicti salis scintillulæ igneæ non accendunt, instar aliarum carbonum scintillæ. Expositus aëri humido resolvitur in oleum rubrum, aurum dissolvens in digestione (Lunam verò intactam relinquens) quæ solutio coagulata ad Chymicos usus reservanda. Extrahitur quoque inde Tinctura cum vini spiritu alcolisato, argentum aureo colore non fixo tingens, sive deaurans.

Efficacissima quoque est illa Tinctura in medicinâ, quare etiam instar thesauri conservanda. Poteris quoque istius salis Tincturam (antequàm aurum dissolvatur in eo) elicere cum vini spiritu, quæ etiam egregia, non tamen adeò efficax sicuti illa, inserviens quoque Alchimiæ, cujus tractatio non est hujus loci; quia hic solummodò agitur de medicinâ.

De

De usu Medico medicinæ sive Tincturæ pulveris tormentarii.

HÆc tinctura, tam sine, quàm cum auro parata, est præstantissima ferè omnium mearum scil. medicinarum, si modo rite paratur. Mirifice enim mundificat sanguinem, sudorem pellit & urinam, quare in peste, febribus, epilepsiâ, scorbuto, melancholiâ hypochondriacâ, podagrâ, calculo &c. item in omnibus obstructionibus hepatis & lienis, nec non pulmonum affectibus, tutissime maximo cum fructu usurpari potest. Mirabile igitur, quod è re tam noxiâ, tanta paretur medicina: Quamobrem esset consultius præparare inde Medicamina salubria in ægrorum salutem, quàm illam usurpare in hominum perniciem.

Novi Chymicum qui diu *Philosophorum lapidem*, sive *Vniversalem Medicinam* quæsivit in hoc dracone venenato, & quidem non sine magnis expensis; cumprimis varietate colorum apparentium motus, quorum Philosophi mentionem faciunt, in præparatione suæ medicinæ &c. utpote *sanguinis Draconis*, *Lactis virginei*, *viridis* & *rubri Leonis*, *nigri nigrioris nigro*; *albi albioris albo*, aliorumque non hujus loci, credulos decipientium. Qui postea animadvertens leprositatem & immunditiem sui subjecti, ineptum illud judicavit ad confectionem tanti lapidis (homines atque metalla perficientis) contentus

Medici-

Medicinâ particulari inde paratâ. Atque hæc dicta sufficiant de Dracone hoc venenato, pulvere nimirum tormentario, ejusque medicinâ.

Non autem negaverim esse & alium Draconem, & quidem prædicto puriorem, cujus Philosophi sæpissimè faciunt mentionem, natura enim arcanorum Dei dives, nonnisi (annuente Deo) revelandorum, & per consequens celandorum coram impiis, avaris, ambitiosis & immisericordibus.

Spiritus & Flores è nitro & carbonibus.

NItrum supreme purificatum à sale suo superfluo, mixtum cum carbonibus dat destillatum, ave solari combustâ, aquam peculiarem, hominibus atque metallis utilem; cujus cinis combustus tartaro calcinato non dissimilis, facit ad metallorum purificationem.

Flores & Spiritus silicum, crystallorum vel arena quomodo conficiantur additione carbonum & Nitri.

℞. SIlicum vel arenæ part. j. Carbonum tiliæ part. 3. & nitri optimi part. 6. Misce. Mixturam injice per intervalla in instrumentum, & accendetur sulphur combustibile silicum, ab igne nitri vehementissimo, qui factâ separatione, partem aliquam in spiritum & flores (per filtratio-

nem separandos) conversam secum elevat. Spiritus odore & viribus refert confectum spiritum è sale tartari & silicibus; cujus relictum caput mortuum similiter resolubile est in oleum sive liquorem, in omnibus similem illi, qui conficitur è sale tartari & arenâ; quare non necesse naturam ejus hîc describere, quam reperire licet ubi agitur de spiritu salis tartari facto cum silicibus.

Spiritus & oleum Talci cum Nitro.

℞. TAlci subtilissimè triti part. 1. carbonum Tiliæ part. 2. Nitri optimi part. 5. vel 6. Misce: mixturam injice in vas destillatorium per intervalla cum cochleari ferreo, & egredietur spiritus cum paucis quibusdam floribus, quos separare oportet, uti dictum de silicibus. Spiritus ferè refert spiritum arenæ. Caput mortuum grisei coloris oportet ut probe calcinetur in crucibulo, vel liquefiat, & effundatur liquefactum; quâ ratione dabit massam albam instar silicum & crystallorum, solubilem in loco frigido & humido in liquorem pinguiorem oleo arenæ, acrem instar olei tartari; mundificantem & albificantem cutem, pilos & ungues. Spiritus intrinsecè usurpatus pellit urinam & sudorem; extrinsecè verò curat vulnera & scabiem. Cæteræ me latent qualitates. In Parte Quartâ docebitur, quomodo Talcum, silices & alia ita præparanda, ut cum vini spiritu dissolvi & in optima Medicamina redigi possint.

Stan-

Stanni ſpiritus, Flores & Oleum.

℞. NItri optimi part. j. limaturæ ſtanni part. 2. miſce & injice ut ſupra dictum. Et Iovis ſulphur accendet nitrum, facietque flammam, ac ſi fuiſſet facta cum ſulphure vulgi, quam ſeparatio ſequitur; pars enim quædam ſtanni abit in ſpiritum & flores. Caput mortuum exemptum, & aëri humido expoſitum ſolvitur partim in liquorem ſive oleum, extrinſecè uſurpandum ad ulcera mundificanda; tinctoribus quoque aptum ad exaltandos colores vegetabilium & animalium, rite nimirum uſurpatum ſpiritus pellit ſudorem. Flores edulcorati propterea quod ſiccant, inter emplaſtra miſcendi.

Spiritus, Flores & Liquor ex Zinck.

QUemadmodum cum Jove, ita etiam cum hoc procedendum, quod dat flores copioſos, nec-non ſpiritum & oleum, eatumdem ferè virium cum illis, quæ è Iove conficiuntur. Atque hi flores per nitrum correcti ſunt meliores illis, qui per ſe conficiuntur, de quibus in Parte Primâ.

Spiritus, Flores & oleum Lapidis calaminaris.

℞. LApidis calaminaris pulveriſati part. j. nitri part. 2. miſce & injice: & egredietur ſpi-

ritus acerrimus faciens ad metallorum separationem, cum paucis quibusdam floribus flavis: quod remanet in fundo vasis caput mortuũ subviride, linguam mordicat instar salis tartari; solutio inde facta cum aquâ pluviali graminis instar viridis est; quæ si non mox coagulatur in salem, separabitur viriditas à nitro fixo, & præcipitabitur pulvis ruber subtilissimus, qui edulcoratus & siccatus administrari potest à gr. j. ad 10. & 12. facitque vomitus & sedes leniores antimonio vomitorio: hic enim lapis & Zinck qualitatem habent auream, ut in Quartâ Parte demonstrabitur. Lixivium verò illud album viriditate privatum, coagulari potest in salem album, sali tartari simile. Solutio autem illa viridis coagulata, antequam separetur viriditas à Nitro, dat salem viridissimum acriorem sale tartari, singularia in Alchimiâ præstantem, quæ non sunt hujus loci. Usurpaturus autem hujusmodi sal in Alchimiâ non opus habet, spiritum è mixtura elicere; sed saltem miscere ad unam partem lapidis calaminaris, 3. vel 4. partes nitri: mixtaque coquere in crucibulo forti in furno ventoso, donec nitrum viridi coloretur colore, postea effundere, & viridem inde elicere salem aureum, ad usus suos servandum.

Facturus verò Tincturam & Medicinam, affundat spiritum vini pulverisato (sali) ad extrahendum; & dabit sanguinis instar rubram Tincturam nec in Medicinâ, nec in Alchimiâ contemnendam.

Cæte-

Cæterùm obſervandum, non dari metallum vel minerale (quantum quidem per me ſcire licet) Sole & Lunâ exceptis, è quo fixa in igne eliciatur viriditas, præter lapidem calaminarem: id quod notatu dignum.

Spiritus nitri, ſulphuris & ſalis communis.

℞. SAlis part. 1. ſulphuris part. 2. Nitri part. 4. Miſce & injice per intervalla, cochleare unum poſt alterum; & egredietur ſpiritus quidam acer flavus; qui mixtus in debitâ proportione cum aquâ communi, dat balneum multis morbis utiliſſimum, cumprimis ſcabiem ſanans. Sal ſolutionis beneficio è capite mortuo elicitum, ad balnea quoque uſurpari poteſt, ſed non eſt tantæ efficaciæ, quantæ ſpiritus eſt, qui penetrat & celeriter operatur in contracturâ alijſque nervorum affectibus; de quâ re fuſius in Parte Quarta. Commendatur etiam ſal ille fixus & flavus in Alchimiâ, quia Lunam vi cæmentationis quodammodo emendat.

Spiritus, Flores & Oleum Reguli Martis & Nitri.

℞. REguli Martis ſtellati Confecti ex parte 1. Martis, & 3. partibus antimonii; cujus præparatio dabitur in Parte Quartâ) partem nimirum unam, nitri puri partes 3. Miſce; & projice mixturam per intervalla in vas deſtillatorium, &

dabit ſpiritum & ſublimatum album, ab invicem ſeparanda, uti ſupra dictum de floribus, cum aqua, ſudorem promoventia.

Caput mortuum, vulgò, ſic dictum, non mortuum ſed vivum quid eſt, multa enim præſtat in Medicinâ & Alchimiâ. Maſſa illa reliqua (quæ erit alba, ſi regulus fuit purus; ſecus verò erit ſubflava) acerrima & ignea, redigitur in lixivium cum aquâ dulci, ſimilimum tartaro calcinato, acrius tamen & purius; ijſdem ferè uſibus cum tartaro calcinato deſtinatum (oportet autem regulum prius eſſe præcipitatum aquæ beneficio, antequam lixivium in ſal coagulatur uſibus ſuis reſervandum. Antimonium aquæ beneficio præcipitatum & edulcoratum, pulvis eſt albus & ſubtilis, in peſte commendatus, & febribus aliiſque morbis diaphoreſi egentibus; vomitus, quem quandoque nimiâ doſi exhibitus excirat, non eſt formidandus; & quia inſipidus non eſt ingratus.

Adminiſtratur puerulis à gr. 3. 4. uſque ad 12. gr, adultis verò à ℈ß. ad 3 ß. feliciſſiméque ſudorem provocat in morbis diaphoreſi egentibus.

Hoc antimonium diaphoreticum, in vitrum fuſione redigi poteſt, quod poſtea vel extractionis vel ſolutionis beneficio cum ſpiritu ſalis, in varia optima elaborari poteſt medicamina, quæ omnia & ſingula hic recenſere non eſt opus. Lixivium coagulatum miris & incredibilibus virtutibus præditum eſt, utpote confectũ è re adeò vili; ad quas omnes & ſingulas explorandas non ſufficit

:it vita humana, quas etiã Zoilorum cauſa, cuncta vituperantium, hic recenſere non licet. Meminit hujus rei Baſilius Valentinus in curru triumphali, ubi de regulo ſtellato loquitur, quod à paucis obſervatur. Sæpe etiam Paracelſus ejus meminit ſub velamine alterius cujuſdam rei. Sed ejus præparationem & uſum numquam aperte tradidere Philoſophi ingratorum gratiã: atque hæc inſtructionis cauſa.

Extrahitur quoque è regulo, prædicto modo calcinato cum nitro, antequam in lixivium redigitur, Tinctura quædam medicinalis cum vini ſpiritu. Qui ſi ſolvitur ſpiritu ſalis, dat talcum foliatum, montano ſimilimum, è quo liquor paratus mundificat cutem. At ſi calx illa antimonii viva, antequam cum vini ſpiritu extrahitur, & cum ſalis ſpiritu ſolvitur, pulveriſata aëri exponitur, reſolvitur illa in liquorem pinguem; qui etſi acris, rite tamen uſurpatus, noxam non infert cuti, quam præ cæteris omnibus alijs, nec non pilos & ungues egregiè venuſtat; abluendus tamen iterum poſtquam uſurpatus fuit, aliàs enim non ſolummodo nigram & immundam, ſed etiam mundam ablaturus cutem; quare caute uſurpandus, *Omne* enim *nimium vertitur in vitium*. Mixtum aliquid cum aquâ calidâ pro balneo, aufert à toto corpore cutem craſſam & impuram, ita ut homo quaſi renovatus appareat.

Commendatur quoque idem balneum in aliis quoque morbis, aperit enim poros, quâ ratione totum mundificat ſanguinem, vitioſos eliciens

humores,& per consequens totum roborans hominem, præmissâ evacuatione. Prodest Melancholicis illud balneum & scorbuticis, nec non leprosis mirificè,cum primis si simul quotidie usurpetur Tinctura inde extracta cum vini spiritu. Idem balneum quoque commendatur pedibus illorum,qui vexantur clavis,alijsque excrescentiis, durisque unguibus &c. quæ omnia emolliuntur illo balneo instar ceræ, ita ut abscindere possis ea. Nihil enim sub sole quod duritiem cutis, pilorum & unguium magis emolliat, quàm prædictum oleum. Atque hæc in gratiam supradictis excrescentiis vexatorum. Prædictum oleum, coagulatum in salem, fundendum in crucibulo & effundendum in pelvim æneam, ita ut dilatatus fiustulari possit, dat optimum causticum. Tartarus crudus solutus in ipso, iterumque coagulatus, dat salem inservientem multis operationibus Chymicis; qui extractus cum vini spiritu dat Tincturam sanguinis instar rubram, in obstructionibus præstantissimam. Sulphur quoque combustibile solvitur in ipso,quod mixtum cum balneis mirabilia præstat. Cocta cum ipso alea aromatum dissolvuntur, & fit inde balsamum, aquæ miscibile, intrinsecè usurpandum, contra quosdam affectus; gravidis verò interdictum, propter abortum quem minatur: Post partum commendatur ad expellendam secundinam, aliaque superflua. Oleum ligni Rhodij coctum cum illo liquore & aquâ rosaceâ,donec omnia uniantur, dat superfluâ humiditate ablatâ saponem albissimum, præ-

stan-

tantissimum ad manuum lotiones, optimi odoris: Qui cerebrum roborat, caput & capillum præ cæteris mundificat, si lavantur cum ipso. Qui etiam sapo destillatus dat oleum penetrantissimum, nervis utilissimum.

Et quemadmodum hic reguli antimonii liquor, præ cæteris aliis cutem emollit, ungues, pilos, plumas & cornua; ita etiam metalla dissolvit & durissimos lapides; sed non coctionis beneficio, ut de sulphure dictum, sed aliâ ratione, quæ non huc pertinet, sufficiat igitur ansam dedisse aliis. Cum spiritu salis, vel cum aceto destillato solvitur nitrum fixum igneum & sublimatur in terram foliatam: quibus usibus autem illa sit destinata, non est hujus loci illud tradere, forte tamen alibi plus.

Butyrum ex antimonio, sali communi & vitriolo, simile illi quod conficitur ex Mercurio & antimonio.

℞. ANtimonii crudi part. 1. salis communis part. 2. vitrioli calcinati ad albedinem part. 4. Misce species has pulverisatas, & projice mixturam in vas destillatorium, uti de aliis dictum, & veniet oleum antimonii spissum instar butyri, rectificandum, simile confecto ex antimonio cum Mercurio sublimato, ijsdem etiam usibus destinatum, quos videre licet in Parte Primâ, ubi etiam in majori copiâ minoribusque

sumptibus comparatur, vi ignis aperti, cujus ratione majorem calorem ferre cogitur.

Butyrum ex Arsenico & Auripigmento.

ID ipsum, sicuti de Antimonio dictum, intelligendum quoque de Arsenico & auripigmento, è quibus salis additione & vitrioli, destillatur oleum spissum, tam intrinsecis quàm extrinsecis usibus destinatum; ita corrigi potest, ut non modò non cedat antimoniali, sed etiam præferatur illi; quod peregrinum quid quibusdam videbitur, sed non intelligentibus, naturas mineralium cognoscentibus.

Spiritus vitrioli peculiaris.

SOlve vitriolum in aqua; cum solutione coque Zinckum granulatum, & omne sulphur & metallum præcipitabitur ad fundum versus Zinckum; solutio verò albescet. Limositas præcipitata non est aliud nisi ferrum, vel cuprum & sulphur, atracta per Zinckum è sale vitrioli. Causa hujus præcipitationis & associationis, non est hujus loci, quod demonstretur, pertinet enim ad Partem Quartam. Solutio alba (factâ præcipitatione) ad siccitatem salis coagulanda, quæ per se destillata, dat spiritum, facile adscendentem, viribus & sapore oleo vitrioli non dissimilem, puriorem tamen.

Forte hîc objicies, quod hâc ratione privetur viridi-

viriditate vitriolum, quam conservari vult Paracelsus. &c. Non docetur oleum vitrioli, hoc in loco, dulce & rubrum, de quo Paracelsus, sed oleum acidum album; æquale non modo vulgari illi, sed etiam præstantius, utpotè confecto ex vitriolo impuro. Ad quid etiam destillare vitriolum viride, cum viriditas ejus unà cum spiritu elici nequeat per ignem? Etsi eliceretur, quare oleum illud viride, albo esset præstantius? cum viriditas illa vitrioli vulgaris non sit nisi cuprum & ferrum, soluta ab aquâ salsâ, percurrente mineras. Quod vitriolum quàm primum senserit ignis calorem, rubrum redditur, amissâ viriditate; quæ rubedo nihil aliud quàm ferrum vel cuprum calcinatum, id quod probat metallorum reductio.

Paracelsus non docuit ignis violentiâ viriditatem eliciendam, & in oleum dulce rubrum destillandam, sed aliam monstravit viam, pauciſſimis cognitam, de quâ in principio hujus Partis Secundæ.

Hic spiritus sive oleum acidum è vulgari destillatum vitriolo, est gratæ aciditatis, præditum ijsdem facultatibus cum oleo vitrioli acido, de quo supra: Hujus saltem causæ ejus stillandi ratio tradita, ut nimirum appareat, quomodo facilius destilletur vitriolum purificatum spiritumque det gratiorem, quàm illud crudum & impurum.

Sed ut appareat veritas hujus purificationis factæ per præcipitationem metalli, attracti aquâ mineras

neras percurrente; solve metallum quodvis in menstruo suo appropriato; & quidem vel spirituum beneficio, vel salium cum aquâ mixtorum, vel viâ siccâ per ignem in crucibulo: Postea impone solutioni aliud metallum, solventi amicabilius & reipsâ experiere, solvens derelicturum primum, & recepturum alterum sibi amicabilius: De quâre fusius in Parte Quartâ.

Hoc autem hic cumprimis notandum, non esse metallum quod adeò solubile sit quàm Zinckum quare illius beneficio, cætera omnia (soluta) & quidem vel viâ siccâ, vel humidâ, facile præcipitantur in calces subtilissimas, ita quidem ut ejusmodi calx solis vel Lunæ (rite parata) suum etiam retineat splendorem instar subtilissimi pulveris apti ad exarandas literas calamo.

Spiritus & oleum è Zinck.

FActâ mentione hujus mineralis (Zinck) consultum esse duxi dare ejus spiritus penetrantis, ejusque olei salutiferi præparandi rationem cum aceto; ut sequitur.

℞. Florum, quos docui in Prima Parte, part. 1. & affunde part. 8. vel 10. aceti acerrimi è melle confecti, in cujus defectu affunde acetum vini; colloca matratium unà cum floribus & aceto in loco calido ad solvendum; postea decanta solutionem claram flavescentem, filtra, & abstrahe phlegma, relinquens in fundo liquorem vel balsamum rubrum, miscendum cum arenâ purâ calci-

natâ,

natâ, & destillandum; in quâ destillatione egreditur primò phlegma insipidum, quod sequitur spiritus quidam subtilis, atque hunc oleum flavum & rubrum, à spiritu separatum seorsim servandum, tanquam thesaurus vulnerum citò consolidandorum. Spiritus non est minorum virium; intrinsecè usurpatus pellit sudorem; extrinsecè inflammationes exstinguit: Estque hic spiritus, atque hoc oleum procul dubio aliis quoque dotibus medicinalibus præditum, quas ceu ignotas prætereundas censui.

Spiritus & oleum Plumbi.

ELicitur similiter è plumbo spiritus quidam subtilis, & oleum dulce, hâc nimirum ratione. Affunde minio, vel aliter calcinato Saturno sed non cum sulphure, acetum acerrimum, colloca in arenâ vel cineribus calidis ad solvendum, donec nimirum acetum flavescat & dulcescat: Postea decanta solutionem; aliudque reaffunde acetum, atque id repete toties, donec acetum amplius nihil solvat, nec dulcescat. Quo facto singulas misce solutiones, & omnem abstrahe humiditatem usque ad remanentiam melleam dulcem & flavam (id quod accidit cum aceto non destillato, destillatum enim relinquit sal album & dulce) quæ remanentia sive sit instar mellis, sive salis, postea destillanda, sicuti dictum de Zinck; & dabit spiritum subtilem & penetrantem, cum pauco quodam oleo dulci flavo & efficaci,

caci, earundem virium cum illis, quæ parantur è metallo Zinck. NB. Non opus est aceto destillato, quia non destillatum idem præstat in hac operatione & plus dat olei: quærens autem salem album accipiat destillatum, quod dabit Crystallos, quas non destillatum dare nequit, sed saltem liquorem melleum.

Nec opus est vitreis vasis, sufficiunt enim terrea vitreata, non in digestione, sed una cum minio & aceto collocanda in igne carbonum; quia hîc nullum periculum evaporationis aceti, cujus spiritus omnes in universum attrahuntur à plumbo &c. Oportet quoque Saturnum continuè spatulâ ligneâ agitare, (aliàs enim lapidesceret, ac proin non solveretur) tam in vitreis quàm terreis vasis: Potestque hâc ratione solutio perfici spatio 3. vel 4. horarum, quæ aliàs in vitris vix perficitur 3. vel 4. dierum spatio: quare cumprimis quia nulla alia differentia inter hanc & illam, quàm quæ dicta, consulo breviorem longiori præferendam.

Desiderans spiritum & oleum efficaciora; admisceat singulis libris Saturni soluti & purificati, unciam unam tartari crudi pulverisati, & postea procedat ut antea in destillatione per se factâ, & accipiet spiritum subtiliorem oleumque efficacius.

Spiritus & oleum tartari crudi.

MUlti sibi persuasum habent, artem tartari spiritum destillandi esse facilimam, imponentes

tes retortæ tartarum crudum, indeque elicientes in Recipientem appositum aquam aliquam igne violento; non considerantes hâc verum & genuinum evanuisse spiritum destillandi ratione, relicto phlegmate acido, sive aceto fœtido.

Quod nonnulli animadvertentes prospexêre sibi de maximis & amplissimis Recipientibus; qui factâ destillatione ponderantes suum spiritum & remanentiam, magnam se jacturam feciſſe ponderis observârunt, quare impossibile judicârunt integrum capere spiritum; quod etiam hâc ratione fieri nequit. Etsi enim ingens apponitur retortæ parvæ (parum saltem continentis tartari crudi) Recipiens, juncturæque optimè muniuntur, nec non ignis succeſſive s. a. accenditur & administrarur; spiritus tamen ultimo venientes cum oleo fœtido, retortâ candescente, vel evanescunt lutum penetrantes, vel frangunt Recipientem vel Retortam, quia copiosi cum impetu erumpunt. Quare meam hujus spiritus utiliſſimi & præstantiſſimi componendi rationem apponam.

Præparatio & usus spiritus tartari.

℞. TArtarum crudum purum, rubrum vel album, tere in pulverem subtilem; cujus pro unâ vice, & quidem singulis, non nisi unciam dimidiam projice in vas destillatorium candens; spiritibus egressis & condensatis injice aliam unciam dimidiatam, atque id continua donec sis nactus sufficientem copiam spirituum.

Quo facto exime remanentiam nigram, quam calcina

calcina in crucibulo, cui postea cucurbitæ impositæ affunde spiritum destillatum unà cum oleo fœtido nigro, & destilla igne quidem primo lento, & egredietur primo spiritus ille subtilissimus, quem postea sequitur phlegma, phlegma verò acetum quoddam unà cum oleo, quæ omnia & singula seorsim capienda. Etsi spiritum prædictum fortiorem desideras, oportet *capiti mortuo* (vulgo sed immerito sic dicto) optime denuo calcinato reaffundere illum, iterumque abstrahere, & purus putus stillabit spiritus, relicta omni aquositate cum tartaro calcinato. Qui spiritus maximè penetrativus administrari potest cum vino vel liquore appropriato, à grano dimidio (forte à dragmâ semis) ad unciam unam, ad pellendum sudorem, quod egregiè præstat: Estque præstantissima medicina in omnibus obstructionibus, in peste, febribus malignis, in scorbuto, melancholiâ hypochondriacâ, colicâ, contractura, epilepsia, alijsque affectibus, qui felicissime illius beneficio (volente Deo) curari possunt.

Phlegma tanquam inutile abjiciendum: acetum mundificat vulnera: oleum tumores & dolores mitigat, scabiem sanat, tollit nodos aliasque cutis excrescentias, si nimirum tempestivè usurpatur. NB. Oleum fœtidum rectificatum à capite mortuo claritatem acquirit, mitigat non solum dolores podagricos brevissimo temporis spatio, sed etiam sabulum in renibus coagulatum dissolvit & expellit, in formâ nimirum emplastri vel unguenti applicatum; item tartarum coagelatum

tum in manibus, genubus & pedibus resolvit, locumque illius causâ male affectum restituit. Latet enim in hoc oleo sal quoddam volatile magnarum virium; cujus rei veritatem experiri sic licet: Affunde oleo prædicto fœtido spiritum quendam acidum, utpote salis communis, vitrioli, nitri; vel acetum destillatum, & effervescet oleum, uti fieri solet in affusione aq. fortis ad salem tartari, mortificabiturque spiritus acidus, & in salem convertetur.

Resolvit autem extrahitque oleum prædictum tartarum coagulatum (sed non in lapidem durum) ad instar saponis abstergentis immunditiem pannorum; vel ad instar similium similia attrahentium, similibusque gaudentium, sicuti è contra dissimilia dissimilia respuunt; quemadmodum videre licet è panno abstergendâ pice cum aquâ, quod ob contrarietatem amborum fieri nequit subjectorum; aqua enim cum pice aliisque pinguedinibus non est miscibilis absque medio, nimirum utriusque naturæ participe, utpote sunt salia sulphurea, nitrosa, sive sint fixi sive volatilia; sicuti videre est apud saponarios, miscentes aquam cum sevo & oleo, adminiculo salium sulphureorum. Si igitur resinæ vel pici duræ affricatur oleum calidum, vel alia quædam pinguedo mollis, fit associatio illius ad hanc ob similitudinem, atque hac ratione pix dissolvitur & è panno elicitur: Etsi postea pinguedini residuæ affricatur lixivium, vel sapo in aqua dissolutus, extrahitur quoque illa, & pannus pristinam

snam munditiem iterum acquirit. Et sicuti dictum de rebus sulphureis; ita etiam de Mercurialibus intelligendum: ex.gr. si velles carnes salsas edulcorare cum lixivio, non posses tamen ob contrarietatem salis nitrosi & acidi; sed si affunderes aquam mixtam cum modico salis communis (ejusdem nimirum, quo condiuntur pisces & carnes) utique sal in carnibus & piscibus, solveretur & extraheretur ab aquâ salsâ tanquam à suo simili, & quidem melius quàm ab aquâ dulci communi. Atque hâc ratione durissima quæque metalla, durissimique lapides junguntur aquæ, de quâ re plus in reliquis meis libris; quæ hic dicta, demonstrationis saltem causâ dicta, ut appareat similia per similia extrahenda.

Mortificantur quidem contraria contrariis, unde pro tempore quidem mitigantur dolores, sed non tollitur causa mali. Forte hîc objicies mihi differentiam facienti salium sulphureorum & Mercurialium, quod in utróque genere reperiatur sulphur & Mercurius. R. Ignorans salium proprietates hoc capere non potest; Nec fert occasio illud nunc demonstrare, sed differretur ad *librum* meum *de Naturâ salium*; ubi copiosè demonstrabitur nonnulla sulphurea esse, nonnulla etiam Mercurialia. Et qui desiderat informationem majorem, legat *scripta* nostra *de sympathiâ & anthipathiâ rerum*, ubi demonstantur, quomodo à condito mundo semper duæ contrariæ naturæ invicem dimicaverint sive certaverint, atque suum certamen continuaturæ ad finem usque

seculi,

seculi, quando Christus Iesus venturus, finem hujus certaminis facturus, bonum à malo separaturus, quando fulgure & flammâ accendetur & consumetur sulphur illud superfluum, relicto centro Mercuriali puro.

Quomodo spiritus & olea conficienda è Tartaro, metallorum & mineralium additione.

SOlve quodvis metallũ vel minerale in suo appropriato. Menstruo; solutioni admisce sufficientem quantitatem tartari crudi pulverisati, ita ut fiat ex ambobus pulmentum; de quo projice pro unâ vice in vas destillatorium quantum capit cochleare commune; & accipies spiritum & oleum, quæ postea rectificationis beneficio separanda, & seorsim ad suos usus reservanda.

Vsus spiritus & Olei Tartari Metallisati.

SPiritus cito & celeriter operatur, juxta proprietates metalli vel mineralis admixti: Spiritus enim & oleum ex ☉ & tartaro, confortant cor, ejusque hostes profligant. Ex ☽ & tartaro prosunt cerebro: ex Mercurio & Tartaro hepati. Ex Saturno & Iove, lieni & pulmonibus: Ex Marte & Venere, renibus & genitalibus. Ex antimonio & tartaro omnibus affectibus totius corporis.

Pelluntque ſpiritus ejuſmodi, ſudorem efficaciſsime; uti olea quoque metallorum tartariſata, quorum nonnulla uſque adeò tuto intro non aſſumuntur, qualia ſunt Veneris & Mercurii, propter ſalivationes & vomitiones, quas excitant; extrinſece autem uſurpata mundificant ulcera putrida, & curam perfectam accelerant. Remanentia ſpirituum & oleorum deſtillatorum, reducibilis eſt in metallum; quare hâc ratione nihil perit.

Eâdem etiam ratione è vitriolo & tartaro deſtillatur ſpiritus & oleum, ut ſequitur: ℞. Tartari pulveriſati part. 1. vitrioli puri part. 2. miſce & deſtilla. Spiritus qui egreditur, etſi ingratus, præſtantiſſimus tamen eſt in omnibus obſtructionibus, ſanguiniſque putredine, cumprimis rectificatus à proprio capite mortuo, nec privatus in deſtillatione, ſuâ volatilitate. NB. Si deſideras hunc ſpiritum adhuc efficaciorem, fac ut vitriolum & tartarus coctionis beneficio jungantur in aquâ & cryſtalliſentur, antequam deſtillantur, & accipies ſpiritum puriorem & ſubtiliorem, propter ſeparationem in ſolutione ſecum copioſarum.

Et ſi accipis vitrioli part. 1. tartari verò part. 2. in ſolutione, non producuntur cryſtalli, quando ſolutio filtrata coagulatur, ſed ſuccus mellis inſtar ſpiſſus, è quo ſpiritus vini beneficio Tinctura extrahitur præſtantiſſima in obſtructionibus. Qui ſuccus ſi intro aſſumitur à ℈j. ad ʒ1. leniter purgat & quandoque vomitus excitat cumprimis ſi vitriolum non fuit purũ. Deſtillatur quoque ex illo ſucco ſpiritus viribus priori ſimilis. Præter hunc

modum

modum; est & alius modus destillandi spiritum tartari metallisatum, quo eliciuntur spiritus & olea gratiora, sicuti sequitur.

℞. Tartari pulverisati albi Rhenensis part. 1. aquæ dulcis fluviatilis vel pluvialis part. 10. vel 12. quantum sufficit ad solvendum: Fac ut mixta coquantur in alieno stanno intrinsecè obducto; vel in ollâ (quod melius) vitreatâ, donec tartarus sit dissolutus in aquâ, interea oportet diligenter auferre omnem spumam cum cochleari ligneo; quâ nulla apparente, tartaroque dissoluto omni, filtra solutionem calentem per linteum extensum super fictile vitreato, ad separandam residuam limositatem, Quo facto relinque aquam colatam immotam 24. vel 30. horarum spatio, & vasis parietibus adhæresceret tartarus crystallisatus, qui effusâ aquâ, auferendus, & aquâ frigidâ abluendus, ablutusq; siccandus. Atque hunc ad usus reserva, de quibus paulo post: Estq; hic tartarus sufficienter purificatus ad metallicorum oleorum destillationem; sicuti etiam ad usum medicum, abstergit enim & laxat: Qui verò elegantiorem desiderat instar crystallorum majorum, sic procedat.

Requiritur autem ad crystallorum majorum productionem major quantitas salium crystalli sandorum, minor enim semper dat minores, quamvis nulla sit differentia alia, quam quod majores oculis magis arrident. Quare sic procede.

℞. Tartari crudi albi pulverisati lib. 20. 30. plus minus; affunde aquæ quantum sufficit, & administra ignē magnum sub aheno obducto intrinsecè

ſtanno, uſque ad omnimodam tartari diſſolutionem, quam experiri licet cum cochleari ligneo, cum quo etiam diligenter omnem aufer ſpumam. Cave quoque ne majorem vel minorem aquæ quantitatem affundas, quàm ſufficientem; minor enim non ſufficit ſolutioni, quare id quod reſiduum rejicitur cum fecibus; quantitas verò nimia impedit cryſtalliſationem, ita ut totus tartarus in cryſtallos abire nequeat, quare poſtea pars quædam unà cum aquâ effunditur.

Multi enim conqueruntur de tartari bonitate, paucas cryſtallos è librâ unâ accipientes; quæ tamen non tartari, ſed malè operantis culpa eſt, projicientis unà cum aquâ dimidium ferè pondus tartari: aliàs enim 4. libræ tartari, dant 3. libras cryſtallorum albiſſimarum.

Solutione peractâ, omnique ablatâ ſpumâ, fac ut aheneum refrigeſcat ſponte relictum in calido: quod fiet 3. vel 4. dierum ſpatio, ſi ingens ſit; oportet autem auferre ignem ab aheno, quod relinquendum in ſuo loco immotum: Et interea temporis cryſtalli tartari producentur ad latera aheni; quas aquâ effusâ, eximere oportet, & lavare; lotaſque iterum ut antea cum recenti aquâ coquere, deſpumare & cryſtalliſare, atque id toties quoties opus fuerit, id quod plerunque fit tertiâ vel quartâ vice, tunc enim ſufficienter ſunt purificatæ. Quibus omnibus rite peractis, ſiccare oportet cryſtallos & ſervare ad uſus. Si enim adminiſtrantur cum vino, cerviſiâ, aquâ, brodio vel jure carnium, alioque liquore appropriato à ʒj. ad ℥j. pul-

℥j. pulveriſatæ leniter purgant; ſunt igitur pro delicatis. Acuuntur cum diagridio, aliiſque fortioribus catharticis, ita ut minori doſi exhiberi poſſint.

Deſiderans verò ſaltem tartarum depuratum, ſequenti procedat modo, & accipiet elegantiſſimas cryſtallos parvulas, quas terere non opus habet, ita arte elaboratas, ac ſi fuiſſent ſuper marmore contritæ, non quidem ad inſtar pulveris alicujus mortui, ſed ad inſtar nivis candentis. &c. Accipe aliquoties ſolutas & coagulatas cryſtallos, i. e. ſufficienter purificatas; quas denuo diſſolve in aquâ limpidâ, ſolutionē effunde in vas mundū ligneum, cupreum, vel terreum, vitreatum, ſed non relinque illum donec refrigeſcat immotam, ut antea, ſed continuo illam agita cum ligno mundo & indeſinenter, donec nimirum refrigeſcat, quod plerunque fit horæ ſpatio dimidiæ. Quo temporis intervallo in cryſtallos abire nequit tartarus, ſed coagulatur in pulverem ſubtiliſſimum ſcintillantem, jucundiſsimum oculorum ſpectaculum, ad fundum præcipitatum, inſtar nivis maximo frigore congelatæ apparentē, effusâ aquâ ſiccandum & ad uſus reſervandū.

Remanentia aquarum, quæ ab alijs tanquam inutilis effunditur, decoquenda ad coagulationem, tartari reſidui recuperandi gratiâ, ne quid pereat. Atque hâc ratione non ſolum tartarus albus, ſed etiam ruber, frequentiori ſolutione & coagulatione redigitur in cryſtallos albiſſimas. Eſt & alius modus, tartarum nimirum primâ vice re-

redigendi cryſtallos elegantiſſimas, præcipitationis ſcil. beneficio; ſed quia priores modi ſufficiunt huic negotio (medicamentorum è metallis præparandorum) nolo amplius tempus terere in hiſce rebus.

Alius conficiendi modus ſpiritum Tartari metalliſatum.

℞. TArtari ſemel ſaltem purificati q. v. affunde ipſi aquæ pluvialis, vel alterius dulcis, quantum ſufficit ſolutionis in quâ laminæ metallicæ tamdiu coquendæ, donec tartarus amplius ſolvere nequeat; cujus rei ſignum eſt tartari ſolutio metalli colore intenſè colorata; oportet autem ſubinde aquam renovare, ne tartarus comburatur, propter aquæ evaporationem. Commodiſſimè verò fit prædicta ſolutio in vaſis metallicis, quare ad Martis ſolutionem eligatur vas ferreum; ad Veneris vas cupreum; et ſic conſequenter de alijs.

Scito autem aurum, argentum & Mercurium inſtar Martis & Veneris non eſſe ſolubilia, niſi præparentur prius: id ipſum quoque intelligendum de quibuſdam mineralibus, quæ abſque præmiſsâ præparatione cum tartaro & aquâ uniri nequeunt. Vaſa verò vitrea fortia, & figulina vitreata inſerviunt uniuſcujuſque metalli ſolutioni. Quæ ſolutio non ſolum per ſe venit in uſum Medicum, ſed elicitur quoque inde unà cum oleo ſpiritus quidam efficaciſſimus.

Spi-

Spiritus & oleum Saturni & Iovis.

COque rasuram Saturni vel Jovis cum aquâ tartari, in vase plumbeo vel stanneo, donec aqua tartari dulcescat, nec amplius solvat; quod plerunque fit 24. horarum spatio: difficulter enim solvuntur hæc duo metalla, facilius verò illorum calces, quæ infra horam solvuntur. Solutio postea filtretur, & in balneo omnis abstrahatur humiditas usque ad melleaginem (liquorem dulcem & amicabilem) quæ ita per se in usum venit medicum, & in omnibus illis morbis tuto administrari potest, in quibus cætera è prædictis confecta metallis medicamina commendantur. Cumprimis verò dulcis ille liquor Iovis & Saturni commendatur in peste, non enim solum sudorem egregiè movet, sed etiam calorem præternaturalem restinguit; quos effectus felix sequitur cura. Liquor Saturni felicissime extrinsecè administratur in cunctis inflammationibus; in vulneribus quoque tam recentibus, quàm antiquis & putridis ulceribus fistulosis celerrimè curandis: Tartarus enim mundificat, Saturnus verò consolidat. Iovis liquor rectius intrinsecè usurpatur, quam extrinsecè; nec vires ejus adeò manifestæ, sicuti Saturni. Destillaturus inde spiritum, projice in instrumentum destillatorium, per intervalla parum illius cum cochleari, sicuti in aliis destillationibus sæpe mentio facta; & egredietur spiritus subtilissimus tartari comitatus viribus metal-

li, præstantior simplici spiritu tartari, per se facto. Qui rectificatus ceu thesaurus Medicus reservandus & usurpandus, (nimirum tam Iovis, quàm Saturni) in cunctis obstructionibus, cumprimis autem lienis, præ cæteris medicamentis; ubi autem simul purgantium necessariorum usus non negligendus.

Comitatur spiritum oleum quoddam celerrimæ operationis, præstantissimum in omnibus oculorum vulneribus, ubi difficulter administrantur alia unguenta & emplastra; non enim solum subito tollit calorem præternaturalem, communissimum symptoma oculorum vulnerum, sed etiam præservat oculos ab aliis symptomatibus, id quod pauca remedia præstare possunt.

Si tandem (oleo & spiritu elicitis) ignis administratur fortior (fortissimus nimirum) dat remanentia sublimatum, aëre in oleum solubilem, tam chymicis quàm medicis usibus destinatum: Saturnusque funditur in regulum, plumbo longè puriorem, retinente secum tartaro nigredinem, petente locum superiorem, instar scoriæ fusibilis, Saturni sulphure imprægnatæ, constanter colorantis pilos, ossa, plumas & similia, colore nigro & fusco. Feci hanc aliquando solutionem in vase ferreo, quod inde intrinsecè argenteo coloratum fuit colore: quod aliquando iterum experiri volui, sed non usque adeò bene successit: quod nemini mirum videatur. miranda enim, quæ præstat, scribere de tartaro, si liceret possem. Etsi Zoilorum obloquia non metuerem, appellarem tartarum

rum *saponem sapientum*, quia miras in ipso (in purificatione metallorum quorundam) proprietates longâ experientiâ inveni.

Quod non ita intelligi velim, ac si ipsum statuerem *Azothum* illum *Philosophorum universalem* lotonem dealbantem: saltem affirmo, quod ipsius beneficio nonnulla metalla particulariter mundificentur & purificentur. mirâ enim erga metalla affinitate præditus.

Spiritus & oleum tartarisatum Martis & Veneris.

FActurus è Marte vel Venere medicinam cum tartaro, elige ad Martem vas ferreum mundum & ad Venerem vas cupreum ab omni sorde mundificatum; postea adde ad rasuram Martis vel Veneris duplum pondus tartari puri pulverisati, & aquæ tantum, quantum sufficit tartaro solvendo; & fac omnia simul tamdiu coquere donec aqua à metallo intensè coloretur, & quidem à Marte colore rubro, à Venere verò viridi; oportet autem aquam subinde renovare evaporantem, ne tartarus comburatur: tanta enim semper aquæ copia requiritur, quæ impediat superne nasci cuticulam tartari: nec tamen nimia affundenda quantitas, ne ob nimiam dulcedinem impediatur metalli solutio.

Factâ igitur solutione, à Marte quidem rubrâ & dulci vitriolari; à Venere verò viridi & amarâ; decanta illam calentem in aliud vas mundum, quod

quod colloca ſuper ignem carbonum lentiſſimum, donec ferè omnis aqua evaporaverit, ad remanentiam nimirum metalli cum tartaro ſoluti melleam, ſive mellis inſtar ſpiſſam. Poteſtque hic liquor mellis inſtar ſpiſſus, cumprimis ferreus, ſecure tam intrinſecè, quam extrinſecè uſurpari: Et quidem leniter purgat ferreus, & tollit obſtructiones hepatis & lienis, ventriculum purgat, & lumbricos enecat: Extrinſecè uſurpatur loco balſami vulnerarij, longe excellentioris vegetabili quovis; mundificat enim & conſolidat non ſolum vulnera recentia, ſed etiam antiqua putrida fiſtuloſa. Liquor Veneris non uſque adeò tuto intrinſece uſurpatur, non ſolum propter ingratitudinem, ſed etiam propter vehementes, quos excitat vomitus: quare uſum ejus diſſuadeo, niſi velis illum adminiſtrare robuſtis, lumbricorum interficiendorum gratiâ, in quo negotio excellit cætera medicamenta omnia: puerulis autem cave ne adminiſtres. NB. Obſervandum in hujus adminiſtratione etiam contra lumbricos & febres ſtomachicas, vomitum digito quandoque eſſe provocandum, caſu nimirum neceſſitatis, ut evacuato corpore ſequatur ſanitas; ſecus faſtidium illius generatur in ſtomacho. Quare cum diſcretione uſurpandus, & quia amarus, ſaccharo dulcificari poterit. Ferreus ille liquor hâc non indiget correctione, qnia ſubdulcis, quare ejus uſum conſulo potius quàm illius.

Uſurpaturus autem Cupreum, fugiat aërem illo die, ob violentiam ejus, nec ſtatim ab operatio-

tione, cibo & potu repleat stomachum, contentus jusculo carnis, & hanstulo vini vel cervisiæ; & sequetur altero die appetitus cibi & potus melior. Extrinsecè usurpatus Veneris liquor, efficacior est Martis liquore; utinam igitur omnes Chirurgi ejus scirent compositionem, eoque uterentur loco unguentorum suorum, quorum ministerio tot vulnera recentia curabilia negliguntur, abeuntia in ulcera fœtida putrida, cumprimis quia facile & vili pretio comparatur.

Et si hosce liquores desideras puriores, affusione spiritus vini extrahe illorum tincturas (quas facile extrahere licet) relinquentes feces copiosas inutiles, quare tincturas necessario efficaciores liquoribus esse oportet; ita ut illarum gutt. 1.4.5. purgare sufficiant; cum aliàs crudorum liquorum requirantur gutt. 4.6.8. usque ad 12. & 16. Operatur quoque Tinctura extrinsecè usurpata melius, nec ita facile corrumpitur sicuti liquor, qui temporis curriculo albam cuticulam contrahit, sed potius perennis est & perpetua. Destillaturus autem liquorem, non opus habet extrahere illum, quia sufficit illum destillare eo modo, quomodo dictũ supra de Saturno; & Mars quidẽ dabit spiritum flavum, Venusque viridem. Martis spiritus & oleum tuto intro assumitur in peste, febribus, obstructionibus & sanguinis corruptione, a ʒj. ad ʒj. efficaciorque est in promovendo sudore, spiritu illo tartari simplici.

Idem præstat Veneris spiritus & quidem efficacius, qui vomitum quandoque excitat nimia nimi-

nimirum dosi exhibitus. NB. Etsi cuprum ab omnibus fere Chymicis præferatur ferro tanquam metallum maturius, experientia tamen testatur, ferri usum intrinsecum, ob dulcedinem esse tutiorem. Extrinseca autem medicina Venus est appropriata ulcerum, ubicunque etiam fuerint in toto corpore, si simul etiam necessaria administrantur purgantia. Non enim hæc solummoda è cupro parabilis Medicina, sed & aliæ plures, quas reperire licet in meis libris.

Operæ pretium esse duxi catharticum dare ex ferro vel cupro conficiendum, pauperculis, robustis, rusticis, & procul à pharmacopæis habitantibus, ad evacuandum ventriculum nimiâ repletione corruptum, unde proficiscuntur Cephaleæ, febres, lumbrici. &c.

Admonitos autem velim puerulos, senes & emaciatos, ut abstineant ab usu hujus Medicinæ, quæ robustis & juvenibus datur, ne una cum lumbricis vitam etiam ejiciant; quâ alias feliciter curantur febres stomachicæ, lumbriciq; expelluntur: Fit autem sequenti modo. ℞. Tartari puri pulverisati ʒß. Sachari sive mellis ʒj. vel ½ unciâ; aquæ fontanæ vel pluvialis ʒ. v. vel vj. Misce singula, mixtaque coque in vase cupreo mundo, igne nimirum carbonum tanto temporis spatio, quanto opus est ad ovi coctionem, vel paululum majore, vel ad summum octavæ partis unius horæ spatio; auferque spumam in coctione apparentem: quo facto aufer ab igne (ut tepescat) potionem, & tepidam, vinum saccharatum tepidum

dum referentem propina patienti, quem fac ut jejunet postea, & intra horam dimidiam operabitur superne & inferne, quod non formidandum; quia unius horæ spatio actum erit, ubi se ab aëre frigido abstinuerit patiens. Pro puerulis purgandis, lumbricis vexatis, accipe loco cuprei vasis, vas ferreum mundum, & minorem quantitatem tartari, sacchari & aquæ; plerunque autem hæc potio saltem infernè operatur; & si quandoque excitat vomitum (qui lenis tamen) nihil interest quia magis prodest, magis enim tunc evacuatur stomachus: Etsi forte primâ vice nihil operaretur, oportet potionem eandem alterâ die repetere, oportet autem tunc augere pondus ingredientium, vel diutius continuare coctionem. Hæc potio caret omni periculo, si rectè præparatur & administratur, gratiorque est semine illo amaro santonico. &c. Causa hujus operationis est solutio metallorum facta cum tartaro & saccharo, coctionis beneficio in aquâ, qua extrahitur vis illa metallica purgans superne & inferne, quam adjuvat tartarus. Atque hæc dicta sint robustis, non puerulis & debilibus.

Spiritus Mercurii tartarisatus.

MErcurius vulgi non ita facile, absque præmissâ præparatione, beneficio tartari dissolvitur in aquâ; sed requirit sui sublimationem à vitriolo & sale, vel crystallisationem in Aq. forti: Et tunc quidem coctione dissolvitur à tartaro & aquâ

aquâ in balsamum, externe usurpandum, non autem intrinsecè; nisi diuturnâ digestione privetur suâ malitiâ. Extrinsecè autem commendatur in ulceribus putridis, Venereis cumprimis, ceu medicina præstantissima. Est autem præstantissimus in Alchimiâ, quamvis pauci ipsum noverint, solet enim se occultare coram plurimis. Spiritus inde elicitur non solum in Medicinâ sed etiam in Alchimiâ hospes est mirabilis; cautè tamen & circumspecte tractandus, ne loco amici hostem recipias; est enim potentia ejus maxima.

Spiritus Tartarisatus Auri & Argenti.

AUrum & argentum solubilia non sunt in tartaro per viam nimirum humidam; etsi per viam siccam adminiculo adjutoris; id quod non est hujus loci. Facturus autem spiritum ex auro & argento, oportet ut ea priùs reducat in Crystallos solutionis & coagulationis beneficio, quas postea cum tartaro & aqua ulterius dissolvere potest; & accipiet ex auro flavam, ex argento verò albam cum viriditate mixtam solutionem, quæ ad mellaginem redacta absque periculo usurpari potest. Auri solutio purgat, corroborat, ventriculum, hepar & pulmones &c. Argenti solutio vehementes purgat instar oleorum catharticorum, sine tamen periculo; ita ut in omnibus morbis, evacuatione indigentibus tuto administrari possit à ℈j. ad ʒ½. Auri autem solutio minori administratur dosi. Et quamvis utraque (auri & ar-

& argenti solutio ad mellaginem redacta) saluberrima sit extrinsecè usurpata; attamen, quia viioribus metallis eadem præstare possumus, merito hæc loco illorum eliguntur.

Spiritus inde eliciti maximis viribus præditi sunt quia pars metalli volatilis unà in destillatione egreditur cum spiritu tartari; cujus remanentia reducibilis in metallum, uti de aliis dictum metallis.

Hic spiritus, auri cumprimis, efficacissimus est in peste, alijsque morbis diaphoresi egentibus; non enim solum malignitatem expellit per sudorem, sed etiam cor roborat & præservat. Laudabilis quoque Lunæ spiritus, cumprimis à capite mortuo (sicuti supra dictum de præparatione spiritus Tartari simplicis) rectificatus. Vires enim spiritus tartari rectificati, virtutibus aureis impregnati neminem in Chymiâ versatum latere possunt. Quare de hisce plura verba facere non opus est.

Spiritus Antimonii tartarisatus.

NEc Antimonium crudum prædicto modo dissolubile, nisi in flores redactum, vel in vitrum. Quare ℞. Florum antimonii, vel vitri antimonii per se facti & subtilissimè triti part. unam: Tartari puri part. 3. Aquæ limpidæ communis part. 12. vel 15. Mixta fac ut unà coquantur in fictili vitreato, 3. vel 4. horarum spatio; subinde quoque aliam reaffunde aquam, propter

evaporationem, ne comburatur tartarus, & spatulâ lignea solutionem agita, si vitrum acceperis, flores enim agitatione non opus habent; & colorabitur aqua tartarea colore rubro ab antimonio, relictâ superfluitate antimoniali; à quâ solutio decantanda, quæ (factâ filtratione & evaporatione) denuo extrahenda cum vini spiritu: quæ extractio (sanguinis instar rubra) intrinsecè administrata, à gutt. 1.2.3. ad 10. 12. suavissime operatur superne & inferne in omnibus morbis evacuatione indigentibus, carens omni periculo; nec enim scio aliud emeticum quod suavius operetur. Quam si vis per inferiora saltem operari sic procede: Assumpto hoc vel alio vomitivo, admove panem tostum calentem ori & naribus, quem ubi refrixerit fere, mutare, aliumque optime tostum admovere oportet; atque hoc tamdiu continuandum, donec nulla amplius percipiatur nausea, antimoniumque inferne operari cœperit: atque hæc cautela est pro delicatis antimonium saltem formidantibus propter vomitiones. Quod si albor ille extractionis est tædiosus tibi, procede cum antimonio, ut supra de cupro dictum; accipe nimirum pro adultis gr. 10. vel 12. antimonii præparati; pro pueris verò gr. 5. 6. plus minus, habita ratione personæ, cui adjice tartari puri ℥j. vel ℥iß. & aquæ limpidæ ℥j. vel 5. Mixta coque in fictili mundo per ¼ unius horæ. Quo facto effunde solutionem inanem in poculum, cui admisce parum sachari ad obtundendam aciditatem tartari, & propina potionem calidam, & fac patientem

tem abstinere ab aëre frigido ; & melius operabitur, quàm infusio illa facta per noctem cum vino, non omnium palato grata manè, quâ gratior est hæc decoctio vino calido dulci similis : Quam etiam si vis inferne saltem operari , utere pane tosto,uti paulo ante dictum.

NB. Antimonium rite præparatum nunquam frustra usurpatur, etiam in minimâ dosi administratum:Etenim etsi non operatur per vomitus & sedes, insensibiliter tamen operatur, sanguinem nimirum mundificat,sudorem excitat, quâ ratione gravissimi morbi tolluntur absque sensibili operatione. Quod mihi sæpe accidit, ansamque dedit rem altius perpendere, quomodo nimirum antimonium ita præparandum ut possit quotidie usurpari absque metu vomituum & sedium;id quod fit sequenti ratione: Fac ut habeas magnam quantitatem hujus solutionis factæ ex floribus antimonii cum tartaro; & elice inde (factâ prius aquæ evaporatione) spiritum, quem comitatur oleum quoddam nigrum , separandum ab illo & rectificandum per se, quod non solum extrinsecè præstat, quæ adscripta supra oleo tartari simplici, sed etiam longe efficaciora propter associatam nobilissimam antimonii essentiam, vires olei tartari duplicantem : tollitque hoc oleum non modo cito dolores podagicos ; sed alios etiam(quia summæ siccitatis est)ab aquositate & ventis profectos in toto corpore; sal enim volatile propter summam quâ præditum subtilitatem, secum fert antimonii vires ad interiores corporis partes mi-

rificè, quâ ratione multa præstantur in Chirurgiâ. Spiritus verò non modo feliciter usurpatur in peste, morbo Gallico, scorbuto, melancholia hypochondriacâ, febribus, obstructionibus & sanguinis putredine, ita nimirũ per se; sed etiam cum musto vel cervisiâ novâ mixtus fermentationis gratiâ, adeò efficacem reddit cervisiã, nec non vinũ, quod quotidie usurpata, hominem præservent à cunctis morbis profectis ab humoribus superfluis; & sanguinis corruptelâ, ita ut neque pestis, neque lepra, neque scorbutus, Melancholia hypochondriaca, alijque radicem agere possint in homine; id quod, præter aurum, nullum aliud præstare potest minerale. In defectu autem hujus spiritus, accipe prædictam solutionem cum tartaro factam, antequam destilletur, & quidem ad cadum unum musti vel cervisiæ recentis lib. unam vel libram unum cum dimidia, mixtaque fac ut una effervescant vel fermententur, Antimonij enim vires exaltantur in vini fermentatione.

In defectu vini naturalis, poteris tibi arte conficere vinum, è melle, saccharo, pyris, ficubus, alijsque fructibus, sicuti docebitur in Parte Quartâ, loco naturalis usurpandum. Vinaque ejusmodi medicata non solum præservant hominem à varijs morbis gravissimis, sed etiam natos in corpore tollunt. Curantur quoque illorum usu quotidiano cuncta vulnera antiqua, alias incurabilia, radicitus & fundamentaliter; quod non solum non ignorârunt Basilius Valentinus & Theophr. Paracelsus, sed alii etiam quam plurimi, tam

ante

ante quàm post illorum seculum, scriptores; quod ab aliis, *ignorantibus* nimirum, illorumque scripta obscura non intelligentibus, fuit neglectum. id quod etiam facile *meis* accidet *scriptis*, quia non tædiosos, diuturnos & sumptuosos præscribo processus; studens in simplicitate inservire proximo, superbis & ambitiosis non arridente, contentis potius processibus inutilibus quàm veritate. Non igitur mirum, si Deus ejusmodi ambitiosos sublimia submissis præferentes, in erroribus suis affectatis relinquit.

Quare tantis lucubrationibus quærimus medicinam tot laborum tædiosorum, cum Deus per naturam longè nos doceat aliter? Certe rectius meliusque si à naturâ instrueremur simplici, quærentes enim abjecta, ardua inventuri essemus: si quidem plerique saltem quærunt ardua, quare etiam illis denegantur vilia. Non igitur absre esset, si vilioribus aliquid etiam attribueretur utpote tartaro & antimonio, tunc enim multum parceretur tempori, sumptibus, vasis vitreis, carbonibus & materialibus: *non* enim *omne quod fulget aurum est*, sed sæpè *sub veste vili* absconditur *arduum & magnum* quid.

Quæres autem forte, quare doceam copulare Antimonium cum Tartaro per aquam, ante ejus fermentationem cum vino; an non sufficeret admiscere pulverem, vel potius solutionem cum spiritu salis factam, utpote faciliorem. R. Vinum in fermentatione (nec alius in fermentatione potus) amplecti nequit calces metallicas, nec me-

tallorum solutiones, sicuti prædictam cum tartaro & spiritu vini factam. Mixturus enim antimonium aliudve minerale solutum in spiritu salis, vitrioli, nitri, vel quovis alio acido, cum musto fermentationis gratiâ, experietur rei finistrum successum, quia spiritus acidus impediet fermentationem, & deseret metallum solutum, perdetque negotium: Præstat etiam tartarum admiscere potibus, quam spiritum corrosivum: Et sicuti dictum de antimonio, ita & de cæteris intelligendum mineralibus atque metallis miscendis musto, cervisiæ. Usurpatur autem vinum antimoniatum non aliter ac potus alius, tempore nimirum prandij & cænæ, & post, sitis extinguendæ gratiâ; non tamen nimiâ quantitate (naturæ intolerabili) vomitus excitante præter scopum, qui est insensilis antimonii operatio, quod dum fit, corpus præservatur non solum à cunctis morbis profectis à sanguine corrupto, utpote peste, leprâ, scorbuto, morbo Gallico &c. sed etiam curatur propter innatam caliditatem occultam, ad instar Solis consumentem humores salsos & vitiosos, quos expellit per sudorem & urinam, unde sanguis purgatur ab ejusmodi humoribus acribus, &c. Non autem solum curantur prædicti morbi sed etiam vulnera externa antiqua, & fistulosa ulcera, alias incurabilia propter abundantiam humoris salsi, & quidem brevi temporis spatio.

Potestque hic potus propinari tam sanis quam ægris (minori tamen dosi) quia universum corpus egregie

egregie purgat, tam senibus quàm juvenibus absque omni periculo.

Nolim igitur te offendere doctorum quorundam opinionem, antimonium pro veneno proclamantium, ejusque usum interdicentium, sed ex ignorantiâ, ex relatione aliorum judicantium; quibus illud Apellis: *Ne sutor ultra crepidam.*

Quid igitur? Non omnis fert omnia tellus: Asini cadaver putre factum, Scarabæos producit, in aërem volantes, id quod asino, scarabæorum origini impossibile erat: atque hæc dicta sunto osoribus regii antimonii: Posteros nimirum illorum aliquando oculos suos aperturos, sibique velata non ita contempturos. Fateor equidem antimonium male paratum, siniströque administratum ab inexpertis, noxium esse, sicuti etiam vegetabilia male usurpata. Sed malè agitur si abjicitur quid propter abusum. Culterne propter abusum infantis abjiciendus in se bonus? Bona instrumenta faciunt bonum artificem; Medicamina similiter bona & efficacia faciunt bonum Medicum: & sicuti quandoque & quidem subito errare potest, sive errorem aliquem committere optimis suis instrumentis artifex aliquis, sic etiam medicus optimis suis medicinis, si non rite administraverit; quæ alias s. a. administratæ, celerius officium suum præstant & plus etiam, quam aliæ longioris temporis intervallo.

Et sicuti instrumenta optima requirunt magistrum peritissimum; sic optima quoque medicamina peritissimum in arte suâ requirunt Medi-

cum, administrantem medicinam suam secundum artem, habitâ nimirum ratione ægritudinis, personæ, sexus, ætatis atque virium.

Nec aliquis miretur, velim, quod antimonio (primo ente auri prædito) tantas attribuam vires; quarum etsi plures adderem, non mentirer tamen. laudes enim ejus satis deprædicari nequeunt in mundificatione sanguinis (rite nimirum parati & administrati) sicuti enim aurum sibi proximum ab omni sorde, ita etiam hominem purgat ab omni immunditie. Estque magna inter aurum & antimonium harmonia, inter hujus & illius Medicamenta. conficitur namque aurum bonum ex Antimonio (uti in Quarta parte docebitur) separationis beneficio: quinimò bona pars antimonii transmutatur in aurum digestione diuturnore; unde apparet auri proprietatibus præditum esse, & commodius ipso auro ad medicos usus applicari posse, quia in ipso vis auri est volatilis, in hoc verò fixa, ad instar infantis flexilis respectu senis. Consulo igitur in Antimonio quærendam medicinam, quæ non invenitur in rebus caducis.

Etsi desideras vires Antimonii vel alterius cujusdam mineralis magis concentratas, redige solutionem beneficio tartari factam, humiditatis evaporatione ad mellaginem in B. cui affunde vini spiritum extractionis gratiâ, & intra paucos dies rubescet, postea tinctum decanta, recentemque reaffunde spiritum; atque id toties, donec omnem extraxerit Tincturam. Quo facto extracti-

tractiones singulas misce, & colloca in vitro colli oblongioris in B. tepido ad digerendum tamdiu, donec essentia Antimonii à spiritu vini separata, præcipitetur ad fundum instar olei spissi, pinguis & rubri; quod postea à spiritu iterum albificato separationem, auferendum & instar thesauri Medici asservandum; est enim oleum absque omni corrosivo paratum.

Sed & spiritus vini aliquid retinet virium Antimonii, ita ut possit per se in multis morbis tam intrinsecis quàm extrinsecis, usurpari cum fructu. Tinctura verò est instar Panaceæ, mirifice operantis in quibusvis morbis, &c.

Et sicuti dictum de Antimonio, ita etiam de cæteris mineralibus atque metallis, & quidem absque destillatione, eliciuntur olea dulcia beneficio tartari, medicamina non contemnenda.

Nemo enim chymiæ peritus negabit vires maximas latentes in oleis metallorum mineraliumque non corrosivis, utpote reductis à crassâ & corporea ad essentiam subtilem & spiritualem.

Spiritus & olea Corallorum, Perlarum, oculorum cancrorum, aliorumque lapidum facile solubilium, animalium & piscium.

℞. PErlarum subtilissime tritarum (vel corall.) part. 1. tartari puri part. 3. vel 4. aquæ quantitatem sufficientem; mixta colloca in cucurbitâ

vitreâ in arenâ, & tantum administra ignem, quantus coctioni requiritur (poterit quoque & quidem melius fieri in olla vitreatâ, quia aqua evaporans renovanda subinde, uti supra dictum de metallis) factâ solutione, fac ut omnia refrigescant: postea illam filtra, & ad mellaginem humiditatem abstrahe; quæ ita per se, vel cum spiritu vini extracta, vel destillata sicuti supra de metallis dictum, ad usus venit medicos. Extractum sive Tinctura viribus præstantior est liquore; spirituque præstantior Tincturâ.

Singula tamen tuto usurpantur, confortant cor & cerebrum, cumprimis perlarum & corallorum, pellunt urinam, & alvi obstructiones prohibent: Oculorum cancrorum, lapidumque percarum præparationes prædictæ aperiunt & purgant ureteres, calculumque renum & vesicæ pellunt. NB. Spiritus corall. rubr. destillatus & rectificatus conducit epilepticis, apoplecticis, & melancholicis; expellit omnes malignitates per sudorem; quia aureis proprietatibus præditus, de quâ re alibi fusius.

Spiritus è sale tartari & tartaro Crudo.

℞. TArtari crudi & salis tartari quantitatem æqualem, mixta solve in aquâ limpidâ, solutionem de spuma, quam iterum in loco frigido redige in crystallos, quæ si destillantur ad instar tartari crudi, dant spiritum puriorem, subtiliorem & suaviorē destillato è tartaro crudo; cujus vires

hîc

hîc recenſere non opus eſt, quia habet eaſdem cum ſimplici ſpiritu tartari. Antequam autem deſtillatur ſpiritus, uſurpari poſſunt cryſtalli ad inſtar tartari vitriolati loco Cathartici lenioris; leniter enim purgant, pellunt quoque urinam atque calculum; nec ingratæ ſunt. Doſis illarum eſt à ℈j. ad ʒj. in aquis appropriatis. Hoc ſal ſolutum in aquâ, metalla melius purificat ſi coquuntur in ipſius ſolutione, quam tartarus crudus communis.

Spiritus ſalis tartari efficaciſſimus additione arenæ vel ſilicum deſtillandus.

DOcui in Primâ Parte ejuſmodi ſpiritum; ubi ſpecies deſtillandæ immediatè projiciuntur in ignem, cujus rei cauſâ remanentia perditur; quam etiam fornacem utpote hâc majorem, majuſque ſpatium requirentem, quilibet exſtruere non poteſt; nunc quoque docebo, quomodo hic ſpiritus deſtillandus in fornace noſtrâ ſecundâ, quæ minor Primâ, & quidem abſque jacturâ remanentiæ, quæ non minoris valoris quam ipſe ſpiritus: Nimirum ut ſequitur.

Fac primò ut habeas ſalem niveum è tartaro calcinato beneficio ſolutionis & coagulationis; quem pulveriſa in mortario calido, eique admiſce ¼ cryſtallorum vel ſilicum pulveriſatorum, vel ſaltem arenæ mundæ lotæ, eaque optime permiſce: quo facto projice in vas deſtillatorium ſingulis vicibus quantum capit cochleare commune,

mune, posteà appone operculum vasi sive orificio vasis (quod terreum esto) & è vestigio candescens mixtura ebulliet & ascendet instar aluminis sentientis ignis calorem subitaneum, dabitque spiritum crassum & ponderosum album; quo egresso iterum injice parum; iterumque exspecta donec spiritus egressus condensetur, & remanentia, quæ candescens in altum adscendit, iterum ad fundum descendat: quo apparente signo, parum iterum injice cum colchleari; atque id toties repete donec omnis mixtura in vas destillatorium sit projecta: Et egresso omni spiritu, amove operculum, & exime remanentiam candentem & mollem, similem vitro albo, claro, transparenti fusili, cum cochleare ferreo mundo; quam præserva ab aëre, in quo dissolvitur, & ad usus suos reserva, de quibus paulo pòst.

Spiritus ita per se, vel rectificatus per retortam vitream ex arenâ, servandus ad usus Medicos; alio sapore præditus quam spiritus salis communis & vitrioli; non enim est adeò acris, odorem præ se ferens sulphureum siliceum, & urinosum saporem. Hic spiritus prodest podagricis, calculosis & phthisicis, promovet enim sudorem & urinam, & quia ventriculum purgat & roborat, appetitum excitat.

Cæteræ vires me latent, facile autem crediderim plures in ipso latere: Et meo quidem judicio, cum spiritus salis tartari simplex, per se factus, commendetur in calculo, non dubito quin hic silicibus & arenâ (signaturam calculi microcosmici

ſmici habentibus) exaltatus ſit medicina particularis præſtantiſſima nephritica. Suum tamen cuique liberum eſto judicium.

Extrinſecè uſurpatus ambuſta reſtinguit, cutemque mundificat. Remanentia ſervata vitro ſimilis non eſt niſi fixiſſima pars ſalis tartari & ſilicum, vi caloris unitorum & in vitrum ſolubile redactorum: in quo latet ingens calor, qui quamdiu ab aëre præſervatur, ſiccum non cernitur, manifeſtatur autem affuſâ aquâ. Quod pulveriſatum in mortario calido, & aëri humido expoſitum, reſolvitur in oleum ſpiſſum & pingue, relictis quibuſdam fecibus.

Hoc oleum ſive hic liquor Silicum, Arenæ, cryſtallorum non ſolum ita per ſe venit in uſum Medicum tam intrinſecum, quàm extrinſecum; ſed etiam uſurpatur ad metallorum mineraliumque non modo præparationes medicinales, ſed etiam ad ipſorum in Chymiâ emendationes. Multa enim latent in ſilice & arena, rebus ſcil. vilibus & abjectis, incredibilia inexpertis. Mundus namq; hodiernus eſt adeò poſſeſſus diabolicâ avaritiâ, ut nihil niſi aurũ ambiat & argentum, ſpretis & neglectis artibus & ſcientiis honeſtis; quare etiam merito Deus nos excæcat, ne quæ coram oculis noſtris, apparere viſui noſtro poſſint. Præſtantiſſimus ille Paracelſus dixit hâc de re in *libro* ſuo *vexationum Alchimiſtarum* dum in hæc erumpit verba: *Silex ſæpe numero à tergo vaccæ projectus, carior vaccâ*, non ſolum propterea, quod aurum inde eliciatur vi liquefactionis,

factionis, sed etiam viliora metalla adeò ipsius beneficio purificentur, quod auro naturali & argento in omnibus similia appareant; quod etsi nondum præstiti magno cum fructu, vidi tamen possibilitatem & veritatem aliquoties, id quod demonstrabitur suo loco.

Hic Silicum liquor admodum venustat metalla, non ad instar muliercularum supellectilem suam stanneam, cupream, ferream &c. arenâ & lixivio mundificantium, omnemque rubiginem abstergentium, donec splendorem pristinum adipiscantur vasa; sed longe aliâ ratione, ubi metalla in ipso Chymicè dissolluta, aliquâtisper postea & quidem vel viâ humidâ, vel siccâ digeruntur in eo; quod est secundum Paracelsum, *intrare in uterum maternum & regenerari*; quod si rite peragitur, matrix dabit sive parict partum mundum. Cuncta metalla generantur in arenâ vel in lapidibus, quare merito *metallorum matrices* appellantur, qui quo puriores, eò puriorem dant fœtum: Est autem omnium lapidum purissimus Chrystallus, silex & arena (unius naturæ lapides si simplices nec metallis imprægnati) quarè silex & arena aptissimum metallorum balneum. Noli autem opinari hoc balneum esse Philosophicum illud menstruum secretissimum, Regem supreme purificans; quia illud magis amicatur auro propter affinitatem, quam reliquis metallis; hoc autem magis cæteris quam auro. Hinc videre est, quod hoc balneũ non sit *Fontina Bernhardi*, sed saltem particularis quædam metallorum purgatio;

tio: sed hisce omissis (volens enim poterit esse in illâ re exercere) accedamus usum medicum hujus liquoris, cujus gratiâ hic liber conscriptus; quæ autem dicta, propterea dicta ut appareat non semper res caras, & prætiosas esse respiciendas, sed etiam vilissimas ob bonitatem in illis absconditam, utpote sunt silices & arena.

Quomodo sanguinis instar rubra Tinctura eliciatur è liquore silicum, cum vini spiritu.

EXtracturus Tincturam Medicam vel Chymicam, accipiat loco alborum, flavos elegantissimos silices, viridos, cæruleos &c. continentes aurum volatile vel fixum: è quibus elice primo spiritum salis tartari additione; quem si non desideras, funde solummodo mixturam in crucibulo mundo cooperto, & fac inde vitrum transparens fusile, quod redige in mortario calido in pulverem subtilissimum, cui affunde in vitro colli oblongioris spiritum vini rectificatum (nihil interest etsi phlegmate non sit orbatus si modo purus sit) & colloca tamdiu in digestione (vitrum subinde agitando, quo silex dispersus eò facilius solvatur) donec spiritus rubro tingatur colore; quem postea decanta, recentemque reaffunde, donec etiam rubescat; atque id totics repete, donec nihil extrahatur amplius. Quo facto abstrahe iterum in balneo vini spiritum per alembicum à tinctu-

râ in

râ in fundo cucurbitæ remanente instar lucci vel liquoris rubri, quem postea ad usus suos servare oportet.

Vsus Tincturæ Silicum in Medicinâ.

HÆc Tinctura, cumprimis parata è silice vel arenâ aureæ naturæ participe, non comtemnenda, efficaciſſime enim resistit omnibus coagulationibus tartareis solubilibus manuum, genuum, pedum, renum & vesicæ; etsi confecta è vulgaribus in defectu aureorum, quamvis non adeò eminenter. Nec mirum si tanta vis in arenâ vel silice potabili, non enim omnia omnibus nota. Estque ejusmodi tinctura efficacior, si antequam extrahitur, solvitur aurum in liquore silicum.

Nolim autem te suspicari hanc salis tartari (uniti cum arenâ, spiritum vini tingentis) esse tincturam; quia inter hanc & illam est maxima differentia. Salis enim tartari tincturâ destillatâ per retortam, egreditur primò vini spiritus clarus, secundo phlegma insipidum, remanente sale in fundo, simillimo sali tartari, nullo post calcinationem colore prædito: Quæritur igitur nunc, quid factum cum tincturâ, nulla enim stillavit, nulla etiam remansit in fundo cucurbitæ?

R. Non fuit vera Tinctura, quia sulphur vini additione salis tartari exaltatur, ac proin rubedine aliquâ inficitur, quæ etiam tollitur iterum ablato sale tartari quod etiam accidit in digestione salis

ne salis urinæ, cornu cervi, fuliginis &c. cum vini spiritu, qui rubro inde tingitur sed non fixo colore; si enim iterum separantur rectificationis beneficio, singula etiam iterum pristinam suam speciem acquirunt, quare uti dictum, non vera tinctura; incredulus solvat unciam unam salis tartari albi vulgaris in lib. una spiritus vini, qui adeò inde rubescet, ac si diu stetisset super tartaro calcinato ad viriditatem vel cæruleitatem: Et si non aliquoties ipse probâssem, utique item in eandem sententiam. Sed rem se habere longe aliter expertus; quare volui hanc meam opinionem publicare, non dubitans de invidiâ illorum, quibus cum majore parte errare placet. Sed propterea non inefficax Tinctura salis tartari putatitia, quia in multis morbis efficaciissima, propter puriorem salis tartari partem à spiritu vini solutam, eumque colorantem. Sed longe aliter se habet Tinctura è silicibus præparatis extracta cum vini spiritu, qui etsi destillatus albus egreditur, relinquit salem ruberrimum, retinentem suum colorem etiam in maximo igne; quare merito vera judicanda Tinctura.

Quomodo beneficio hujus liquoris auri extrahatur color.

OLeum sive liquor silicum metalla præcipitat corrosivis menstruis soluta, sed non ad instar salis tartari: Calx enim metallica hujus li-

quoris beneficio præcipitata ponderosior redditur, propter filicum admixtionem.

Ex. gr. solve aurum in aq. regiâ; affunde solutioni sufficientem quantitatem hujus liquoris, quanta nimirum sufficit ad auri præcipitationem, ad instar pulveris flavi, donec nimirum solutio iterum albescat, quam decantare, aurumque præcipitatum edulcorare & siccare oportet, sicuti supra dictum de auro fulminante, sed sine periculo accensionis, hæc enim exsiccatio caret illo periculo, cui obnoxia illa facta nimirum cum sale tartari vel spiritu urinæ. Aurum præcipitatum terræ flavæ simile, duplo ponderosius nunc quàm ante solutionem sui ob admixtos filices in præcipitatione. Annihilavit enim A. R. aciditate suâ salem tartari, illudque viribus suis spoliavit, ita ut deserere coactus fuerit assumptos filices &c. Et vice versâ sal tartari annihilavit aciditatem aquæ regiæ, ita ut aurum solutum amplius retinere nequiverit: quâ ratione & aurum & filices liberata à suis solventibus.

Colloca hunc pulverem flavum exsiccatum, in crucibulo mundo inter carbones vivos ut candescat aliquantisper, & mutabitur flavedo prædicta in colorē purpureum elegantissimum, qui etiam evanescit, si diutius relinquitur in igne pulvis, acquirens colorē tegularum; quare tempestive ab igne auferēdus, si desideratur color ille purpureus.

Hic pulvis ditioribus administrari potest à ℈j. ad ʒ½. cum vehiculis appropriatis, in omnibus affectibus diaphoresi egentibus; non enim solum sudo-

sudorem provocat & cor roborat; sed etiam renum & vesicæ calculum (nondum induratum) virtute silicum instar sabuli per urinam expellit.

Quomodo Rubinus solubilis conficiendus è pulvere illo purpureo, id docebitur in Parte Quartâ; non enim est hujus loci, quia fit in crucibulo, fortissimi ignis beneficio, &c.

Extracturus autem auri prædicti colorem, affunde pulveri præcipitato, nondum vi ignis calcinato, spiritum salis acerrimum, qui partem auri in calido soluturus colore elegantiorem, solutione nimirum illâ, quæ fit cum A. R. Affunde postea solutioni prædictæ 5. vel 6. spiritus vini optimè rectificati partes, & pars quædam auri longâ digestione præcipitabitur instar pulveris albissimi, reducibilis cum borrace, vel cum tartaro & nitro in corpus ad instar argenti album, grave ad instar auri, facile iterum colorem suum recuperans ex antimonio. Residuum verò in præcipitatione, spiritus nimirum salis vini spiritui mixtus oportet ut abstrahatur à tinctura, remanente in fundo cucurbitæ instar liquoris acidi suavissimi auri colore tincti, ijsdem viribus ferè præditi, de quibus alibi, ubi dictum de auri coloribus. Cumprimis autem hic liquor roborat cor, cerebrum & ventriculum. NB. Quandoque una cum spiritu, vini adscendit parum olei rubri (separati à vini spiritu, spiritu illo fortissimo salis) imprægnati tinctura solis; quod est cordiale egregium, cui vix aliud comparari potest, in reficiendis senibus & emaciatis (si aliquot gutt. ad-

miniſtrantur) mortem cum vitâ mutaturis ex defectu humidi radicalis.

Sed quæritur utrum hæc pro verâ Tinctura habenda, vel utrum detur melior? Etſi à multis affirmetur, & à me quoque antea eo nomine appellata ſit; non tamen revera eſt: Etſi enim prædictâ ratione auro aliquid decedit virium, vitâ tamen non privatur ſuâ: Etſi enim palleſcit, colorem tamen priſtinum iterum recuperat facilimè è minerali aliquo vili & abjecto. Si enim revera animâ ſuâ ſpoliaretur, utique tam facilè non revivisceret adminiculo mineralis alicujus vilioris, id enim fieri nequit niſi per rem aliquam, quæ ex abundantiâ ſuæ perfectionis & vitæ, inopiam aliorum reſarcire poteſt; Ut videre eſt in homine debili & infirmo, mortique proximo, qui egregiis medicamentis refocillatus priſtinam ſuam ſanitatem recuperat. Cadaver verò ſive corpus animâ privatum per medicamenta nunquam revivificari poteſt, ſed in captivitate mortis detinetur, uſque ad tempus miſericordiæ illius, in cujus poteſtate ſunt omnia.

Sic etiam de auro capiendum colore ſuo, non animâ privato, qui ipſi facile reſtituitur ex antimonio ceu Medicina ſuâ, item ex cupro & ferro, ita quidem ut amplius defectus ejus non percipiatur. Sed ſemel privatum vitâ ſuâ, verâque animâ, fieri nequit, ut adminiculo mineralis alicujus vulgaris reſtituatur ipſi ſuus defectus quem reſtituere nequit auro imperfectius quid, ſed bene per aliquid auro perfectius. Quemadmodum

nodum enim homo vivus mortuum reviv ificare nequit, quod solius Dei munus est creatoris; ita etiam aurum auro (mortificato) vitam restituere nequit ; multo minus ergo minerale quoddam auro inferius ; id quod solius Philosophi est cognitionem auri veram habentis. Et sicuti dictum modò de rebus per æqualia non perficiendis, sed potius per plusquam perfecta ; ita etiam cape de Tinctura, quæ non vera Tinctura, cujus corpus residuum adhuc aurum est.

Vera enim in suis tribus consistit Tinctura principiis, id quod de illâ prædicari nequit, cujus corpus adhuc vivit in Ternario suo consistens; homo enim vivus, animâ privatus dici nequit.

At infers, quod hæc nihilominus vera dici mereatur Tinctura, etsi corpus remanserit aurum post extractionem, vitâ non privatum; ad instar sanguinis superflui copiose extracti, unde quidem pallescit & debilitatur homo, qui tamen iterum vires suas recuperat victus ratione salubri. Sed apage cum ejusmodi nugis ! quis enim sapientum unquam comparavit manipulum sanguinis cum vitâ hominis? Etsi enim homo cum sanguine privatur vitâ, sanguis tamen *vita* dici non meretur, alias enim mortuos cum ipso suscitare possemus propinato nimirum, id quod nusquam visum neque auditum. Atque ejusmodi nugis sunt qui audent veritatem, in *Tractatu* meo *de auro potabili* demonstratam subvertere, dicentes hanc Gebri & Lullii fuisse opinionem, statuentium aurum suam extrahi posse tincturam aureitate suâ illæsâ. Quæritur

ritur igitur quid amiserit aurum permanens aurum extractâ verâ Tincturâ? Sed hic nullus & nemo.

Quid mihi cum Gebri & Lullij scriptis, quorum obtrectator non sum utpote Philosophorum celeberrimorum, scientium (si essent superstites) defendere sua scripta, sicuti ego defensurus mea. At siccine intelligitis Gebri & Lullij scripta secundum literam; quæso quis unquam ex illis comparavit sibi Tincturam? Profecto si ita sese res haberet, quilibet vulgariter doctus Tincturam aliquam & ipsum lapidem (de quo copiose scripsêre) ex ipsorum scriptis confecturus esset. Sed res longe se habet aliter. testatur enim quotidiana experientia, multos annos, dies noctesque studuisse in illorum libris viros etiam literatissimos & in omni genere doctrinarum versatissimos, sed frustra. Si enim secundùm literam intelligerentur illorum scripta, non tot certe reperirentur Alchymistarum myriades pauperculorum, secundum mysticum & occultum solummodo sensum explicanda. Veritate igitur sub obscuritate verborum (processuum fallacium) comprehensâ, difficile erit illam ex illorum scriptis eruere, nisi forte per aliquem Divinitus illuminatum intelligentem scripta illorum virorum obscura; vel per aliquem artificem pium, qui Divinâ assistentiâ aliquid ex suis laboribus animadverterit, ancipitem primo, confirmatum verò postea verorum Philosophorum scriptis authenticis: aliàs enim vix aliquis voti sui compos futurus ex lectione ejus-

ejusmodi authorum, sed in extremam paupertatem factâ temporis, bonorum & sanitatis jacturâ, prolapsurus.

Nec Venus Tincturâ verâ privata amplius est metallum, cujus corpus residuum nullâ arte, nec ignis violentia reducibile in corpus metallicum. N B. imperfecte extracta relinquit corpus friabile griseum ad instar ferri in reductione.

Alius modus extractionis tincturæ Solis cum liquore silicum vel arenæ.

℞. CAlcis auri præcipitatæ cum oleo arenæ part. 1. liquoris crystallorum vel arenæ part. 3, vel 4. Misce solis calcem optime in crucibulo cum liquore, & colloca in calore moderato ad evaporandam humiditatem olei arenæ, quod difficulter succedit, difficulter enim silex & arena propter siccitatem, humiditatē attractam deserunt, ascendentes in crucibulo instar boracis & aluminis; quare ad medietatem saltem replendum, ne propter angustiam liquor unà cum auro effluat. Quo facto materiâ nimirum amplius non ascendente, auge ignem donec candeat crucibulum, & appone operculum arctissimè ne quid incidat, tantumque in furno ventoso administra ignē, quantus sufficit ad fusionem liquoris & calcis, quæ instar aquæ fluere debent, ignemque continua fluxus continuationis gratiâ, donec calx solis & liquor abierint in Rubinum transparentem elegantissimum, quod plerumque fit u-

unius horæ ſpatio, quem effunde in mortarium cupreum mundum; cui refrigerato & pulveriſato affunde ſpiritum vini extractionis gratiâ; quâ factâ abſtrahe iterum vini ſpiritum ab extracto, referente ſanguinem tenuem, viribus prædito efficacioribus extracti prioris &c.

Remanentia cum plumbo cocta (ad inſtar minerarum) præcipitata & fulminata dat corpus auri reſiduum Lunæ inſtar pallidum, colorem ſuum ex antimonio recuperans abſque ſingulari jacturâ ponderis. Coctionis illius, ſeparationis & fulminationis modus explicabitur in Parte Quartâ. Habeo alios etiam extractionis (aurei coloris) modos, qui non ſunt hujus loci, propter aurum in crucibulis præparandum, cui operi hæc fornax non ſervit, quare differetur ad Partem Quartam, ubi non ſolum docebitur præparatio auri, antimonii, aliorumque mineralium, quâ apta redduntur ad extrahendum, ſed etiam reductio illorum in Rubinum fixum, ſolubilem tranſparentem, medicinam excellentiſſimam. Et ſicuti de auro dictum, ita etiam cape de argento aliiſque metallis & mineralibus extrahendis, quare non opus omnium & ſingulorū dare Tincturas, utpote comprehenſas ſub uno aliquo ſcil. auri proceſſu: alias enim ingens ex hoc libro volumen futurum eſſet. Atque hæc dicta ſufficiant de Tincturâ ſolis extrahendâ viâ nimirum vulgari, quæ quidem optima Medicina, inutilis autem, quantum per me ſcire licet, in Alchymiâ. Auri verò veram deſiderans tincturam, deſtruat primo aurum

tum per *Mercurium* illum *universalem*, faciatque manifestum occultum, & vice versâ occultum manifestum, secundum artem laborando; quod si faciet, facile conjunget auri animam cum vini spiritu, redigetque in optimam Medicinam. De quâ re fusius in Tractatu de auro potabili. Possessor *Chalybis Sendivogii* facile absque magno negotio impetrare potest Medicinam optimam, quæ nobis ingratis haud immerito à Deo denegatur linquente nos in erroribus nostris voluntariis.

Quid amplius præstat liquor Silicum?

VAria præstare potest hic liquor tam in Alchimiâ quam Medicinâ: nimirum illius beneficio conficiuntur è metallis optimi colores, in omnibus elementis permanentes, item è crystallis lapides duri transparentes, naturalibus pulchritudine nihil cedentes, & quandoque excellentiores: item amaulæ &c. quæ non huc pertinent, sed ad Partem Quartam, ubi fusius hâc de re.

Quomodo arbores in hoc liquore è metallis crescere facias cum suis coloribus.

QUamvis hic processus ad medicinam pertinere non videatur, attamen ipsum hic inferere volui, utpote utilissimum Medico Chymico ad explorandas proprietates & alterationes rerum naturalium.

℞. Olei sive liquoris prædicti silicum, sive crystallorum &c. quantum vis, cui adde eandem proportionem (vel circiter) lixivii tartari, probéque misce, ita ut ex ambobus fiat unum quid tenue, nec amplius liquor ille spissus percipiatur in lixivio tartari; & erit parata aqua germinare faciens metalla; quæ prius solvere oportet in suis menstruis appropriatis corrosivis, atque hæc ab illis iterum abstrahere ad siccitatem calcis, cautè tamen ne fortiori igni administrato metallica calx candescat, qua ratione privaretur germinandi facultate. Quæ postea è cucurbitâ exempta in particulas instar pisorum confringenda, collocandas in prædicto liquore, in vitro pellucido majoris apparentiæ gratiâ arbuscularum germinantium, è vestigio nimirum post exemptionem; oportet enim illas ab aëre præservare, quia aliàs privantur suâ facultate. Siccas igitur illus particulas imponere oportet per distantiam unius digiti lati transversi, unius nimirum ab alterâ in fundo vitri liquorem continentis; collocandi in loco aliquo tranquillo immobiliter; & evestigio metallum intumescet cum excrescentiâ unius vel alterius trunci cum suis ramusculis, jucundissimo oculorum aspectu mirabili. Nolim autem tibi persuasum habeas hæc jucunditatis saltem gratiâ indicata fuisse; latet enim peculiare quid in hâc re. Si quidem omnis arena & silex (quantumvis alba) occultam in se habet tincturam aureumque sulphur, quod nemo inexpertus facilè credet. Si enim rasura Saturni liquori

illi

lli imponitur, manifestatur aurum in eo occultum, & adhæresçit Saturno (aquæ beneficio separabile) apparenti instar metalli inaurati; quod aurum aliunde non profectum, quàm ex arenâ & silice, quantumvis albis, in quibus delituerat.

Eâdem etiam ratione demonstrat (liquor ille) perfectivam suam & meliorativam facultatem circa metalla aliquantisper secum digerenda. Satis enim evidenter apparet, metalla crescentia multiplicari è liquore illo per assimilationem sui similis: quod inde patefit, quod particula magnitudinis unius pisi liquori imposita germinando multiplicatur in duplum & triplum; id quod notatu dignum. *Metallorum* enim *matricis* sunt, silices & lapides arenosi, & proin magna sympathia inter hos & illa, cumprimis imperfecta; ac si natura vellet, incocta & imperfecta metalla in matricem suam intrare, & ibi aliquantisper manere, donec nimirum perficiantur, ac si fuissent præter voluntatem suam inde eruta ante tempus.

Conficitur quoque ex hoc liquore optima Borax faciens ad metallorum reductionem: item optimi colores pro fictilibus colorandis instar Porcellanorum. Item beneficio coctionis in aqua per præcipitationem terra quædam albissima, è quâ formari possunt fictilia porcellanis similima. Item alia mechanica quæ non sunt hujus loci. Maturantur etiam ipsius beneficio & fixantur mineralia volatilia, ita ut hac ratione non solum apta reddantur ad usum Medicum; sed etiam dispo-

disponantur deferere aurum suum & argentum volatile; de quâ re plus in Parte Quartâ.

NB. Huc pertinet processus de spiritu Saturni Lacte virginis, sanguineque Draconis.

De spiritu Vrinæ & salis Armoniaci volatili.

CONficitur ex urinâ & sale Armoniaco spiritus subtilissimus modis diversis, utilissimus non modò in Medicinâ, sed etiam Chymiâ & mechanicis. Ut sequitur,

Collige magnam quantitatem urinæ virorum sanorum castorum in vase ligneo, quam factâ putrefactione destilla : & rectifica spiritum destillando è retortâ ampliſſimâ colli ampliſſimi à tartaro calcinato ; atque in hâc rectificatione qui primò egreditur spiritus seorsim asservandus, uti etiam Secundus & Tertius ; in illum nimirum finem, ut debilior ad medicos veniat usus, & quidem vel per se, vel mixtus vehiculis : fortior verò inserviat præparationibus medicinarum metallicarum. Sal autem in rectificatione ascendens unà cum spiritu fortiori, vel miscendus debiliori fortificationis gratiâ, vel per se in vitro mundo asservandus. Sed quia hic modus est admodum tædiosus, apponam etiam alium faciliorem nimirum cum sale Armoniaco. ℞. Salis Armoniaci & Lapidis calaminaris ana. seorsim pulverisatos misce, de quâ mixtura injice in vas destillatorium candens (copulatum cum ingenti Recipiente) non

non nisi unciam unam vel dimidiam pro unâ vice.

Hic enim spiritus tantâ cum violentiâ erumpit, ita ut absque periculo per retortam destillari nequeat; si quidem egomet ipse antequam hoc instrumentum inveni, aliquot fregi Recipientes in hujus spiritus destillatione.

Spiritibus in Recipiente condensatis, plus injice mixturæ, atque hoc continua, donec omnis injecta mixtura. Quo facto exime spiritum, & serva ipsum in vitro fortissimo, arctissime obturato; sed non cum cerâ & vesicâ quia illam liquefacit, hanc verò penetrat; sed cum papyro & laccâ, vel loco laccæ cum sulphure liquefacto, & exhalare non valebit. Vel poteris tibi comparare illa vitra, quorum descriptio datur in Parte Quinta, quæ retinere possunt quosvis spiritus subtilissimos, majoris securitatis gratiâ.

Atque hic spiritus rectificatione non opus habet, nisi mixtus cum aquâ præpositâ in Recipiente: Qui verò vult poterit illum rectificare per retortam vitream & postea ad usus servare.

Atque hic est modus optimus destillandi spiritum salis Armoniaci, qui etiam destillari potest additione limaturæ Zincki, salis tartari, salis è lixivio lignorum confecti, calcis vivæ &c. sed spiritus illorum additione elicitus non est comparabilis cum illo facto nimirum cum lapide calaminari & Zincko, quantumvis eadem præstet.

Sequi-

Sequitur Processus.

℞. SAlis Armoniaci pulverisati & salis tartari ana lib. 1. mixta misce cum lixivio tartari, vel cum aquâ communi, ut fiat inde pulmentum, quod per vices injice cum cochleari communi, in vas destillatorium, atque id continua, donec sufficientem habeas copiam spiritus. NB. Si vis poteris Armoniacum salem miscere cum tartari sale absque lixivio vel aquâ; sed præstat mixturam humectare; sicca enim dat spiritum siccum in formâ salis volatilis; humida autem spiritum dat maximâ parte, igneum urentem. Mixtura quoque humida, facta è sale armoniaco & calce vivâ cum lixivio, plures dat spiritus quàm sicca.

Quæres autem fortassis, quare talia, utpote lapis calamin: Zinck, calx viva, tartarus calcinatus, sal è cineribus lignorum, nitrum fixum & similia combusta, adjiciantur sali armoniaco in destillatione hujus spiritus; utrum non sufficiat admiscere bolum, vel aliam terram? R. Duplex est sal in sale Armoniaco; nimirum sal quoddam acidum, nec non sal urinæ volatile, vix ab invicem separabilia absque mortificatione unius vel alterius; quibus sentientibus ignis calorem, sal acidum elevatur unà cum sale armoniaco in sublime, atque sic ex ambobus fit sublimatum, ejusdem facultatis & essentiæ cum non sublimato, illud tamen hoc purius. Quod mixtum cum bolo, farinâ laterum,

rum, arenâ, vel aliâ quâvis terrâ, non dabit spiritum in destillatione, sed salem integrum relictâ saltem terrestrietate. Lapis autem calaminaris (etsi terræ similis) aliter se habet quia admixtus sali armoniaco facit separationem salium in destillatione spiritus (sicuti etiam Zinck) propter affinitatem quam cum acidis habet; propter quam sese mutuo amant (de quâ re aliquid in Parte Primâ) unde fit ut sal acidum adhærescat illi in calido, & sal volatile liberetur & consequenter abeat in spiritum; quod fieri non potuisset absque lapide calaminari & Zinck salem acidum attrahentibus. Ratio verò est destillationis hujus spiritus in admixtione salium fixorum, ipsa contrarietas salium fixorum cum acidis, quæ ab illis prævalentibus mortificantur, unde etiam id quod admixtum illis liberatur; id quod etiam accidit sali armoniaco in admixtione salis alicujus fixi vegetabilis mortificantis aciditatem illi adhærentem, quare sal urinæ à vinculis illius liberatum, sublimatum stillat in spiritum; id quod salis communis admixtione fieri non potuisset, instar inimici salem armoniacum mortificantis & ligantis ita ut spiritum suum dare nequeat.

Atque hæc ignarorum causâ (non scientium) indicâsse volui, ut lumen habeant in suis laboribus. docet enim quotidiana experientiâ, vulgus Chymicorum ex usu saltem laborare quæ sciunt ex relatione aliorum, audita scil. visa & lecta, nullius rei rationem reddere scientium, non scrutantium salium, mineralium aliorumque naturas;

ras;contentorũ formulâ descriptionis sui proces-sus,hujus vel illius authoris quorum scripta non sunt,nisi (plerumq;nimirũ)compilata opera. Rarò etiam lectioni multæ addicti voti sui compotes fiunt,ducti ex uno in alterum labyrinthum,donec miserè vitam suam finiant tandem multis curis atque vigiliis ; qui si ante susceptum opus naturam rimarent diligenter, utique majorem inde cognitionem sibi acquisituri &c. Atque hæc dicta sufficiant in transitu errantium gratiâ, non scientium quos nolim invidere illis,nec mihi illorum gratiâ scribenti.

Remanentia quoque non abjicienda,illa enim ab admixtione salis tartari facit ad reductionem metallorum: A lapidis calaminaris verò & Zincki admixtione, dat per deliquium oleum clarum & album, acre & grave, profectum à solutione lapidis calamin : facta ab aciditate relicta salis armoniaci; ejusdem ferè virium in Chirurgiâ cum illo quod docetur in Parte Prima, factum ex lap : calam: & spiritu salis ; sed hoc non dat ad instar illius in destillatione spiritum fortem , sed tantum sublimatum acre.

De usu & viribus spiritus Salis Armoniaci.

HIc spiritus valde penetrativus, natura aërea, humida & calida præditus est, quare in multis morbis commendatur. Administratus à gutt. 8. 9. 10. ad 12. plus minus, subito universum permeat corpus , sudorem provocat celerrime, obstructiones lienis referat ; resolvit & expellit humo-

humores vitiosos per sudorem & urinam; curat quartanam, colicam, suffocationem matricis &c. In summâ efficacissime incidit & attenuat humores crassos & lentos, eosque evacuat. Extrinsecè etiam feliciter usurpatur, restinguit enim inflammationes & combustiones, curat gangrænam & erisypelata; mitigat dolores podagricos, linteolis applicatis, & si pustulas trahat, nihil tamen refert. Pulsibus applicatus commendatur in febribus ardentibus: tumores tollit & dolores; sanguinem congelatum resolvit; luxatis opem fert membris, & nervis rigidis; olfactus curat hemicraniam, alioſque capitis affectus diuturnos, quia solvit materiam peccantem, eamque evacuat per nares: auditum amissum restaurat, extrinsecè nimirum alligatus cum instrumento aliquo congruo. Nec-non in obstructione mensium, administratus extrinsecè, modo spirituali, beneficio aliapti cujus instrumentuli; citò aperit obstructiones, purgat uterum, & fœcundas reddit mulieres &c, Mixtus aquæ fontanæ in ore retentus mitigat odontalgiam ab acribus humoribus profectam. Cum clistere parum administratus lumbricos necat, & colicam mitigat.

Cæterum diversimode usurpari potest hic spiritus, cumprimis autem in præparatione medicamentorum egregiorum metallicorum & mineralium, quorum nonnulla recensebuntur in subsequentibus.

NB. Est & alia materia semper & ubique reperibilis absque destillatione & omni sumptu, ejus-

dem bonitatis in prædictis morbis cum spiritu illo prædicto destillato; quæ si sciretur, utique non tot ægroti, pharmacopœi & Doctores reperirentur.

Oleum vitrioli rubrum destillandum beneficio spiritus urinæ.

SOlve vitriolum Hungaricum, vel quodvis aliud commune bonum in aqua communi, solutionem filtra per chartam emporeticam; postea spiritum prædictum tantisper affunde, dum omnis viriditas evanuerit, & aqua clara & limpida facta, præcipitato sulphure flavo ad fundum: quo facto aquam claram decanta, turbidam verò filtra per chartam bibulam, retinentem terram vitrioli transmissa aqua; quam siccare & destillare oportet, & dabit oleum sanguinis instar rubrum efficacissimum, cunctas obstructiones deopilans, & radicitus curans epilepsiam. Clara verò ad siccitatem evaporata dat salem, è quo per destillationem elicitur spiritus mirabilis. Sal verò antequam destillatur, est purgans quoddam specificum; quod tutissime usurpatur in cunctis morbis à gr. 3. 10. 12. usque ad 24. gr.

Tinctura Vegetabilium.

EXtracta cum ipso Aromata, semina, flores, digesta & destillata, dant essentiam similem olei rubri.

Vitrio-

Vitriolum Veneris.

AFfusus calci Veneris, factæ crebriore ignitione & exstinctione, unius horæ spatio extrahit colorem cæruleum; quem facta solutione decantare & in loco frigido collocare oportet, & dabit vitriolum elegantissimum cæruleum; quod exigua dosi, propinatum vehementes excitat vomitus; residuum vitrioli manet oleum cæruleum, bonum in ulceribus.

Tinctura Tartari crudi.

COlloca cum tartaro crudo in digestione, & extrahet sanguinis instar rubram Tincturam: spiritus iterum avocatus relinquit oleum rubrum suave, magnarum virium.

Olea vel Liquores Salium.

CRrystalli quoque alijque lapides hoc solvuntur spiritu, soluti nimirum prius & præcipitati, atque in pulverem redacti in palpabilem; rediguntur que in olea & liquores usibus tam chymicis quàm medicis destinata.

Metalla ut præcipitentur cum illo.

PRæcipitantur illius beneficio cuncta metalla in acidis spiritibus soluta, & quidem melius,

beneficio liquoris salis tartari; aurum enim fulminans illius beneficio præcipitatum fortius fulminat præcipitato cum oleo tartari.

℞. Succus limonum auro soluto admixtus antequam præcipitatur, facit ne omne præcipitetur aurum, sed pars quædam maneat cum solvente, quæ temporis progressu abit in lapillos virides, similimos vitriolo, purgantes quosvis humores noxios parvâ quantitate exhibiti.

Oleum & Vitriolum Lunæ.

SOlve Lunam in aq. forti, affunde solutioni spiritum prædictum, donec strepere cesset, & pars quædam argenti præcipitabitur instar pulveris nigri, reliqua verò pars manebit cum solvente; à quâ in baln. abstrahe phlegma usque ad cuticulæ apparitionem, quæ postea in frigido collocata producet crystallos albas, quas siccare oportet: Prosunt in maniâ, hydrope, febribus aliisque; sunt enim catharticum, quod absque periculo senibus æque atque juvenibus administrari potest. Liquor residuus, qui non abijt in crystallos, vini spiritu extractus, dat extractionem fecibus abjectis suaviorem, quæ à vini spiritu iterum segregata Medicina est præstantissima in omnibus affectibus cerebri.

Tin-

Tinctura rubra Antimonii & Sulphuris.

COque sulphur vel antimonium pulverisatum tamdiu in lixivio salis Tartari, donec rubescat lixivium; cui postea affunde hunc spiritum, & lento balnei calore destilla, & unà cum spiritu volatili stillabit Tinctura, quæ argento affricta aureo ipsum inficit colore non fixo; utilissima in omnibus pulmonum affectibus.

Quomodo sulphur & antimonium sint maturanda ita ut præbeant odorem instar vegetabilium.

SOlve Antimonium vel sulphur in liquore Silicum vel arenæ: solutionem coagula in massam rubrã cui affunde spiritum urinæ extractionis gratiâ in leni quodã calore; quem rubro calore tinctum decanta, recentemque reaffunde, donec nimirum nullam amplius extrahat Tincturam. Postea singulas misce extractiones, & iterum abstrahe in balneo urinæ spiritum, quo abstracto remaenbit liquor sanguinis instar ruber: cui affusus vini spiritus, extrahit Tincturam elegantiorem relictis fecibus, alii odorem referentem; quæ in digestione collocata 3. vel 4. septimanarum spatio acquirit odorem suaviorem prunorum; nimirum pallidorum; quæ si denuo relinquitur diutius in digestione, adhuc suaviorem acquirit, muscum scil. & ambram referentem odorem.

Quo enim diutius relinquitur in digestione Tinctura, eò suaviorem acquirit odorem. Non autem solum in igne mutantur odor & sapor, sed etiam vires ejus egregiè: Et quotquot observantur, proficiscuntur singuli (odores scil. varii suavissimi) quantum scil. attinet illorum emendationem, ab urinæ spiritu maturante, in quo non destructivus sed conservativus & multiplicativus delitescit ignis cunctos colores exaltans, de quâ re alibi fusius.

NB. Magna est sympathia inter spiritum urinæ; & Venerem tam animalem quàm mineralem: non enim solum præ cæteris amat cuprum, illudque amplectitur & venustat, sed etiam ad medicos usus præparat; ita ut tam intrinsecè quam extrinsecè usurpatum, cunctos venereos affectus contumaciissimos curet radicitus absque additione aliorum medicamentorum.

Fertiles reddit & steriles mulieres, habitâ ratione diversæ administrationis: matricem purgat; suffocationem uteri tollit, & menstrua provocat præ cæteris mirabiliter.

Mixtio hujus spiritus cum spiritu volatili vitrioli vel salis communis, dat salem fusibilitate cætera omnia excellentem, pertinentem ad chymiam & medicinam.

NB. Liquor salis Tartari, vinique spiritus absque aquâ non miscentur tanquam medio, quibus nec urinæ spiritus admiscetur adjectus, retinens suum quoque locum, quantumvis agitetur vitrum, sicuti etiam reliqui duo liquores: inter quos infi-

infimum occupat locum salis tartari liquor, medium verò spiritus urinæ, summumque vini spiritus, quibus si adjicitur oleum aliquod destillatum, supremum omnium id occupat locum, ita ut hâc ratione quatuor in uno vitro impermixta asservari possint. Etsi hæc nullius utilitatis, indicata tamen discriminis gratiâ spirituum differentium.

De spiritu & oleo cornu Cervi.

℞. COrnua cervina redacta in frustula magnitudinis unius digiti; quorum unum projice pro unâ vice in vas prædictum destillatorium; spiritibus egressis & condensatis injice alterũ, & sic consequenter: Vase repleto, exime cum forcipe iterum frustula injecta; quibus exemptis injice recentia, atque id continua, donec sufficientem nactus sis copiam spiritus. Factâ destillatione, aufer Recipientem, & infunde spiritum vini rectificatum, ad abluendum sal volatile: quo facto effunde oleum, spiritumque cum sale volatili in chartam emporeticam, aqua communi madefactam vitreo infundibulo impositam, & spiritus vini unà cum spiritu cornu cervini & sale volatili stillabit per chartam emporeticam, relicto oleo subnigro, quod statim effundendum aliàs etiam percurrit chartam. Spiritus sali volatili mixtus rectificandus per retortam, & melior pars spiritus ascendit unà cum spiritu vini & sale volatili primo nimirum, quem sequitur phlegma,

quod seorsim mutato Recipiente cape, ne tanquã res inutilis misceatur, cum illo, quem diligenter serva, quia admodum volatilis: Oleum verò per retortam à sale tartari rectificandum clarificationis gratiã; quod si desideratur clarius, cum spiritu salis rectificari oportet: sed à sale tartari rectificatum præstantius est, curat quartanam, sudorem pellit, curat vulnera interna, tollitque dolores, à lapsu, contusione &c. Profectos, administrum à gutt. 6. 8. 10. ad 20. cum vino ad sudandum in lecto. Spiritus verò est præstantissima medicina in omnibus obstructionibus totius corporis. Dosis ejus est à ℈j. ad ʒ½ cum vehiculis appropriatis. Urinam pellit & menstrua retenta; sanguinem mundificat, & sudorem egregie movet in peste, morbo Gallico, leprã, scorbuto, melancholiã hypochondriacã, febribus malignis alijsque diaphoresi indigentibus.

Spiritus capillorum hominis pro medicinà.

PRædicto modo è quibusvis animalium cornubus & ungulis destillare licet spiritus, qui tamen in medicinã rejiciuntur propter ingratitudinem odoris, quamvis mirabilia præstent in quibusdam morbis gravissimis, utpote in suffocatione uteri & epilepsiã &c, Sed hoc hic advertendum destillatum è capillis hominum non esse rejiciendum in metallicis; solvit enim sulphur commune & in lac convertit, quod digestionis beneficio convertitur in sanguinem; quod nullus

nullus præter ipsum præstare potest spiritus. Et quamvis per se absque sulphuris additione figatur in Rubinum, melior tamen cum sulphure maturatus. Etsi ignis beneficio privatus suo fœtore & fixatus tunc labores & expensas resarcire potest.

NB. Huc pertinet processus de metallis solutis à limaturâ cornuum cervinorum destillandis.

De Oleo Succini.

SUccinum cumprimis album egregium dat oleum, flavum enim non adeò bonum, quo inferius nigrum, quod propter feces intrinsecè usurpari nequit : non autem solummodo dat oleum, sed etiam sal volatile & aquam acidulum, quæ omnia & singula separare oportet.

Aqua (ni fallor) exiguis prædita viribus : Sal à sale tartari sublimatum & rectificatum est diureticum optimum in calculo & podagra; potestque tam extrinsecè quam intrinsecè usurpari. Oleum rectificatum cum primis id quod primo egreditur, non solum est medicina intrinseca, administratum à gutt. 6. 8. 10. usque ad 20. contra pestem, epilepsiam, suffocationem uteri & hemicraniam, sed etiam extrinseca, admotum naribus. Quod si rectificatur cum spiritu salis, majorem acquirit claritatem, quam si per se rectificatur: rectificatum verò à sale tartari, etsi non tantam inde claritatem, præstantius est rectificato per spiritum salis.

NB. Hoc oleum rectificatum cum spiritu salis, si denuo rectificatur cum aq. Regiâ fortissimâ, tantam acquirit subtilitatem, ut Venerem & Martem ex parte dissolvere & in bona medicamina redigere valeat.

In secundâ rectificatione per A. R. non tota substantia olei prædicti stillat, sed pars quædam coagulatur & in massam abit mastichi elegantissimæ similem, in calore mollescentem ac proin digitis tractabilem instar ceræ, quæ aliàs in frigido adeò durescit, ut conteri possit, coloris aurei fulgentissimi.

De Oleo Fuliginis.

EFuligine collectâ è caminis ubi ligna cremantur, distillatione elicitur sal volatile & oleum quoddam igneum. Sal ijsdem viribus præditum cum illo quod elicitur è cornubus cervinis & succino, & quavis combustiones restinguit. Oleum (non rectificatum) est optima medicina extrinseca in scabie fœdâ, psorâ, porrigine. &c. Rectificatum verò ad instar olei tartari, succini & cornu cervi, tuto intro assumitur in omnibus illis affectibus in quibus commendantur olea prædicta, & quidem quandoque illis præfertur.

Oleum Fuliginis absque destillatione.

COque fuliginem tamdiu cum aqua, donec sanguinis instar rubescat aqua (quâ melior urina)

urina) quam expone hyemali tempore in vase terreo frigori intensissimo; donec omnia in ollâ congelentur in glaciem albam: quo facto omnia confringe & in medio glaciei invenies oleum calidissimum rubrum instar sanguinis, viribus nihil cedens, oleo destillato; quod etiam rectificare licet unde vires ejus exaltantur. Non autem succedit prædictus labor nisi in summo frigore.

De spiritu & oleo mellis.

ELicitur è melle spiritus subtilis & aqua acida, si nimirum mixtum cum 2. partibus arenæ mundæ calcinatæ, vel quod melius cum floribus antimonii, vim spiritus exaltantibus & ebullitionem prohibentibus, destillatur. Egreditur autem spiritus suavissimus, acetum acerrimum, & parum olei rubri quæ singula separare oportet; spiritus rectificatus intrinsecè usurpatur in omnibus pulmonum affectibus, angustiam pectoris tollit, cor roborat, deoppilat obstructiones epatis & lienis, frangit & pellit calculum, resistit sanguinis putredini, præservat & curat pestem, febres, hydropem &c. si quotidie administratur à ℈j. ad ℥j. cum aquis appropriatis. Acetum crines & ungues aureo inficit colore, scabiem curat & pruritum, mundificat & consolidat vulnera tam antiqua quàm recentia lotione. Oleum rubrum per se usurpari nequit, nisi mixtum cum spiritu subtili, qui inde efficacior redditur.

De

De oleo & spiritu Sachari.

ITa etiam è sacharo elicitur spiritus & oleum, mixto nimirum cum arenâ mundâ, vel cum floribus Antimonii; si nimirum s. a. singulis vicibus non nisi cochleare unum istius mixturæ injicitur. Dat autem spiritum flavum cum modico olei rubri, quæ factâ destillatione tamdiu in balneum digerenda, donec spiritus reassumpserit oleum, & rubrum inde contraxerit colorem. Rectificatione non opus habet, potest enim ita per se vel cum vehiculis quotidie usurpari in omnibus prædictis de melle affectibus; hic tamen illo suavior spiritu, renovans & restaurans sanguinem humanum, cumprimis propter vires attractas è floribus Antimonii diaphoreticis.

Et quidem tuto absque omni periculo usurpari potest tam in frigidis quàm calidis affectibus; naturam roborat, aliaque plura præstat, cumprimis aliquantisper quotidie usurpatus à ℈j. ad ʒj. Remanentia nigra ad eosdem usus reservari potest, miscenda cum novo sacchato, & melle; vel in flores redigi beneficio Primæ Fornacis; vel beneficio Quartæ in regulum cum ferro, tartaro, nitro. &c.

Spiritus & Tinctura rubra corallorum & Sachari.

SAcharum mixtum cum corallis rubris contritis dat in destillatione spiritum, & sanguinis instar

instar rubram Tincturam in formâ olei ; quæ reunita spiritui in balneo per digestionem ; viribus nihil cedit factæ cum Antimonio diaphoretico. Curat epilepsiam radicitus tam in senibus quàm juvenibus, sanguinem ab omni sorde purgat, origine lepræ &c. Usurpatur, sicuti dictum de spiritu sacchari.

De Spiritu Musti.

MUstum statim ab expressione ad mellaginem decoquendum, quæ post a mixta cum arenâ, corallis, floribus Antimonii (qui meliores) dat spiritum destillatione subtilem, similem mellis & sacchari; hic tamen mellis spiritu parum acidior.

Possunt etiam nonnulla metalla in coctione dissolvi cum melle, sacharo & musto, & consequenter vel per destillationem vel absque destillatione in optima redigi medicamina, uti dictum de Tartaro; non enim sunt mel, saccharum atque mustum nisi sal quoddam dulce, quæ acidorum additione vi fermentationis transmutantur in tartarum naturali in omnibus similem. Conficitur etiam tartarus è cerasis, pyris, pomis, ficubus, alijsque fructibus dulcibus; item è frumento, utpote tritico, avena, hordeo &c. de quâ re in Parte Tertiâ. Quilibet enim succus dulcis vegetabilis vi fermentationis transmutatur in tartarum acidum. Falsa igitur illorum opinio, qui statuunt solummodo in vino nasci tartarum, qui usu quotidia-

tidiano unà cum nutrimento (cumprimis in famelicis) transiens ad viscera, coaguletur vel lapidescat; quod si verum, utique in regionibus frigidioribus, vino carentibus, non tot reperientur podagrici, calculosi &c.

Fateor quidem vinum præ cæteris vegetabilibus abundare Tartaro; cujus rei ratio aciditas dulcedinem transmutans in tartarum. Quo enim acidiora vina eò plus generant tartari; & quo dulciora, eò minus. Ex hoc discursu addiscere licet sedulo Chymico, originem tartari, naturam & proprietates; & in ejus defectu conficere ipsum ex aliis vegetabilibus.

Cum melle, saccharo & sapâ sal commune vel tartari destillatum, dat spiritum metalla solventem, ad usus Medicos & Chymicos.

De Oleo Olivarum.

EX omnibus oleis expressione factis, utpote olivarum, lini, nucum, cannabis, raporum &c. destillatur oleum efficacissimum, tam intrinsece quam extrinsecè usurpatum: uti sequitur: ℞. Terram figulinam arenâ non permixtam, quam redige in globulos ovorum instar, quos igne crema, non tamen nimio, ne in durum lapidem conversi oleum attrahere possint; quos calentes non candentes projice in oleum olivarum (quod omnium optimum) eosque ibi relinque donec satis sint imprægnati, quod 2. vel 3. horarum spatio contingit (alij candentes in oleum pro-

projiciunt, sed perperam, quia oleum inde Empyreuma contrahit). Deinde exime hos globulos & unum vel alterum projice in vas destillatorium candens singulis nimirum vicibus, donec omnes injeceris, & sufficientem nactus sis copiam olei. Vase repleto, exime illos iterum cum forcipe vel cochleari, & perge alios injicere. Nullum hic periculum ruptionis Retortæ & Recipientis, nec empyreumatis. Factâ destillatione aufer Recipientem & effunde oleum in retortam vitream, illudque rectifica ab alumine calcinato vel vitriolo, retinentibus nigredinem & fœtorem, oleo stillante claro, quod semel atque iterum (majoris penetrationis gratiâ) rectificandum ab alumine calcinato; & id quod primo venit seorsim capiendum, quod est clarum, pellucidum, & subtilissimum: quod sequitur subflavum est nec adeò penetrativum, quare extrinsecè usurpandum, Macceratum enim cum floribus & herbis dat balsamum egregium præstantissimum in ulceribus sive vulneribus frigidis & humidis.

Solutio succini, mastichis, thuris, aliorumque attrahentium, illius beneficio facta, redacta in emplastrum cum cerâ & colophoniâ, commendatur in ulceribus malignis & bubonibus, sanandis, è quibus extrahit malignitatem. Sulphur commune pulverisatum solutum in ipso, dat sanguinis instar rubrum balsamum, curans quamvis scabiem & cutis impuritatem, cum primis si adjicitur aliquid æris viridis purgati; & in calidioribus affectibus saccharum Saturni; quæ omnia facilem

cilem in ipso dissolvuntur (calore leni) continuè agitata. Nec opus habes hic vasis vitreis, sufficiunt enim figulina.

Vsus olei benedicti.

OLeum primum clarum maximè est penetrativum, cujus aliquot guttulæ cum spiritu vini propinatæ, è vestigio mitigant dolores colicos à ventositate profectos; it. sistunt suffocationem uteri, cumprimis si etiam aliquid umbilico affricatur. Hoc oleum manu calidâ affrictum, nervos duros & rigidos à defluxionibus frigidis restaurat, quare merito *Oleum sanctum* appellatum ob ejus efficaciſſimas vires , quas celeriter exserit. Laminæ Veneris & Martis ipsius beneficio extractæ, reddunt ipsum viride vel rubrum , & remedium egregium calefactivum vulnerum frigidorum & humidorum ; consumens superfluas humiditates vulnerum & ulcerum , nec-non cutis excrescentias;curans impetigines & porriginem, aliaque ab humoribus vitiosis profecta. Euphorbium aliaque gummata in ipso dissoluta , faciunt inuncta contra frigoris offensionem etiam intensiſſimi. Nonnulla quoque horum balsamorum denuo destillata præstantiora sunt in quibusdam casibus non destillatis.

Oleum

Oleum Ceræ.

SImiliter destillatur ceræ oleum, priori in omnibus simile sive par viribus, in cunctis nervorum frigidis affectibus, imo excellentius.

Spiritus contra calculum.

E Lapillis in uvis repertis destillatur spiritus acidus, qui est certum specificum contra renum & Vesicæ calculum, nec-non contra dolores podagricos; non solum intrinsecè usurpatus, sed etiam extrinsecè linteolis applicatus loco dolenti, tollit dolores.

De spiritu & oleo acido sulphuris.

MUlti sed frustra tentarunt elicere spiritum acidum è sulphure: plurimi enim hactenus studuere illum elicere beneficio campanarum vitrearum, quâ ratione parum accepêre olei (sive spiritus) quia campanæ incalescentes illud retinere non potuerunt, quare evanuit. Alii tentarunt illud elicere vi destillationis, alii vi solutionis, sed frustra ubique locorum; quare fere nullibi purum & sincerum reperitur: venditur enim plerunque illius loco oleum vitrioli, quod tamen incomparabile cum sulphuris oleo, virium nimirum respectu: non enim solum sua-

fiore aciditate præditum sulphuris oleum, d
etiam facultatibus efficacioribus. Quare propt
multiplices ejus usus tam Chymicos quàm Me-
cos (mixtum enim cum potu ad gratam illi c
ciliandam aciditatem , sitim præternaturali
restinguit, ventriculum roborat, pulmones
epar reficit, gangrænam extrinsecè curat : & n
talla nonnulla in crystallos & vitriola (in Me
cina & Chymiâ præstantissima redigit) ope
prætium esse duxi ejus dare præparationem
quamvis per hanc fieri nequeat fornacem, s
per aliam combustionis beneficio ; ut sequitu
Fac ut habeas fornaculam cum craticulâ , sup
quam oportet ut incameretur crucibulum fo
tissimum incumbens duobus baculis ferreis,
nimirum ne fumus egrediatur juxta crucibulu
supernè) sed per fistulam aliquam collaterale
Crucibulum oportet ut repleatur sulphure
summitatem usque , quod etiam igne carbonu
(non flammâ) accendendum , accensumque e
dem igne conservandum : Præterea opus est a
commodare , & quidem supra sulphur accensu
vas figulinum (confectum è terrâ optimâ lap
descente) patinam referens, margine altâ præd
tum, continuo repletâ aquâ frigidâ quod ferie
te sulphuris flammâ , consumitur pinguedo su
phuris, sal vero acidum liberatum sublimatur a
fundum vasis frigidum, ubi ab aëre solutum, d
stillat à vase cavo instar olei aëris in recept
culum subinde auferendum : oportet quoq
plus adjicere sulphuris, quo continuo ardeat,
flam

flammâ suâ alembicum frigidum feriat : quod si rite peregeris, intra paucos dies maximam accipies copiam olei sulphuris, quam alias aliquot septimanarum spatio acquirere non potuisses. NB. Impetratur quoque ejusmodi spiritus sive oleum acidum unà cum floribus sequenti ratione: si nimirum per intervalla singulis vicibus sulphuris frustum magnitudinis ovi gallinacei projicitur in vas destillatorium candens, & unà cum floribus egredietur oleum acidum in Recipientem, separandum à floribus aquæ affusione; quæ iterum ab illo in cucurbitâ abstrahenda: in fundo post aquæ evaporationem oleum quod relinquitur, odore, sapore & viribus idem cum superiori illo; sed ejus tantum hâc ratione copiam tibi comparare non potes, quod si non quæris, relinquas illud cum floribus, qui inde vulgaribus gratiores redduntur aciditatis nimirum gratiâ.

LECTORI BENEVOLO.

ATque sic finem imponam Parti Secundæ, ubi alios etiam processus Medicinales inferere potuissem, nisi id supervacaneum judicassem, propter sufficientem modò traditam informationem aliarum etiam rerum destillandarum. Quæ autem hic locorum omissa, sequentur in partibus sequentibus.

FINIS.

IN-

3.
4.
7.
9.
11.
12.
19.
21.
23.
25.
bid.
bid.
26.
bid.
27
bid.
28.
bid.
bid.
bid.
29.
bid.
30.
bid.
35.
37.
bid.
38.
ry-

A
B
C
D
E.

A. Fornax cum ſibi incamerato inſtrumento ferreo, & recipiente.
B. Artifex ſiniſtrâ auferens operculum, dextrâ autem iniiciens materiam deſtillandam præparatam.
C. Forma Vaſis externa.
D. Forma Vaſis interna.
E. Aliud quoddam vas non incameratum, incumbens carbonibus.

INDEX

Rerum præcipuarum Partis Secundæ.

Conſtructio Secundæ Fornacis. 3.
Modus deſtillandi. 4.
Oleum acidum & ſpiritus vitrioli volatilis. 7.
Sulphur vitrioli Narcoticum. 9.
Vitriolum Martis & Veneris. 11.
Vitriolum Lunæ. 12.
Oleum vitrioli dulce. 19.
Præparatio ole. vitrioli dulcis. 21.
Vſus & Doſis ejus. 23.
Salis & Aluminis ſpiritus. 25.
Sulphureus volatilis. *ibid.*
Acidus. *ibid.*
Spiritus volatilis. 26.
Metallorum. *ibid.*
Mineralium. 27
Spiritus è Zinck. *ibid.*
Spiritus volatilis ſcoriarum reguli Martis. 28.
Spiritus ſalis Nitri. *ibid.*
Acidus albus. *ibid.*
Volatilis ruber. *ibid.*
Vſus hujus. 29.
Illius. *ibid.*
Aqua Regis. 30.
Aurum tonitruans. *ibid.*
Ejus uſus. 35.
Flores. 37.
Tinctura. *ibid.*
Vſus Tincturæ ſolis. 38.

Lunæ oleum. 132.
Vitriolum. *ibid*
Tinctura Antimonii & Sulphuris. 133.
Maturatio Antimonii & Sulphuris. *ibid*
Cornu cervi ſpiritus & oleum. 135.
Spiritus capillorum hominis. 136.
Oleum Succini. 137.
Oleum Fuliginis 138.
Oleum Fuliginis abſque deſtillatione. *ibid.*
Mellis ſpiritus, Acetum & Oleum. 139.
Sachari ſpiritus & oleum. 140
Corallorum & ſachari ſpiritus & tinctura. *ibid.*
Olivarum oleum. 142.
Vſus olei benedicti. 144.
Ceræ oleum. 147.
Spiritus contra calculum. *ibid.*
De ſpiritu & oleo acido ſulphuris. *ibid.*

FINIS.

FURNORUM PHILOSOPHICORUM,

PARS TERTIA.

In quâ

Describitur tertiæ fornacis natura, cujus beneficio & quidem absque vesicis & ahenis, aliisque cupreis, ferreis, stanneis & plumbeis instrumentis, spiritus varii vegetabiles ardentes, extracta, olea, salia, &c.

Adminiculo autem exigui alicujus instrumenti cuprei, vasorumque ligneorum, ad usus tam chymicos quàm medicos præparari possunt.

Per

JOANNEM RUDOLPHUM GLAUBERUM.

AMSTERODAMI,

Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↃ IↃC LI.

PRÆFATIO INSTRUmenti Cuprei & Fornacis.

PAratur autem instrumentum illud è laminis cupreis robustis sequenti modo : Oportet conficere hemisphæria duo robusta è cupro vel orichalco, magnitudinis capitis humani (vel circiter,) eaque conjungere fortissimâ ferruminatione, & quidem absque stanno, quorum alterum fistulatum esto : esse autem oportet fistulam exactissimæ rotunditatis, ut foramen terebrâ factum accuratissimè repleat ad prohibendum aquæ transitum, ad instar Epistomii, spithamæ unius longitudinis ad minimum, posteriore parte propè globum ampliorem quàm parte anteriore, quam etiam habitâ ratione magnitudinis globi, majoris vel minoris capacitatis esse oportet; exactissimeque optimâ ferruminatione junctam hemisphærio suo, cujus diameter partis anterioris adinstar epistomii rotundissimi exactissimè replentis foramen rotundum, esto duorum digitorum latorum transversorum. Requiritur autem ad prædictum instrumentum sive globum peculiaris aliqua fornacula confecta è ferro vel cupro cupreis scil. laminis robustissimis, interinsecè vel lapidibus vel optimo luto obducta, cui imponitur ille globus instar retortæ, ità ut incumbat duobus baculis ferreis, à craticulâ unius distantiæ spithamæ, vel

unius cum dimidiâ; cujus collum (fistula illa) fornacem egrediatur spithamam unam ad minimum. Oportet quoque fornaculam habere infernè suum cineritium, & supernè operculum cum suo foramine pro emittendo fumo, igneque regendo, uti ex appositâ figurâ apparet. Oportet quoque infernè tribus pedibus constare, quibus immittatur fornacula, & duobus manubriis (collateralibus) quorum beneficio de loco in locum amoveri possit; id quod maximè necessarium, non enim solum usurpatur in destillatione Spirituum ardentium per vasa lignea instituendâ loco cupreorum; sed etiam in illâ destillatione & digestione, quæ fit in cucurbitis, matratiis aliisque instrumentis vitreis, lapideis, cupreis, stanneis, &c. collocandis in Balneo: uti etiam in coctione cervisiæ, hydromellis, vini aliorumque potuum, peragendâ beneficio vasorum ligneorum.

De Instrumentis ligneis usurpandis loco Vesicarum, Balneorum & Ahenorum.

ET primò quidem de vasis ligneis usurpandis loco cuprearum vesicarum, in destillatione spiritum ardentium è vino, cervisiâ, amurcâ, polentâ, frumento, farinâ, radicibus, herbis, floribus, seminibus, aliisque vegetabilibus; nec non oleorum vegetabilium.

Fac ut habeas dolium quernum ad instar illorum in quibus vina conservantur & cervisia, justæ magnitudinis, correspondentis nimirum magnitudini

tudini globi, quanta sufficit coctioni: dolium enim justo amplius tardissimam & tædiosissimam causabit coctionem. Major globus accommodari potest dolio parvo, sed non vice versa dolium ingens globo parvo. Quò enim major globus, doliumque minus, eò magis acceleratur opus. Invento autem hoc artificio parcendorum sumptuum causâ, qui aliàs expenduntur in cõparandis vesicis, ahenis, fornacibus, &c. consultum non est habere globum nimiæ magnitudinis, requirentem majorem fornacem, difficulter portabilem, utpotè argillâ vel muro intrinsecè obductam; sufficit enim illam tantæ esse magnitudinis, quanta sufficit coctioni: Quarè utriusque, globi nimirum & vasis dabo proportionem justam & debitam, quam in destillationibus aliisque operationibus imitari habet benevolus lector.

Globus magnitudinis capitis humani, continens 3. vel 4. cantharos, quorum singuli habent 4. libras, sufficit calefaciendo dolio 30. 40. 50. 60. & 100. mensurarum; quod quò remotius à 100. & propinquius 30. eò citius calefit & proin coctio promovetur; & vice versâ quò propinquius 100. & remotius 30. eò tardior coctio. Non igitur consulo ingens dolium eligendum esse ad globum parvum, propter longam & tædiosissimam operationem: Etsi adeò accuratè & ad amussim omnia & singula non observantur, non multum tamen refert, quia sufficit idem præstare beneficio instrumenti alicujus parvi cuprei, quod aliàs diversis diversarum formarum instrumentis cupreis per-

petratur. Facilius enim in hâc destillandi ratione comparantur vasa lignea requisita ad destillationem spirituum, & cervisiæ coctionem, item ad Balnea, quàm in vulgari illâ tot vasa cuprea. Non autem solum hâc ratione parcitur sumptibus & expensis, sed etiam loco exstruendorum furnorū; quia usu: pato dolio aliquo, removere illud licet, aliudque substituere pro aliâ operatione, id quod fieri nequit cum vesicis & ahenis incameratis. Hęc quoque est inventio pro carentibus artificibus, fabris nimirum cuprariis; quia lignea facilius comparantur. Beneficio quoque hujus globi perpetrari possunt operationes secretissimæ.

Fornacula enim cum globo cupreo exstrui potest in alio, in alio quoque loco B. muro scil. distinctis locis, ita ut qui fovet ignem nesciat quid agatur in laboratorio; sæpè enim incautis famulis ignis concreditur cura, instrumenta vitrea ex incuriâ frangentibus, quâ ratione pretiosissima sæpè amittitur medicina; quo periculo caret hæc inventio.

Quarè globus ille cupreus cum vasis ligneis commodior cupreis illis vesicis & ahenis. Sed hoc te scire velim, quod hæc noviter inventa destillatio sit tardior vulgari illâ quæ fit vesicarum beneficio, & consequenter longiorem ignis requirat administrationem. Consulo igitur ditioribus habitantibus in amplis & spatiosis ædibus antiquam illam destillandi rationem: pauperculis verò, quibus rara suppellex, & avaris globum hunc cupreum cum vasis ligneis: Etsi enim hic lon-

longior ignis administratio requiratur, non tamen hi cum illis comparandi sumptibus qui expenduntur aliàs in tot & tam diversarum formarum vasa cuprea. Retineat igitur vasa sua cuprea, qui capere non potest, nihil enim mea refert: sive dubio verò erant, quibus hæc mea noviter inventa arridebit stillandi ratio, præ cæteris; communicata in gratiam pauperculorum laborantium & patrumfamiliàs, ex inopiâ vasorum coquere cervisiam & stillare spiritus ardentes non audentium. Facilius enim comparatur globus 3. vel 4. librarum, quàm alia vasa cuprea 60. 80. 100. librarum: facilius quoque vasa illa lignea quàm fornaces, quas nonnulli ex defectu saltem loci exstruere non possunt: Elige igitur quam vis viam, quæ enim scripsi, in gratiam pauperculorum scripsi potius quàm divitum. Certè non habent quod erubescant divites, spatiosa laboratoria possidentes, hanc sequi viam. liberum enim unicuique breviori insistere, nisi malit antiquam & tritam viam præferre inusitatæ compendiosæ, quem ego juvare nescio, contentus publicatione quæ facta in gratiam proximi mei, sive ea dextrè vel sinistrè capiatur, bono animo, certò sciens, quod plus commodi quàm incommodi illius beneficio perpetrari possit. Non igitur pœnitebit illum sui laboris, qui vasa cuprea & lignea ritè parare & usurpare noverit.

Sequitur nunc vasis præparatio.

VAs confectum fundo uno collocandum super sedile appropriatum, quo facto fac foramen cum terebrâ circa fundum pro collo globi cuprei recipiendo, linteolo obducto: fac quoque circa fundum (inferiorem) aliud foramen pro epistomio, cujus beneficio remanentia destillationis extrahitur. Oportet quoque facere foramen amplum in fundo superiore, cujus diameter habeat spithamam unam pro materiâ destillandâ per infundibulum infundendâ: similiter opus est ut fiat foramen propè fundum superiorem duorum vel trium digitorum latorum transversorum, cui fistula cuprea unius spithamæ longitudinis, clavis strictissimè applicanda; atque huic (fistulæ) aliud vas quernum cum serpente cupreo, & aquâ frigidâ ad instar aliorum refrigeratoriorum, applicare sive accommodare opus est. Oportet quoque juncturas fistulæ modò dictæ brevioris, dolii primi, & serpentis dolii secundi i. e. refrigeratorii arctissimè strictissiméque unitas esse, quo luto destillationis gratiâ congruo copulari postea possint melius. Atque hæc est forma & species Vasis lignei usurpandi loco vasorum cupreorum in destiliatione spirituum ardentium & oleorum. At objicies ejusmodi vasa lignea porosa, absorbere magnam copiam spirituum & oleorum.

R. Nullus spirituum transitum quærit violentum per ligna, viis nimirum apertis: Nullum igitur

tur hîc periculum, cum detur illis egressus per fistulam satis amplam. Nec oleum in distillatione illis adhæresçit, quicquid enim vi aquæ ferventis est separabile ab aromatibus & seminibus, id ipsum etiam est sublimabile vi aquę calentis, ita ut stillare possit in refrigeratorium, quâ ratione plus non quàm in vesicis perditur. Factâ destillatione rectificari quoque possunt spiritus prædicti in vasis illis ligneis (prius lotis) æque ac in vesicis cupreis.

Confectio vasis lignei pro Balneo, usurpandi loco ahenorum cupreorum & plumbeorum, digestionis gratiâ & destillationis per vasa vitrea.

FAc ut habeas vas quernum majoris pro lubitu vel minoris quantitatis, habitâ ratione vitrorum majorum vel minorum, multorum vel paucorum, altitudinis 2. vel 3. spithamarum, supernè paululum angustius quàm infernè, ita etiam supernè formatum, quod operculum ligneum, cupreum sive plumbũ arctissimè, ipsi copulari possit; operculum nimirum foraminibus majoribus, vel minoribus habitâ ratione vitrorũ, præditum, sicuti alias in Balnei structurâ fieri solet, & ex appositâ figurâ apparet. Oportet quoque hoc vas collocari supra sedile aliquod sive scabellum altitudinis unius ulnæ, vel tantæ quanta requiritur ad copulationem globi cuprei cum Balneo, quod foramine præditum esto propè fundum inferiorem, pro ex-

cipiendo collo globi prædicti. In defectu ejusmodi Vasis, alias facilè comparabilis, accipe dolium vini vel cervisiæ, in medio divisum, & fac foramen propè fundum pro collo globi; fac quoque operculum ligneum foraminatum, &c. Qui verò curiosus, secundùm artem singula sibi comparare poterit.

Vas ligneum æque serviens coctioni cervisiæ, hydromellis, aceti, &c. ac vasa cuprea, ferrea & stannea.

CUra ut habeas vas ligneum majoris altitudinis quàm amplitudinis sive latitudinis, supernè paululum angustius, quàm infernè, pro lubitu nimirum: vel accipe dolium vini vel cervisiæ in medio divisum; & propè fundum fac foramen pro collo globi; asseribus nimirum cooperiendum, æque serviens coctioni cervisiæ, &c. ac cuprea illa.

Vas ligneum pro B. aquæ dulcis vel mineralis, pro lubitu conservando calido, sanitatis conservandæ gratiâ.

FAc ut habeas labrum oblongum ligneum, commodioris insessionis gratiâ, scabello justæ altitudinis imponendum competentis nimirum, ita ut fundus vasis correspondeat cum collo globi fornaculæ impositi. Poteris quoque comparare operculum, cooperiens integrum labrum, divisibile

bile & reunibile ibi loci ubi caput egressum suum habet, uti apparet è figurâ. Vel poteris ipsum stragulis cooperire mediantibus bacillis gracilibus incurvatis, labro applicatis, ita tamen ut caput libertate suâ fruatur, cum primis in B. vaporoso aquæ dulcis communis, vel medicinalis. Vel fac ut habeas operculum altum ligneum, arctissimè claudens, pro B sicco sudoris gratiâ, ubi nihil refert si caput est inclusum, sive non.

De usu vasorum ligneorum in destillatione, coctione, balneatione, &c. Et primò quidem de vase destillatorio.

DEstillaturus spiritum quendam ardentem beneficio vasis destillatorii N. 1. è vino, hydromelle, cervisiâ: Polentâ, frumento, farinâ, pomis, pyris, cerasis, ficubus &c. item è floribus, seminibus, radicibus aliisque rebus vegetabilius, opus habet præparare suas species, ut spiritus suos elargiri possint. Quarè operæ pretium esse duxi aliquid dicere de vegetabilium singulorum præparatione, melioris informationis gratiâ, aliàs enim fructifera destillatio non speranda, sed labores incassum & frustra exantlatos metuendum.

Et

Et primò quidem de præparatione Amurcæ vini, cervisiæ, Hydromellis, aliorumque potuum.

AMurca (sive feces seu sedimentum) vini, cervisiæ, Hydromellis, &c. nullâ opus habet præparatione, quia ita per se facilè suos elargiuntur spiritus, nisi fortè omni humiditate privata, & siccata, quam liquidam reddere oportet admixtione aquæ communis, ne inter destillandum comburatur & adhæresçat vasi; quâ de re plus in ipsa destillatione. Flores autem, radices, herbæ, semina, fructus, poma & pyra, absque præmissâ præparatione destillari nequeunt, oportet igitur antea præparare, ut sequitur.

De præparatione omnis generis frumentorum utpotè tritici, avenæ, hordei &c. præmittendâ spiritus destillationi.

ET primo quidem oportet ut fiat è frumento polenta, quemadmodum in cervisiæ confectione fieri solet. Modus autem confectionis polentæ ferè omnibus manifestus, quarè non opus multa de eo dicere, quia ubivis locorum vino carentium, vix domula reperitur, in quâ non conficiatur polenta & cervisia, tam ruri quàm in civitatibus. Sed ut ut sit magna tamen est differentia confectionis illius, non enim longus culter facit bonum coquum, nec omnes potatores vini

plan-

plantatores sunt. Plurimi enim persuasum sibi habent, quod si parentum vestigia sequantur, rem benè sese egisse, (etsi erraverint) cum primis nasuti eruditionem respuentes. Quarè aliquid dicendum de differentiâ hujus confectionis. Etsi nunquam exercuerim artem cervisiariam, certus tamen sum, me palmam in illâ præ cæteris omnibus destillatioribus & cervisiariis deportaturum. Sæpè enim vidi,& quidem cum admiratione multorum simplicitatem in suis laboribus, communissimis etiam & quotidianis; quibus etsi concederetur ætas aliquot seculorum, nunquam tamen illi ad meliorem frugem abituri, contenti antiquis suis moribus. Bone Deus! quàm mundus nunc est perversus, ubi nemo ferè laborat aliquid boni invenire, nec est qui cogitet inventa perficere & emendare; ubi omnia in pejus ruunt, & quævis vitiorum genera increscunt: Nunc enim ferè singuli divitias solummodò quærunt *per fas & per nefas*; perinde enim illis est, si modo habeant, non cogitantes malè acquisita malè perdi, nec illis tertium hæredem gaudere, nec non injustas divitias devorare honestè comparatas, cum periculo etiam æternæ damnationis. Quæso si veteres nostri adeò fuissent negligentes, nihilque reliquissent nobis, quæso, inquam, quas artes, quas scientias habituri nos? Eò nunc devenit, quod virtutes decrescant & vitia increscant.

De

De differentiâ confectionis polentæ.

DIfferentia polentæ, cujus ratione meliorem vel pejorem dat cervisiam & spiritum, consistit maximâ ex parte in solâ ejus præparatione: facta enim vulgari viâ retinet suum saporem, quarè bonum spiritum dare nequit, nec bonam cervisiam, quod à pauciſſimis obſervatum, quarè bonos spiritus elicere non potuerunt è frumento sed redolentes polentæ & saporem & odorem: quæ non frumenti sed artificis culpa non rectè laborantis in præparatione polentæ, deſtillatione & rectificatione. Si enim ritè proceditur in omnibus, dat frumentum spiritum optimum, sapore, odore aliiſque viribus, haud diſſimilem confecto è sedimento vini. Quod artificium etsi non omnibus innoteſcat, non tamen sequitur ipsius impoſſibilitas: Non autem dixerim esse viam illam communiſſimam, quâ ejuſmodi spiritus, vini spiritui similis deſtillatur, sed aliam subtiliorem & ingenioſiorem. Ex omnibus vegetabilius elicitur spiritus, ardens; quod autem percipitur differentia aliqua saporis & odoris id non spiritus culpa, sed vegetabilis, utpotè herbarum, seminum, frumentorum &c. communicantium spiritui suas vires, suum odorem & saporem: unde ejuſmodi non simplex dici meretur sed compoſitus spiritus; aliàs enim omnis spiritus ardens (ritè rectificatus & phlegmate privatus) è quâvis re paratur, iiſdem cum vini spiritu præditus viribus, etsi non veri simile

mile videatur multis. Non autem negaverim unum præ altero simplici plus vel minus dare spiritus suavioris, vel appropriati viæ vulgaris. Suaviora enim vina dant suaviores spiritus; vinum quoque clarum suaviorem dat spiritum amurcâ sive vini sedimento, quamvis ex uno eodemque dolio profecta: vinum enim clarificatum & à fecibus separatum suaviorem dat spiritum amurcâ sive sedimento impuro & heterogeno inquinante spiritum simplicem & suavem, peregrino sapore & odore: ita ut meritò ille tanquam simplex præferatur hoc accidentaliter inquinato: atque hæc etiam de cæteris omnibus spiritibus intelligenda. Quæ autem hactenus dicta, illorum gratiâ dicta, qui sibi persuasi, quod operationes suas chymicas non adeò benè cum spiritu frumentorum ac cum vini spiritu perpetrare possint, nunquam enim ullam reperi utriusque differentiam in extractionibus tam mineralium quàm vegetabilium. Capiat igitur qui capere potest meam opinionem & experientiam, cum obtrectatoribus contradicentibus rem habere nolo. Absque damno aliorum, non audeo revelare artificium stillandi spiritum suavem magno cum lucro è frumento, in omnibus similem confecto è fecibus vini, absque polentæ nimirum præparatione & attritione, communicandum aliquando alibi. Hic enim libellus non secretorum publicandorum gratiâ conscriptus, sed saltem noviter inventæ novæ destillationis. Hoc autem scito destillaturus spiritum ardentem suavem è polentâ vel melle, quod peculiari

ri quâdam via in polentam redigi debeat frumentum, privarique vel sapore suo ingrato, ante sui destillationem & fermentationem, secus more solito elicietur inde spiritus quidam ingratus, vini spiritui incomparabilis. Tota igitur ars hujus negotii consistit in verâ præparatione. Res enim ingratæ in gratiam redeunt arte, & vice versâ gratæ ingratæ redduntur inertiâ. Atque hæc informationis gratiâ.

De Fermentatione Polentæ.

℞. POlentæ Mola contritæ q. v. cui in vase ligneo erecto affunde aquam frigidam, quantum nimirum sufficit ad humectationem illius, mixtionem & comminutionem; deinde tantum etiam aquæ calidæ affunde, quanta sufficit ad reddendam mixturam mollem & tenuem, nec non tepidam; calida enim vel frigida esse non debet: quo facto aliquid admisce fermenti cervisiæ recentis, & tege vas stragulis, & brevi temporis spatio, calori expositа, fermentare incipiet (quarè vas non ad summitatem replendum) & tamdiu in fermentatione relinque, donec iterum descendet mixtura, quod plerunque tertio die fieri solet, & erit parata polenta ad destillationem.

De Fermentione Mellis.

NEc mel singulari opus habet artificio in sui fermentatione, quia mixtum cum 6.7.8.10. par-

partibus aquæ calidæ, dissolvitur & solutioni adjicitur fermentum, uti de polenta dictum, quæ postea relinquitur in calore cooperta fermentationis gratiâ, apta ad destillandum facta effervescientia. Scito autem nimiam mellis copiam tardissimam, aliquot nimirum septimanarum & mensium, facere fermentationem; quarè accelerationis gratia majorem aquæ quantitatem adjicere monui; quamvis aliàs copiosos det spiritus sed ingratos, quos proin nemini (nisi sciverit ejus tollere ingratitudinem) tanquam parum utiles destillare consuluerim.

De Præparatione Fructuum, Seminum, Florum, Herbarum, Radicum, &c.

FRuctus arborei, utpotè cerasa, pruna, poma, pyra, ficus, grana juniperina, grana sambuci, ebuli, mori &c. contunduntur in vasis ligneis pistillis ligneis; contusa perfunduntur aqua calida, & fermenti adjectione stimulantur, uti supra dictum de Polenta. Semina franguntur mola; flores, herbæ & radices minutissimè inciduntur, & admixtione aquæ calidæ & fermenti irritantur ad fermentandum.

Annotatio.

ANtequam destillaveris prædicta, fermentationis beneficio præparata vegetabilia, diligenter perpende, accuratissiméque observa, u-

trum mixtura sufficienter fermentaverit: quandoque enim plus justo aquæ frigidæ vel calidæ adjicitur; quandoque non ritè tegitur vas, quâ ratione aëri frigido datur ingressus, undè impeditur fermentatio, & consequenter spiritus destillatio: Fermentationis enim beneficio liberatur spiritus vegetabilium ardens, sine quâ fieri nequit: Impeditur quoque destillatio nimiâ festinatione, ut & nimiâ cunctatione: si enim destillare inceperis ante tempus, fermentatione nimirum nondum perfecta, pauciſſimos accipies spiritus, quarè etiam à multis imperitis melior projicitur ante porcos, non quidem cum jactura aliqua singulari si polenta fuerit materia, quia saginantur inde porci; Sed non item si aliæ res vegetabiles fuerint materia destillationis. Similiter nimia tardatio, ubi materia acescit antequam destillatur, pauciſſimos dat spiritus; id quod sæpiſſime accidit, dum herbæ, flores, &c. ex insciția relinquuntur in fermentatione 3. 4. 5. & plurium septimanarum spatio, antequam destillantur, maxima enim pars spiritus tunc convertitur in acetum; quod non adeò malè actum esset, si modò scirent ejusmodi homines clarificare remanentiam & in acetum convertere, ut nihil periret; aceta enim herbarum, florum, seminum atque radicum non contemnenda. Atque sic sæpè (id quod dolendum) potior pars cum primis si aromata &c. pretiosa fuerint.

Materia destillationis, aliaque egregia utpotè semina & herbæ cum damno & jactura abjicitur; quarè admonitionis gratiâ talia apponere volui,

ut

ut operatores rem paulò altius secum perpendendi ansam habeant, vel saltem discendi à rusticis artem destillatoriam, non permittentibus polentam suam putrescere, acescere & mucorem contrahere, antequam suas destillationes instituunt, sed statim facta fermentatione (tertia scil. vel quarta die) destillationem suam inchoantibus.

At objiciet aliquis, spiritus meos vegetabiles non esse puros propter fermentum admixtum spiritu præditum. ℞. Tanta non admiscetur portio fermenti, quæ possit spiritũ vegetabilem inquinare: Etsi enim magnæ quantitati aliquot cochlearia adjiciuntur fermenti dantia non nisi aliquot guttulas; nihil tamen inde detrimenti accedit tot cantharis spiritus vegetabilis. Vidi quosdam supercilios non adjicientes fermentum sui spiritus materiæ sed sacharum vel mel, quibus fermentationem promovere voluerunt, atque adeò purum putum spiritum impetrare cogitârunt, non considerantes mel quoque & sacharum facta fermentatione suos de se dare spiritus, quorum cochleare plus spirituum dat quàm 10. vel 20. fermenti. At melle & sacharo difficulter fermentantibus, quomodò aliorum fermentationem promovere possunt? qui etiam reipsa experti additionem fermenti sui fuisse supervacaneam, dum flores illorum & herbæ aliquot septimanis stetêre in maceratione, antequam fermentare inceperint, & sæpenumero acididatem, mucorem & fœtorem contraxisse, cujus rei ratio fuit fermentum inconveniens. Sunt quidem nonnulli fructus arborei,

succo dulci & pingui præditi, utpote uvæ, ceraſa, poma, pyra, ficus, &c. qui non opus habent adjectione fermenti, naturali fermento præditi, ſed non item alia vegetabilia macilenta, utpote herbæ, flores & radices. Neceſſe igitur eſt promovere fermentationem adjectione fermenti convenientis, ne temporis diuturnitate ſpiritu ſuo (in maceratione exhalante priventur herbæ, flores, &c. Atque hæc informationis gratiâ dicere volui, & quidem in gratiam illorum, qui optima ſelectiſſimaque quærunt medicamina, indigentium bono ſpiritu ardente tanquam ſocio illis applicabili. Non enim ſolum ita per ſe ceu aqua vitæ venit in uſum medicum tam externum quàm internum, cum primis paratus è cordialibus & cephalicis herbis; ſed etiam unitus cum oleis propriis herbarum illarum, in morbis multis deploratiſſimis, ubi eminenter ſuas exſerit vires.

Atque hæc dicta ſufficiant de præparatione vegetabilium præmittendâ deſtillationi ſpiritus ardentis.

Sequitur modus deſtillandi in genere.

DEſtillaturus igitur opus habet materiam ſuam fermentatâ optimè agitare baculo, quò probe miſceantur partes craſſiores cum tenuioribus, agitata verò replere vas deſtillatorium collocatum ſuper tripode, copulatum cum cupreo illo globo in fornacula ab una parte, ab altera verò cum refrigeratorio, ubivis locorum juncturis probè munitis

tis vel veſicis bubulis vel aliter cum amylo & papyro. Colli quoque pars anterior globi, in vaſe deſtillatorio munitum eſto caniſtro cupreo, vel ligneo; ne herbæ, ſemina aliaque intrent globum, quem ſola aqua influere debet. Oportet quoque foramen ſuperius ſtrictiſſime obturari obturaculo convenienti linteis involuto (foramen nimirum illud, per quod ſpecies deſtillandæ infunduntur) ad inſtar doliorum vini obturatorum. Quibus ritè peractis ignem accendere oportet in fornacula ſub globo; donec omnis materia in toto vaſe probe bulliat, & elevabitur ſpiritus ille ardens, & egredietur per refrigeratorium, (ubi condenſatur) in appoſitum excipulũ vitreum non minus quàm è veſicis deſtillatus; ignemque continuare oportet donec omnis ſpiritus ſit egreſſus, id quod guſtu experiri licet. Quo facto, omnibuſque refrigeratis, auferatur remanentia per epiſtomium illud inferius amplum pro eſca porcorum, vel aliis uſibus. Spiritus egreſſus pro lubitu exaltari & rectificari poteſt ex eodem vaſe, purgato tamen prius unà cum refrigeratorio. N.B. Relinquitur aliquando oleum pingue cum phlegmate in ſpiritus rectificatione, profectum ab herbâ illâ, cujus ſpiritus ille fuit, quod in primâ illâ deſtillatione igne fortiori è materia unà cum ſpiritu exſtillavit, in rectificatione verò igne leniori cum ſpiritu adſcendere non potuit, ſed coactum remanſit cum phlegmate inſipido. Atque hoc oleum ſuis quoque viribus præditum, cum primis rectificatum è cucurbita vitrea in B. cum ſpiritu Salis & clari-

ficatum. Impetratur autem ferè ex omnibus herbis, radicibus, seminibus, floribus & fructibus oleum ejusmodi, ex uno tamen subjecto plus quàm ex altero, habita ratione temperiei calidæ & frigidæ, cumprimis vini sedimentum bonam dat quantitatem talis olei, quod medicinale, utpote verum vini oleum, rectificatum non antea suavi sapore præditum, cordiale egregium; quamvis neminem noverim qui illud cognoverit hactenus.

Atque sic tradidi generalem stillandi modum spirituum ardentium beneficio vasis prædicti lignei destillatorii. Nunc etiam sequitur.

Modus destillandorum eorum, utpotè aromatum, seminum, florum, herbarum, radicum, lignorum, &c.

ET primo quidem oportet semina confringere molâ, flores, herbas & radices minutissime incidere, lignaque frustulare vel limare, quibus postea sufficiens aquæ quantitas (cui innatare illa possint) macerationis affundendæ gratiâ, ita ut finita destillatione remaneat aqua superstes, ne ex defectu aquæ comburantur in destillatione, nec empyreuma sapiens, sed suave elargiantur oleum. Nec tamen nimia affundenda aquæ quantitas, sed quanta sufficit ad præcavendam combustionem prædictorum vegetabilium, in olei sui destillatione. Et quidem recentia vegetabilia statim absque præmissa maceratione, cum aquis suis appropriatis vasi destillatorio immissa destillari poterunt; arida

rida verò oportet prius aliquot dierum ſpatio macerare in aquâ, antequam deſtillentur. Oportet quoque aquam macerationi dedicatam, eſſe ſalſam, utpote materialia illa prædicta emollientem & aperientem, quo facilius olea ſua elargiri poſſint. Viridia verò & recentia non opus habent aqua ſalsâ, interim tamen nihil detrimenti inde ſi admiſcetur, quia ſal adjuvat aquam ferventem ita ut olea illa eò facilius adſcendant: adjuvant quoque promoventque deſtillationem, tartarus & alumen, ſi admiſcentur, ritéque adminiſtrantur. Quibus ritè peractis oportet ſpecies maceratas per infundibulum infundere in vas deſtillatorium, ignemque adminiſtrare, uti dictum de ſpiritu ardente, & unà cum aquâ in coctione egredietur oleum ſeminis vel ligni macerati in aquâ. Et quamvis hâc ratione plus egreditur olei, factâ nimirum maceratione, ſalis additione, quam abſque ſale, ſolius aquæ dulcis beneficio, uti nunc ubivis locorum moris eſt olea aromatica deſtillare; multum tamen remanet inſeparabile per aquam nec conſequenter ſublimabile cum aquâ. Melior igitur via eſt, quam tradidi in Primâ Parte cum ſpiritu ſalis inſtituendam, quam ſi placet ſequere. Oleo egreſſo omni (id quod percipitur recipientum mutatione) ignis extinguendus, & remanentia eximenda, quæ ſi ſeminum, herbarum vel fructuum, adhuc calens additione fermenti fermentari poteſt ſpiritus deſtillandi gratiâ, cujus tanta quantitas eſſe non poteſt propter olei ablationem, quanta aliàs elicitur è rebus oleis ſuis non

privatis: omnis enim spiritus ardens multi olei particeps, de cujus essentiâ & naturâ paulò post plura. Oportet autem olea fuisse facta absque salis additione, sal enim impedit fermentationem sine quâ spiritus ardens haberi nequit. Aqua verò unà cum oleo stillata collocanda in loco quodam temperato, i. e. subtepido, donec oleum ascendens innatet aquæ à quâ separandum per tritoriũ (de quo in Parte Quintâ) sunt etiam nonnulla olea non adscendentia sed descendentia ad fundum, similiter per tritorium separanda, ad usus suos reservanda. Quomodò verò ejusmodi olea diu conservanda clara, lentorem non acquirentia, docebitur in Parte Quintâ: quomodò autem temporis diuturnitate claritate spoliata & tenacia facta restituenda & clarificanda iterum, id habetur in parte Primâ, quarè non est opus repetere.

Quomodo Olea in Balsama coagulanda.

IAm diu moris fuit, Olea aromatica in balsama convertere, ubi semper alter alterum excellere voluit in hoc artificio, quod nihilominus nihil aliud fuit hactenus quàm opus smegmaticum: non enim intrinsece usurpari potuerunt, sed saltem extrinsece propter odorem cordis & cerebri confortandi gratiâ. Multifariam autem prædicta olea coagulantur, & portabilia redduntur in pyxidibus stanneis, argenteis, eburneis. Nonnulli pinguedinem agni admiscuêre caloris beneficio, & in linimentum convertêre, quod diversis etiam coloribus

ribus colorarunt; exempli gratiâ, olea herbarum viridium, utpote roris marini, majoranæ, lavendulæ, rutæ, salviæ, viridi colore inquinaverunt, æris viridis (cerebro & cordi noxii) admixtione, ubi quod unum roborat & refocillat, id ipsum destruit iterum alterum. Balsama cinnamomi & ligni Rhodii rubro tinxerunt colore cinabrio venenato. Alii diligentiores olea sua tinxerunt coloribus extractis vegetabilium, quæ balsama tutius intro assumuntur: sed non sunt durabilia, lentorem & fœtorem acquirentia, quarè ceram albam coagulationis gratiâ admiscuerunt, quâ ratione durabiliora quidem facta nec fœtentia, sed tamen temporis diuturnitate tam tenacia, ut cuti illita vel affricta reluctati sint propter ceram admixtam. Tandem alii meliorem invenêre viam olea aromatica & alia coagulandi, additione nimirum olei nucis myristicæ per expressionem facti, colore & odore privati cum vini spiritu, quod *matrem balsamorum* appellavêre. Atque hic modus jam diu à pharmacopæis tanquam Arcanum occultatus fuit, donec tandem aliquando publici juris factus, ita ut ferè in omnibus officinis hâc ratione parata vendantur balsama. Sed ut ut sit optima via, non tamen sunt perpetua balsama illâ parata viâ, utpote sale carentia; non autem contemno sive improbo illa balsama hâc ratione, quia si melior via innotuisset, utique meliora facta fuissent; nemo enim ultra posse cogitur. Quare non modò excusandi, qui usi fuerunt axungiâ agni, cerâ & oleo nucis muscatæ in confectione suorum balsa-

morum, ſed etiam honorandi propter communicationem. Cum autem prædicta balſama intrò aſſumi nequeant, nec adeò benè extrinſecè adminiſtrari poſſint ob unctuoſitatem, conſuluerunt alii coagulare olea admixtione ſalium fixorum propriorum: quâ ratione parata balſama immunia redduntur à lentore & tenacitate, & ſolubilia in vino, cerviſiâ, & quovis liquore: quarè non ſolum commodè intrò aſſumuntur, ſed etiam commodius illis antiquis extrinſecè affricantur odoris gratiâ, quià facilè iterũ abſterguntur aquâ. Non autem ſolum affricta ſuaviſſimum exhibent odorem, ſed etiam propter admixtionem ſalis fixi, ſalis tartari naturam habentis cutem venuſtant. Quarè commendantur ſoluta in aquâ purâ calidâ pro lavacro capitis & faciei, venuſtante non ſolum ſed etiam roborante odoris gratiâ eximii, id quod pinguia illa præſtare nequeunt. Quarè hic modus reliquis longè præferendus; capiat igitur qui velit, *Rara* enim *& nova non ſemper acceptantur* cum primis *obſcura*: ſpero autem ſeculi futuri approbationem.

Sequitur modus præparandi.

℞. REmanentiam ſpiritus ardentis, & ſacco immiſſam fortiter exprime; expreſſam aquam redige in acetum, & è roſis quidem habebis roſaceum, & ex aliis aliud, optimum in œconomiâ, ad condiendos cibos: Poſtea exime remanentiam è ſacco, eamque in furno figulino redige in cineres

res albos, quibus affunde phlegma proprii ſpiritus ardentis (ſeparati) ad extrahendum ſalem, à quo iterum avoca omnem humiditatem in ollâ fictili vitreatâ: ſalem coagulatum leniter calcina in crucibulo mundo, & albeſcet & ſalis tartari ſaporem referet; à quo aliquoties ſpiritum proprium ardentem abſtrahe, ſingulis vicibus ſalem prius calcinando; & adeò exaltabitur ſpiritus à proprio ſale, ita ut ſtatim oleum proprium aſſumat, illudque ſibi aſſocíet illi affuſus, ita etiam ne amplius percipiatur in ſpiritu, clariſſimo permanente: quo facto calcina ſalem adhuc ſemel probe in crucibulo, & cum proprio phlegmate ſolve tantum, quantum ſufficit coagulationi olei: poſtea miſce hanc ſolutionem cum ſpiritu ardente mixto ſuo oleo, & colloca in phiolâ colli oblongioris optimè obturatâ ſive clausâ in balneo, ne ſpiritus exhalare poſſit, coctionis gratiâ, & ſpatio paucarum horarum fiet unio mixturæ lactis inſtar albeſcentis: Quo facto, fac ut vitrum refrigeſcat, facta enim conjunctio ſpiritus, olei & ſalis, ita ut neutrum præ altero diſcernatur, quæ effundenda in vitrum ampli orificii, & in frigido congelabitur inſtar unguenti nivei, non ſolum inungibilis ſed etiam in quovis liquore ſolubilis odoris egregii, quod intrinſecè adminiſtrari commodè poteſt, & extrinſece adminiſtratum cutem reddit venuſtam & odoram; quarè Magnatum & Dominellarum balſamum optatiſſimum. Atque hâc ratione tria vegetabilium principia ſeparata, & purgata reünita ſunt, in quâ unione totius illius vegetabilis repe-

reperitur tota vis, sapor & odor. NB. Coloraturus balsama, extrahat colorem è vegetabilius cum V. SP. quem faciat simul coagulari. Prædictâ igitur ratione è quovis vegetabili, sale, spiritu & oleo, prædito, elicere licet balsama solubilia, bene redolentia, absque additione alicujus rei peregrinæ non contemnenda.

Et quia hic quoque docetur balsamum rosarum odorantissimum, rosæ verò dent pauciss-imum oleum, sine quo illud fieri nequit, scito non solas rosas, sive rosarum folia esse accipienda ad confectionem prædicti balsami, sed unà cum foliis integros illos nodos; luteum enim illud contentũ in illis dat oleum illud, non folia rosarum, &c. Atque hæc dicta sufficiant de præparatione nostra balsamorum, quæ si ritè parantur, non contemnenda judico, non rejiciens illa absque sale parata: Non carpat nostra, sed det meliora qui habet. Atque sic omnes & singulos sub uno aliquo generali comprehensos volo processus, destillandi spiritus ardentes & olea, beneficio vasis destillatorii lignei, illorumque reconjunctionem beneficio salis fixi proprii. Potuissem plura addere de usu & viribus Sp. V. & oleorum illorum suavissimorum vegetabilium, sed quia illa ab aliis satis luculenter tradita, superfluum quid esse duxi, aliorum dicta repetere, contentus descriptione unius solius generalis processus, quem imitari liceat in cæteris particularibus.

Se-

Sequitur nunc usus vasis secundi ligneì, usurpandi loco cuprei vel plumbei, inservientis destillationibus, digestionibus, extractionibus & fixationibus.

VAse parato secundum præscriptionem traditam pag. 11. nihil aliud agere opus habes, quàm accommodare fornaculam cum globo, & pro lubitu aquam in illo calefacere, ignis regimine in fornaculâ. Possunt autem omnia & singula hic perpetrari, quæ aliàs perpetrantur in B. communi; ubi nulla alia differentia quàm vasorum; hic usurpatut vas ligneum, ibi verò cupreum, plumbeum, ferreum, &c. Vsurpatur quoque in hac operatione eadem fornacula cum eodem globo, quæ supra usurpabatur in destillatione, quare non opus aliquid præterea adjicere, nihil enim communius Balneo in destillatione; sufficiat igitur usus globi cuprei demonstratio. Operæ autem pretium esse duxi aliquot apponere extracta chymico-medica, non communia, quæ beneficio hujus B. confici possunt, quæ rite parata in plurimis morbis multa præstant.

Et primò quidem de extracto vomitivo.

℞. FLorum Antimonii unciam unam; Tartari purgati uncias duas; Sacchari Candi uncias sex; aquæ pluvialis lib. 2. mixta colloca in phiolâ

vitreâ fortissimâ in B. coctionis gratiâ,& fac bullire strenue 10. vel 12. horarum spatio. Postea balneo refrigerato, exime vitrum & effunde decoctionem, illamque filtra per chartam bibulam infundibulo impositam; aqua filtrata erit rubella, sacharata subacida, quam accipe (abjectis fecibus in filtro) & ex cucurbitâ vitreâ parvulâ ignis calore lento in B. omnem abstrahe humiditatem, usque ad remanentiam melleam fusci coloris; cui denuò affundo libram unam spiritus vini effusæ in phiolâ colli oblongi, & colloca in B. moderati caloris 8. vel 16. horarum spatio, & vini spiritus denuo separabit extrahetque essentiam puriorem & nobiliorem,relictis fecibus in fundo; quæ postquam omnia refrixerint, filtrationis beneficio separanda per chartam bibulam nimirum duplicatam. Postea accipe tincturam rubram filtratam, & ex cucurbitâ vitrea in B. leni omnem ferè abstrahe vini spiritum usque ad remanentiam syrupi dulcis & suavissimi; quem exemptum serva tanquam excellentissimum vomitivum, in multis morbis utilissimum, ubi reliqua cathartica nihil præstare possunt: hæc enim medicina leniss imè operatur; quarè pueriles etiam $1\frac{1}{2}$ anni absque periculo administrari potest, nec-non senibus. Purgat hæc medicina cunctos humores, è genere nervoso & venoso attrahit omnes humores vitiosos, referat obstructiones hepatis, lienis, pulmonum & renum quâ ratione varii gravissimi curantur morbi.

Nondum reperi vomitivum huic comparabile, tuto

tuto & citissimè operanti. Dosis ejus est à gutt. 1. 2. 3. 4. usque ad 10. & 30. habitâ ratione ætatis & ægritudinis; ita per se, vel cum vino, cervisiâ, &c. & quidem infra ½ horæ operari incipit, finitque operationem intra horas duas. Quandoque non vomitus excitat, sed solummodò sedes, ubi adjuvat clister statim ante administrationem medicinæ prædictæ administratus, factus è 2. vel 3. cochlearibus olei olivarum & aquâ salsâ; clister enim infernè præparat viam, ita ut rarò vomitivum supernè operari possit: ubi etiam poterit æger statim ab assumptione medicinæ ori & naribus admovere panem tostum calidum, qui vomitiones prohibet, & infernam operationem promovet. Sed meo quidem judicio melius, medicinam non impedire quærentem operationis viam spontaneam, non coactam: Multis enim vomitus magis convenit quàm purgatio illa per secessum. Illa autem diximus in gratiam illorum, qui etsi vomitiones abhorrent, purgari tamen desiderant per essentiam antimonialem, quæ omnium & singulorum, quotquot novi, catharticorum tutissimum & suavissimum medicamen est. Præ cæteris enim omnibus universum visitat corpus, & à multis ægritudinibus occultis liberat, id quod cætera cuncta vegetabilia cathartica præstare nequeunt. Hoc etiam commodi habet, ut etsi vel ob minorem dosin vel obstinatam naturam patientis nõ operetur per vomitus vel secessum, non tamen instar aliorum noxã inferat corpori humano, sed vel per sudorem vel per urinam operetur, ita ut antimonium ritè pa-

paratum rarò absque fructu administretur. Cum è contra cathartica vegetabilia minori dosi exhibita, vel alias ob causas non operantia, etsi non semper inde corpus intumescat & manifesti morbi proficiscantur, invisibiles tamen & occultas corpori minentur ægritudines. Antimonii verò arcanum non modò non infert noxam, si non sensibiliter operatur, sed insensibiliter operando benefacit corpori humano: quarè magna differentia inter purgantia mineralia & vegetabilia. Mineralia enim in minori dosi absque nauseâ administrantur, vegetabilia verò cum maximâ nauseâ & quandoque periculo ægrotantis in majori dosi. Nausea quoque illa sæpè numero profecta à maximâ dosi potionum ingratarum amararum plus damni infert quàm ipsa potio. Utinam aliquando abrogarentur ejusmodi crassâ Minervâ parata, & substituerentur extracta vegetabilium suavia, & mineralium essentiæ.

Extractum purgans.

℞. RAd. Hellebori nigri, justo tempore collectarum, aëreque siccatarum lib. 1. Rad. Mechoacæ, jalappæ, ana ℥ iiij. cinamomi, sem. anisi & fœniculi ana, ℥ 1. Croci Britannici 31. Redige has species in pulverem, cui affunde spiritum vini optimè rectificatum in cucurbitâ vitreâ altâ, atque huic appone alembicum cæcum, & colloca in digestione balnei, donec S. V. rubro tingatur colore, quem tunc decanta recen-

centemque reaffunde, iterumque colloca in digestione, donec rubescat spiritus, quem etiam decanta; recentemque reaffunde toties nimirum, donec spiritus non amplius tingatur colore rubro, quod communiter 3. fit vicibus. Tinctos spiritus misce, filtra, & in B. per alembicum vitreum lentissimo calore abstrahe à tinctura, & remanebit in fundo succus spissus subfusci coloris, quem adhuc calentem eximere & in vitro mundo ad usus suos reservare oportet. Spiritus vini ab extracto abstractus ad eundem usum prædictum reservari potest. Extractum verò administratur à gr. 3. 6. 9. 12. ad 3 1. habitâ ratione ætatis & personæ cum saccharo mixtum, non enim ingrato sapore præditum, leniterque operatur tutissiméque si non nimia administratur dosi. Et si vis habere in formâ pilulari, admisce ipsi calenti unc. 1. Aloës lucidæ, & unc. sem. Diagrid. pulverisati, mixta redige in massam pilularem, & serva ad usum. Dosis est à gr. 1. ad ℈j. evacuat cunctos humores superfluos; sed non comparabilis cum antimonii medicina. Atque hoc extractum appositi in gratiam formidantium mineralia & vomitus abhorrentium, quod penes me optimum omnium vegetabilium catharticorum.

Extractum Diaphoreticum.

℞. Ligni sassafras, sassaparillæ, ana unc. VI. Zingiberis, Galangæ, Zedoariæ. ana. unc. III. Piperis longi, Cardamom. Cubebarum ana. unc. 1.

Cinamomi, Macis, ana, unc. semis, Croci Britannici, Nucum M. Caryophyllorum ana drag. 1. ligna limâ comminuantur, radices & aromata pulverisentur, mixtis affundatur V. Sp. & in B. extrahatur Tinctura, uti supra dictum de extracto purgante; & extractio spiritus vini abstractione redigatur ad mellaginem; quàm ad usus servare oportet. Prodest in peste, febribus, scorbuto, leprâ, morbo Gallico, aliisque à sanguinis impuritate profectis ægritudinibus diaphoresi è gentibus. Dosis hujus extracti est à ℈j. ad ʒj. cum vehiculis appropriatis; potenter promovet sudorem, venenositates à corde abarcet, & sanguinem mundificat.

Et quamvis sit efficacissimum diaphoreticum vegetabile, comparari tamen nequit cum spiritibus illis subtilissimis mineralium, de quibus in parte secundâ. Suas quoque habent commendationes animalia diaphoretica, utpotè caro viperina, sal aranearum & bufonum fixum in suis operationibus peculiaribus, ubi singula sola absque alterius admixtione suas operationes exserunt & demonstrant; nec quadrant cum diaphoreticis animalibus & vegetabilibus, mineralia utpotè bezoarticum minerale, antimonium diaphoreticum & aurum diaphoreticum.

Extractum Diureticum.

℞. SEm. Saxifragiæ, carvi, fœniculi, petroselini, urticæ ana unc. 111. Rad. Glycyrrhizæ, lappæ

pæ majoris ana unc. 1. pulveris mille pedum unc. semis. Mixta & contritione in pulverem redacta extrahantur cum Spir. junip. secundum artem. Postea extracto admisceantur sequentia R. Salis succini, fuliginis, Urinæ ana ʒ ß. Nitri purgati ʒj. Mixta pulverisentur & extracto admisceantur, & ad usus servetur mixtura. Dosis est à ℈j ad ʒj. in aq. petroselini, fœniculi, &c. Hoc extractum pellit urinam, aperit ureteres, purgat renes & vesicam ab omni pituitâ viscosâ, matre tartareæ coagulationis, si tempestivè nimirum usurpatur: In hoc casu commendatur quoque solutio silicum & crystallorum facta cum spiritu Salis. Majorem commendationem habent salia herbarum nephriticarum facta per expressionem & crystallisationem absque calcinatione, quorum præparatio non hic sed alibi docebitur.

Extractum Somniferum.

℞. OPii Thebaici unc. 1111. Sp. Salis unc. 11. Tartari purgati unc. 1. Mixta colloca in maceratione in B. in vase vitreo per diem & noctem, & salis spiritus cum tartaro referabit opium, & ad extrahendum præparabit, cui affunde spiritus vini optimi lib. semis, colloca extractionis gratiâ in B. leni, Spiritum tinctum decanta, recentemque reaffunde, colloca in digestione donec coloretur spiritus. Postea misce extractiones, & admisce in cucurbitâ vitreâ croci optim. drag. 11. olei caryophyll. drag. 1. & abstrahe in B. vini

ſp. & remanebit ſuccus ſpiſſus niger, eximendus & in vaſe vitreo mundo ſervandus. Doſis ejus eſt à gr. 1. ad 5. vel 6. pro adultis, puerulis verò ſufficit $\frac{1}{6}$ vel $\frac{1}{8}$ unius grani. Uſurpari poteſt in omnibus affectibus calidis abſque periculo: tranquillum provocat ſomnum, mitigat dolores tam externos quàm internos, ſudorem movet; cumprimis verò eſt certum remedium epilepticum puerulorum noviter natorum; quàm primum enim illis in paroxyſmo adminiſtratur $\frac{1}{8}$ grani unius cum vino vel lacte muliebri, ſtatim quies ſequitur & cum ſomno ſudor, quâ ratione malignitas expellitur, pueruli recreantur, victum appetunt, & in poſterum paroxyſmus non revertitur. Etſi fortè aliquando percipiantur ejuſmodi ſymptomata iterum, ſi tamen denuò prædicta doſis adminiſtratur, fit quod pueruli refocillentur & curentur integrè, vitam cum morte alias permutaturi, &c. quorum non paucos hâc medicinâ reſtitui. Cæterùm ſunt quoque medicinæ efficaciſſimæ anodynæ, ſpir. illi volatiles, vitrioli, aluminis, antimonii aliorumque mineralium; quibus uti etiam ſulphuri illi narcotico præcipitato è ſpiritu vitrioli volatili nihil comparari poteſt.

Extractum cordiale.

℞. ROſarum rubrarum unc. iiij. Lilior. conval. unc. ij. Flor. Borrag. Roris mar. Salviæ ana unc. 1. Cinamomi electi, ligni aloës ana ʒ ij. Caryophyll. Macis, Nucis muſcatæ, Galangæ, Cardam.

dam. minoris ana ʒʒ ß. Rasuræ Eboris, Cornu Cervi ana ʒj. Croci Britannici ʒj. Nucis Vomicæ. ʒj. Boleti cervini. ʒj ß. Mixta pulverisentur subtilissimè & cum V. Sp. extrahantur tinctura in B. iterum abstrahendus V. Sp. usque ad justam consistentiam. Extractum servetur ad usus. Vsurpari verò potest ferè in quovis animi deliquio aliisque affectibus, comitem non habentibus calorem præternaturalem. Dosis ejus est à gr. 3. 6. 9. ad ʒj. cum vehiculis appropriatis; sæpè administratum recreat spiritus, corroborat, cerebrum cæterasque partes corporis. Efficacius redditur additione essentiarum mineralium cum primis auri, de quâ re vide part. primam de Oleo auri dulci.

De Extracto Odorifero.

NOn opus est docere confectionem extracti alicujus odoriferi vegetabilis, quia paulò antè traditus modus eliciendi sive destillandi olea vegetabilium suavissimis odoribus præditorum, utpotè herbarum, florum & seminum, quæ vegetabilium sunt essentiæ nobilissimæ & suavissimæ, quarum odore cor roboratur & cerebrum, quæ in balsama redacta, transportabiles redduntur. Meliora igitur extracta & excellentiora vegetabilium, meo quidem judicio, confici nequeunt, quàm prædicta illa olea, nisi quis velit extracta aromatica facta cum sp. Vini, miscere cum solutionibus metallicis, mixtaque digerere, tunc enim separatum ibit ab extracto oleum quoddam odoratissimum

viribus non modò non minus, sed præstantius etiam oleo illo destillato vulgariter, propter admixtionem virtutis spiritualis metallicæ cumprimis auri & argenti, solutorum in menstruo acido, oleo aromatico suas vires communicantium. Cæterum unumquodque oleum vegetabile odore & viribus exaltari potest beneficio spiritus urinæ vel salis Armoniaci; cujus beneficio non solum olea odorata exaltantur, sed etiam inodera vegetabilium odora redduntur, si aliquantisper digeruntur cum spiritu urinæ; nec hoc solum, sed etiam sulphur minerale & metallicum unumquodque, etsi odor ejus sit durissimis vinculis ligatus, ejus beneficio recluditur, & in suavissimam odoratissimamque essentiam temporis curriculo in digestione redigitur. Spiritus urinosi exaltant sulphurum odores & colores; acidi purgant sulphura, sed mutant ipsorum colores & odores. Muscus & Zibetha acquirunt odoris sui suavitatem & excellentiam à felis alicujus spiritu subtilissimo urinoso, digerente certam aliquam pinguedinem, & convertente in ejusmodi materiam odoratissimam.

Atque hæc de extractis dicta sufficiant, quæ omitti potuissent, quia passimaliorum authorum, in omnibus linguis, exaratis scriptis plurima ejusmodi reperiuntur extracta; apponere autem placuit illa, ne hic libellus præter novam stillandi rationem, aliud nihil continere videatur, sed instructus quoque optimis medicaminibus.

De

De Balneis.

SUpra pag. 11. data descriptio labri pro balneo, cui toto corpore, capite excepto, insidere quis possit, non solum ad lavandum in aquâ dulci calidâ, sive medicinali & minerali, sed etiam ad sudandum absque aquâ, ubi vas calefit à vaporibus profectis calidis aquarum sive dulcium, sive mineralium. Atque ejusmodi balnea quilibet sibi pro necessitate suâ domi comparare potest, quibus iidem qui alias thermarum beneficio curantur morbi, ita ut thermarum causâ non opus habeat amplius tam peregrè ire, sed domi manens cum cum familiâ, officio suo sive munere absque molestiâ fungi queat, tempore necessitatis.

Et cum negari nequeat thermarum usu gravissimos medicisque incurabiles morbos curari sæpè numero feliciter, volui in gratiam proximi publicare hoc instrumentum, una cum præparatione aquarum mineralium. Quæ publicatio sine dubio non erit sine fructu & commodo. Quarè breviter dabo præparationem aquarum mineralium & dulcium, earumque usum. Et primò quidem

De Balneo aquæ dulcis vel communis.

NUlla ars est conficere Balneo aquæ dulcis; nihil enim aliud agere habes, quàm vas tuum replere aquâ fluviatili, vel pluviali, ignemque ad-

miniſtrare, qui beneficio globi cuprei calefaciet aquam; quâ ſufficienter calefacta inſidere oportet, & cooperire labrum, ne calidi vapores evaporent, nec aër frigidus intret, & exteriores corporis partes feriat; propterea etiam oporter linteum mundum collo applicare, ne ibi vapores calidi evaporare poſſint: quibus ritè obſervatis, inſidere oportet 1.2.3. horarum ſpatio, vel quamdiu poterit æger, vel ægritudo poſtulat: oportet quoque interea continuum conſervare calorem neceſſarium, beneficio globi illius adminiſtrandum. Patiente quoque ſitiente interea temporis, propina ipſi potionem appropriatam deſtillatam ægritudini, de quâ re nihil nunc, quia decrevi conſcribere peculiarem *libellum de Balneis*, hic verò ſaltem uſum revelare globi illius cuprei, in calefaciendis balneis. Etſi non perfecta omnium, quorundam tamen balneorum, eorumque proprietatum dabitur in hoc libello brevis inſtructio.

De Naturâ & proprietate thermarum.

SCito quod maxima pars aquarum medicatarum Germaniæ, aliarumque regionum, tam calidarum quàm frigidarum, ſecum è terrâ adferant aciditatem quandam ſulphuream, ſecundum plus minus; in quâ aciditate conſiſtit facultas illa medica & vis hujus vel illius aquæ. Et ſi privantur ejuſmodi aquæ odore & ſapore exhalatione ſpirituum ſuorum ſubtilium, tunc etiam privantur ſuis viribus; quamvis etiam reperiantur aquæ ſulphure

phure non ſolum præditæ ſpirituali, ſed etiam impræ-gnatæ minerali aliquo ſive metallo corporali, mixto cum alumine vel vitriolo; quod aliundè non proficiſcitur quàm ab aquâ communi mineras percurrente. Reperiuntur etiam alia Balnea, quorum vis & virtus non conſiſtit in ſulphure aliquo ſpirituali, nec in aliquo metallico corpore & ſale, ſed tantum in ſale quodam ſpirituali, mixto cum terrâ aliquâ ſubtiliſſimâ fixâ, quæ aquæ non ſicuti illæ mineras metallicas percurrunt, ſed potius ſaxa montium calcinata igne ſubterraneo, unde etiam ſubtilem ſuam mutuant aciditatem cum terrâ ſuâ inſipidâ. Atque hæc nemo inficias ibit notitiam ſive cognitionem habens, volatilium atque fixorum cum ſalium tum mineralium atque metallorum: id quod plurimis & evidentiſſimis rationibus demonſtrare poſſem, ſi tempus & occaſio nunc ferret, fiet autem aliquando in peculiari aliquo, uti dictum, tractatu. Nunc igitur ſaltem docebo, quomodo è ſalibus, mineralibus atque metallis artificioſa conficiantur balnea, naturalibus illis non modò viribus non cedentia, ſed etiam ſæpè præſtantiora, & quidem ſine ſumptibus & laboribus inſignibus, quibus domi quis uti poteſt loco naturalium in profligandis morbis & ſanitate recuperanda. Et quamvis libellum edere decrevi, prolixè agentem de naturâ & origine thermarum, nec-non illarum uſu, volui tamen aliquid hâc de re breviter nunc quoque dicere & quidem ex fundamento, videns tot totq; virorum doctorum opiniones diverſas, & diſcrepantes

nec-non maximâ ex parte incertas.

Quod igitur attinet originem aciditatis tam volatilis quàm corporeæ, nec-non caliditatem thermarum, scito eam non esse unam eandemque, aliàs enim singulæ iisdem proprietatibus præditæ essent, contrarium autem quotidiana testatur experientia. Palam enim est nonnullas thermas aliis prodesse, aliis verò non ægritudinibus sed potius nocere, quod aliundè non quàm à differentiâ proprietatum proficiscitur aquarum mineralium profectarum à diversitate minerarum impræg nantium illas aquas. Summatim, aquæ dulces attrahunt suas vires & virtutes in montium cavernis à quibusdam metallis & mineralibus diversarum specierum, naturâ præditis spiritu salis acerrimo; utpotè sunt varia genera marcasitarum continentium cuprum & ferrum, & quandóque aurum & argentum; nec-non vitriolorum & aluminum genera, ab antiquis appellata Misii, Rarii, Chalcitis, Melanteria & Pyrites, quorum nonnulla candida instar metallorum reperiuntur, alia verò dispersa in terrâ pingui, figuræ rotundæ, in frustulis majoribus vel minoribus. Quas mineras sulphureo-salsas percurrente & humectante aquâ, stimulatur spiritus ille salis, vehiculo acquisito, & aggreditur mineras illas solvendo, in quâ solutione incalescit aqua, ac si fuisset affusa calci vivæ, vel ad instar spiritus vitrioli sive salis aqua mixti affusus ferro, aliisque metallis; ubi continuo quotidiéque aliquid secum trahit aqua illa percurrens mineras, quarum naturas & proprietates imitatur

tur aqua: quarè tot & tam diversa thermarum genera, ob diversitatem nimirum profectarum tot & tam diversarum minerarum, à quibus incalescit aqua. Incredulus accipiat minerale aliquod prædictæ qualitatis, illudque involvat in linteo madido nimirum aliquantisper, & reipsâ experietur lapidem illum mineralem ab aquâ accensum, atque adeò calefactum, ac si fuisset in igne, ita ut vix manu illum tenere possis, qui tandem etiam diuturniore actione aquæ instar calcis vivæ fatiscet & consumetur.

Hanc meam opinionem pauciſſimis verbis traditam, aliquandò (volente Deo) prolixius & clarius in peculiari tractatu publicabo: quamvis ægrotis perindè sit nihilque referat illis, à quâ causâ proficiscantur thermæ, undéque suas mutuentur vires, si modò uti illis liceat, relictâ Philosophis naturalibus altercantibus hâc controversiâ, quàm nemo illorum melius decidere potest Chymico perito, mineralium, metallorum saliumque cognitionem habente.

Et primò quidem de Thermis Sulphureis subtili aciditate præditis.

IN tractatu secundo demonstravi modum destillationis spirituum subtilium, volatilium, sulphureorum, salis nimirum communis, vitrioli, aluminis, nitri, sulphuris, antimonii aliorumque salium, mineralium atque metallorum, eorumque vires & proprietates intrinsecas, nunc quoque dabo

bo illorum usum extrinsecum aquis miscendorum pro balneis. Virtutibus igitur thermarum, non ab aquâ insipidâ sed à spiritibus illis subtilissimis, volatilibus, sulphureis & salsis proficiscentibus; hisce verò ita per se, aquæ non permixtis, ineptis pro Balneis, recuperandæ sanitatis gratiâ usurpandis, ob nimiam caliditatem & subtilitatem; revelavit nobis indignis & ingratis hominibus, Deus altissimus paternam suam providentiam, ostendens nobis per naturam illorum usum & utendi modum sanitatis adversæ tollendæ gratiâ: quæ (natura) nunquam otiosa indesinenter operatur, & tanquã ancilla, Dei voluntatem exsequitur, demonstrando nobis varia destillationum, transmutationum & generationum genera. A quo Doctore oportet ut addiscamus omnes artes & scientias, quærentes certam & infallibilem informationem, tanquã è libro manu divinâ exarato, repletoq; innumeris magnalibus atque secretis. Atque hæc longè certior scientia philosophorũ illorum vulgariũ altercantium philosophiâ inani & putatitia. Putasne veram illam, 100. imperialium pretio venalem philosophiam? Quomodò quis judicare potest de absconditis in terrâ, qui cæcutit & quidem volens in rebus solari luci expositis, eruditionem abhorrens. Utinam scientia nomini esset consentanea: Quomodò ignis naturam ignorans, per ignem operari noverit? Ignis multa revelat, in quibus ceu speculo absconditа cernere licet; Ignis nobis patefecit, quomodò singula, aquæ, salia, mineralia atque metalla, unà cum cæteris innu-

numerabilibus in terræ viſceribus generentur per reflectionem ignis nimirum illius centralis & aſtralis: Sine ignis enim cognitione tota natura permanet velata & occulta. Ignis (à philoſophophis ſemper in ſummo honore habitus) clavis eſt maximorum ſecretorum reſerandorum: & ut uno verbo dicam, ignem ignorans naturam ignorat cum ſuis fructibus, nec aliquid habet præter lecta & audita, quæ plerunque falſa, ſecundum illud; *Facilè mentitur qui loquitur audita.*

Imperitus ob ignorantiam neſciens diſcernere inter verum & falſum, unum pro altero arripit. Quæſo tu qui facilè credis, putaſne Doctorem tuum ſuos ſcripſiſſe libros ab experientiâ deſumptos, vel à lectione aliorum depromptos? Utrumve non longâ vetuſtate, ſæpiſſimâque deſcriptione ſint illi corrupti & ſophiſticati? Vtrum etiam tum illorum verum & genuinum habeas ſenſum? Scire igitur melius quàm opinari; opinionibus enim multi ſeducuntur, multi etiam falluntur fide, ſcientiam non ſecum habente comitem.

Multi quidem ſcientiarum ambitioſi, avari nimirum & otioſi, carbonum nigredinem, forcipumque abhorrentes rubiginem, tractare malunt citharam & panduram, quàm carbones, &c. Atque hi meritò comparantur adoleſcenti illi, de quo apud Matth. cap. 19. Veritatis diſcendæ cupido, nolenti autem Chriſtum ſequi in paupertate & miſeriâ. A pavonibus ſuperbis, garruliſque pſittacis, non niſi clamores proficiſcuntur tædioſi; cum econtrà avicularum vocibus recreentur &

ex-

exhilarentur auditores. Dolenda igitur mortalium conditio perversa, affectantium potius vanitates mundi superbi, quàm virtutes & laude dignas artes, quibus nihil honestius, nihilque utilius à verbo Divino, revelante nobis voluntatem Dei de charitate proximi. Atque hæc juventutis gratiâ dicere volui, ne ita annos suos teneros in vanitatibus terere velint, sed potius in igne periculum facere, sine quo nemo veram rerum naturalium cognitionem adipiscitur; quod etsi durum in principio videatur, dulce tamen erit in senectute.

Sequitur nunc mixtura Spirituum illorum subtilium, mineralium, sulphureorum & salsorum, cum aqua.

QUod ad pondus prædictorum spirituum aquę dulci admiscendorum, conciliantium ipsi naturam & proprietatem thermarum naturalium, hoc scire te oportet, quod illorum, quorum diversos & varios docui in secundâ parte, viribus nimirum & virtutibus impares & inæquales, pondus non semper idem adeò accuratè observari possit; siquidem habenda semper illorum ratio fortitudinis, viriumque ægrotantis.

Poteris autem in principio unam vel alteram admiscere libram spirituum, aquæ sufficientis quantitatis, & infessione periculum facere virium balnei artificialis, quæ si debiliores justo, augendæ adjectione majoris quantitatis spirituum; si verò justo

justo fortiores, abstractione diminuendæ, de quâ re fusius in *Arte nostrâ Balneatoriâ*. Hoc autem nunc observa, præstare balnea in principio administrari debilia, postea verò viribus aucta paulatim nimirum & successivè, quò ægrotantis natura illis assuescat etiam paulatim, non verò obruatur & destruatur ab usu illorum inconsueto, justo fortiorum. Quarè cautè & cum discretione administranda balnea, cujus rei gratiâ recommendatam volo lectori tactam *Artem meam Balneatoriam*, in quâ planam & perfectam inveniet instructionem; sufficiat igitur hic indicâsse, usum globi illius cuprei in calefaciendis balneis, quibus (dictis) interea æqui bonique consulat æger, donec plura sequantur. Sequitur nunc usus

Balneorum Sulphureorum.

APplica fornaculam cum globo cupreo labro prædicto modo, & infunde sufficientem quantitatem aquæ dulcis, quàm calefacito igne accenso in fornaculâ, globi illius beneficio: quâ sufficienter calefactâ fac insidere patientem, & affunde tantum spiritus sulphurei, quantum tibi sufficere videtur; quo facto fac ut ubique ritè cooperiatur labrum, ne evanescat spiritus ille volatilis, & pro necessitate continua caloris administrationem, usque ad egressum patientis. Scito etiam singulis vicibus mutandam aquam, recentesque admiscendos spiritus. Atque hic est usus ille globi illius cuprei, in calefaciendis balneis aquæ dulcis,

cis, vel medicatæ & quidem vel vegetabilis, vel mineralis: atque hujus vel naturalis vel artificialis sulphureæ; quo multi gravissimi & incurabiles feliciter curantur morbi: De quo satis nunc in hoc tractatu.

Usus Globi Cuprei in Balneis siccis, excellentioribus illis humidis in quibusdam casibus.

POtuissem hanc materiam differre usque ad tractatum proprium, ubi omnia fusius clariusque tractabuntur: propter impedimenta tamen nonnulla inopinata editionem promissi tractatus aliquantisper procrastinatura, aliquid de illorum usu, postquam humidorum mentionem feci, dicere decrevi, & quidem non solum de usu spirituum illorum subtilium, sulphureorum & siccorum, sed etiam de usu spirituum subtilissimorum vegetabilium & animalium medicinalium, cumprimis propterea quod in plurimis ægritudinibus commodius administrentur sicca, quàm balnea humida. Provocaturus igitur sudorem viâ nimirum siccâ, sine aquâ scil. prospiciat sibi de arcâ ligneâ sive vase ligneo congruo, i. e. insessioni conveniente, scamno videlicet prædito perforato, pro lubitu secundum plus minus in altum elevabili; itemque asserculis, brachiis & pedibus incumbentibus destinatis. Oportet quoque hanc arcam præter januam majorem, habere ostiolum parvum infernè destinatum impositioni lampadis ardentis cum vini spiritu, vel testæ alicujus cum carbonibus

bus calefactionis gratiâ. Arcâ probè calefactâ, ingrediendum ægro, scamnoq; insidendum; quo facto arcam ubique locorum accuratissimè claudere oportet & accommodare fornaculâ cum globo cupreo, sub quo parvus solummodò ignis accendendus, cujus beneficio spiritus ille volatilis incalescens egreditur in arcam instar vaporis subtilissimi & penetrantissimi circumcirca patientem. Sed cum hic spiritus non sufficiat calefacere arcam, collocare in eâ lampadem cum spiritu vini ardentem, vel testam aliquam cum carbonibus (quorum omnium optimi, qui è junipero vel vite conficiuntur, cum primis è radicibus, utpotè diu durabiles, nec facilè exstinguibiles à vaporibus illis spirituum) ne refrigescat æger, & ut vapores illi spirituum corpus ægri eò melius penetrent. Elychnium verò pro vini spiritu ardente in lampade, esto incombustibile confectum ex auri filis subtilissimis; de quâ re plus in arte balneatoriâ. Interea temporis penetrat, permeat & calefacit spiritus ille volatilis universum corpus, suumque sæpè officium melius præstat hâc ratione administratus, quàm mixtus aquæ. Tempore insessionis elapso, egrediendum iterum & decumbendum in lecto calefacto, sudoris absolvendi gratiâ. Antequam autem Patiens ingrediatur arcam, assumat dosin spiritus illius volatilis, ad promovendas extrinsecè administrati, accelerandasque actiones. Atque hâc ratione non solum spiritus illi volatiles sulphurei saium, mineralium atque metallorum, sudoris gratiâ extrinsecè sine aquâ administrantur;

sed etiam multorum vegetabilium, utpotè seminis sinapi, nasturtii hortensis, tartari crudi, nec-non animalium, utpotè cornu cervi, urinæ, salis armoniaci, &c. ad profligandos morbos gravissimos & desperatissimos. Sunt autem, prædicti spiritus diversis proprietatibus præditi, aliis enim præditi sunt viribus spiritus illi volatiles salium, mineralium atque metallorum; aliis quoque vegetabilium & animalium; quorum illi essentiâ præditi sulphureâ & igneâ; hi verò Mercuriali aereâ; quarè diversis etiam usibus destinati. In quibusdam enim ægritudinibus præferuntur sulphurei illi; in aliis verò vegetabiles & animales; ubi ratio habenda ægritudinis & balneorum, ne quid pro quo, in ægrotantis maximum incommodum administretur. Omnes enim ferè thermæ, spirituſque salium volatiles, mineralium, ac metallorum participes sunt spiritus alicujus subtilissimi penetrantis, calefacientis & exsiccantis sulphureo-salsi: vegetabilium verò & animalium spiritus participes sunt volatilitatis cujusdam subtilissimæ penetrantis, calefacientis, aperientis, incidentis & attenuantis urinosæ sive nitrosæ; contrariâ nimirum illis primis; uti apparet ex affusione spiritus alicujus volatilis sulphurei, utpotè salis communis, vitrioli, aluminis, mineralium, & metallorum; ad spiritum rectificatum urinæ, vel salis armoniaci; ubi è vestigio alter alterum occidit sive mortificat, & suâ volatilitate & subtilitate privat; ita ut ex ambobus spiritibus subtilissimis diversarū naturarum proficiscatur sal quoddam nullius odoris

&

& efficaciæ particeps. Vnde liquet non omnes iisdem facultatibus præditos esse spiritus diversarum naturarum & essentiarum participes. Cautus igitur esto in administratione spirituum potentissimorum, ne inimicum amici loco administres; eorumque addiscito naturas, vires & essentias, antequam illis utaris in medicinâ. At interrogas, quorsum quasi in momento abiverit spirituum illorum vis maxima? Vtrum in duello illo evaporaverit? Non, inquam, sed transmutata in substantiam corpoream, è purissimo enim sulphure minerali, & subtilissimo, summéque volatili & penetrativo Mercurio animali factum sal quoddam corporale mirabile, quod *aquila philosophica* dici meretur, quia facilè leni calore sublimatur; in quo multa latent: non enim solum facit ad metallorum, cumprimis verò auri solutionem, sed etiam ita per se abit vi maturationis in medicinam efficacissimam: De quâ re nihil amplius nunc temporis, quia saltem volui admonere lectorem, esse diligentem in spirituum naturæ indagatione, qui etsi mutant corpora, non mortui tamen propterea dicendi, sed potius ad meliorem perfectionem redacti. Atque hæc dicta sufficiant de sicca administratione spirituum, in provocando sudore, profligandorum morborum gratiâ: Quibus verò morbis hic vel ille spiritus sit dedicatus, reperire habes lector in tractatu proprio, cujus facta mentio supra, summatim autem scito, spiritus illos volatiles sulphureos salium, mineralium & metallorum, prodesse in omnibus obstructionibus

viscerum interiorum, lienis nimirum, pulmonum, & epatis, cumprimis autem præstantissimos esse omnium in nervis refrigeratis calefaciendis; quia efficacissimè calefaciunt, attenuant, incidunt, expellunt & mundificant, quarè commendantur in contracturâ, paralysi, epilepsiâ, Scorbuto, melancholiâ hypochondriacâ, morbo Gallico, scabie, aliisque ulceribus corrosivis, fistulosis, &c.

Spiritus verò alterius generis, utpotè tartari, cornu Cervi, salis armoniaci, urinæ, &c. calidi quoque sunt, sed non adeò sicci; præter calefaciendi vim, vi prædicti penetrandi, incidendi, emolliendi, attenuandi, abstergendi & expellendi; quarè etiam mirificè operantur in omnibus obstructionibus tam internarum quàm externarum partium; præ cæteris enim omnibus poros cutaneos aperiunt, sudoremque promovent; emolliunt, aperiuntque hæmorrhoides; menses provocant tam vetularum quàm juvencularum; purgant & calefaciunt uterum, ac proin fœcunditatis authores; calefaciunt & purgant cerebrum frigidum & humidum; acuunt intellectum & memoriam. Caveant sibi ab illis gravidæ, item cutem porosam habentes. Tales & aliæ plures proprietates & quidem meritò his adscribuntur spiritibus. Sunt autem prædicta illa duo Balnea (in quorum uno spiritus illi viâ humidâ, aquæ calidæ permixti administrantur, balneationis gratiâ & sudationis toti corpori; in altero verò viâ siccâ, ubi vapores vi ignis globo substrati, polluntur in arcam sudatoriam, versus patientem, qui hâc ratione admi-

ni-

nistrati sæpè efficacius penetrant & operantur, quàm viâ illâ humidâ) media non spernenda recuperandæ sanitatis, utpotè incredibilia præstantia. Spiritibus autem illis non repertis in officinis nec etiam cuivis parabilibus secundum modum à me traditum in Parte Secundâ, scire te volo, quod sit & alia materia, destillatione non opus habens, mineralis nimirum; quæ cupreo instrumento imposita sponte, sine igne, dat spiritum ejusmodi sulphureum, penetrantem copiosè, egredientem in arcam sudatoriam, in omnibus & per omnia similem confecto è salibus, mineralibus atque metallis. Natura quoque præparavit nobis materiam aliam, ubivis reperibilem, quæ similiter instrumento imposita per se, & sponte absque igne dat spiritum, prorsus similem viribus illi, qui conficitur è tartaro crudo, vel ex sale armoniaco, fuligine, urinâ, &c. De quibus in Parte II. eadem nimirum præstans cum illo qui sumptibus & laboribus comparatur: Possunt igitur prædictæ illæ duæ materiæ eadem præstare, quæ requiruntur ad Balnea & sudandum, quæ prædicta illa duo genera spirituum, mineralium nimirum sulphureorum, & mercurialium animalium, &c. Quænam verò sint istæ duæ materiæ facilè ubivis reperibiles, scire desideras; sed non audeo, etsi vellem piorum causâ, ingratorum & indignorum gratiâ revelare; nefas enim perlas ante porcos projicere quas tamen annuente Deo, piis invenire licet lectione reliquorum meorum scriptorum.

Sequitur nunc vas ligneum loco aheni usurpandum in coctione cervisiæ, hydromellis, aceti, &c.

MUlta essent de hâc dicenda materiâ, etsi enim ubivis terrarum reperiantur, qui sciant è frumento conficere polentam, & ex hâc cervisiam & acetum; multa tamen hâc de re correctionis gratiâ dici possent: sed quia non est nostri instituti, talia nunc docere, dicemus saltem de usu cuprei illius globi, quem quilibet sibi in defectu ahenorum comparare potest, usurpandi unà cum vase quodam ligneo in cervisiæ coctione, quàm hâc ratione, uti supra dictum de aliis operationibus, æque benè conficere potest ac ahenorum beneficio. Cæterum hic quoque locorum docere possem nonnulla alia utilissima secreta; quomodò nimirum mel privandum odore suo & sapore ingrato beneficio præcipitationis; & quomodò postea eliciendus spiritus suavissimus, in omnibus & per omnia similimus vini spiritui: item quomodò vinum optimum & suavissimum, clarum & durabile, malvatico simile, conficiendum indè. Item Quomodò factâ purgatione crystallisandum, ita ut bonitate & sapore referat saccharũ candi. Item quomodò ejus dulcedo in tartarum convertenda, naturali similimum. Item Quomodò è fructibus arboreis, utpotè cerasis, pomis, pyris, &c. Vinum optimum & durabile, bonitâte, colore, sapore & viribus naturali similimum conficiendum. Item:

Quo-

Quomodò ex uvis immaturis; vel ob regionis, vel aëris inclementiam, maturitatem suam non adeptis, aciditate earum mutatâ in dulcedinem, vina optima Rhenensibus similia conficienda. Item: Quomodò ex acetosâ aliisque vegetabilibus tartarus conficiendus optimus, & quidemin magnâ copiâ, absque ingentibus sumptibus, Rhenense referens colore, sapore, aliisque virtutibus. Item Quomodo è frumento (in polentam non redacto, neque molâ attrito) conficiendus sit spiritus optimus; nec-non acetum optimum Rhenensi simile. Item Quomodo è frumento molâ contrito, sive farina spiritus destillandus optimus, absque ulla aliqua jactura farinæ, aptæ manentis panis confectioni. Talia & ejusmodi plura possent quidem hic docèri locorum, sed quia omnia simul & semel divulgare nocet, & libellus hac ratione præter voluntatem augeretur, si talia nunc docerentur, faciemus finem hujus libelli, (omissis illis egregiis naturæ possibilibus secretis) qui quantumvis parvus & exiguus, multis tamen sine dubio proderit: atque sic vale Lector.

FINIS.

D
B1

A. Fornax cum globo cupreo.
B. Globus cupreus.
C. Vas deſtillatorium.
D. Vas refrigeratorium cum ſerpente.
E. Excipulum ſive vas recipiens.
F. Sedilia, quibus vaſa inſident.



Labrum pro balneo humido calefaciendum per globum cupreum.



Balneum cum operculo pro vitris foraminato, locatum ſuper tripode.

Vas ligneum pro cerviſiæ confectione.



Arca lignea pro Bal. ſicco, ad ſudorem provocandum cum ſpiritibus volatilibus.

FORNACUM PHILOSOPHICARUM,

PARS QVARTA.

Continens

Descriptionem Fornacis Quartæ, cujus beneficio Mineralia & Metalla probantur & examinantur viâ quâdam compendiosiore, quàm hactenus modo illo vulgari; item Metallorum separationem vi fusionis; aliaque necessaria vi fusionis perpetranda.

Vtilissima Chymicis, Mineralium probatoribus & fossoribus.

Per

JOANNEM RUDOLPHUM GLAUBERUM.

AMSTERODAMI,
Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM,
cIↃ IↃC LI.



A. Cinerí-tium cum fuo oſtio.
B. Regiſtrum ignis regimini dedicatum.
C. Foramen cum ſuo oſtio dedicatum imponendis crucibulis & carbonibus.
D. Foramen cum oſtio cameræ primæ.
E. Fiſtula ferrea longa in ſummitate fornacis.

De Structura Fornacis.

T quidem hæc fornax pro lubitu major vel minor exſtrui poteſt, habitâ ratione quantitatis materiæ probandæ: etſi diameter ejus intrinſecè pedē unum continuerit, poteris, in illâ collocare crucibulum continens 2. vel 3. libras: majora crucibula majorem requirunt furnum. Oportet autem hanc fornacem quadrangularem erigere conſtructam è lapidibus & luto in igne permanentibus, altitudinis unius vel alterius pedis à fundo uſque ad cratem, quæ talis eſto quod à ſcoriis carbonibus mixtis purgari poſſit vel talis, qualis primæ fuit fornacis craticula conſtans è duobus baculis robuſtis ferreis tranſverſis furno incameratis, certis quibuſdam interſtitiis præditis pro 5. 6. 7. aliis baculis ferreis minoribus excipiendis mobilibus, ita aut obſtructi amoveri & à ſcoriis purgari queant; Inferior furni pars habeat propè fundum foramen (in anteriore parte) altitudinis & latitudinis ſpithamæ. unius minoris, cum ſuo oſtio ferreo vel cupreo arctiſſimè claudente: habeat quoque inferior furni pars & quidem propè cratem aliud foramen in altero quovis latere cum ſuo regiſtro ignis regiminis, ventique attrahendi gratiâ. Supra cratem & quidem à crate diſtans manum unam latam tranſverſam habeat aliud; carbonibus & crucibulis imponendis dedicatum, proportioni fornacis conſentaneum, &

quidem altitudo ejus esto ferè unius pedis & latitudo pedis dimidii, si diametrum habeat fornax intrinsecè pedis unius, quò commodius crucibula tractari, carbonesque injici possint cum batillo; Esto quoque hoc foramen præditum suo ostio fortissimo & in igne durabili lapideo, vel ferreo luto obducto, strictissimè claudente, ne inde ignis aërem (crucibulo in igne collocato) attrahere valeat, sed è foramine collaterali sub crate. A foramine crucibulis & carbonibus imponendis dedicato, altitudo murorum fornacis (supernè fornicatæ) esto unius spithamæ magnæ; esto quoque foramen rotundum in fornice, habens tertiam partem diametri intrinseci fornacis, flammæ & fumo dedicatum; cui si vis igne uti violentissimo, appone fistulam ferream fortem altitudinis 5.6.8. 12. pedum; quò enim altiorem appositeris fistulam, eò majorem administraveris ignem. Et si vis, poteris supra fornicem erigere 1.2.3. cameras cum suis ostiis, suis usibus destinatas propter flammam in iis collectam; diversis nimirum operationibus, ob diversos ignis gradus, quibus illæ præditæ: inferior enim adeò incalescit, ut possit in fluxu continere facilè fusibilia metalla, mineralia & salia; & inserviat cæmentationibus, calcinationibus, & reverberationibus; item crematiobus crucibulorum aliorumque fictilium, ex optimâ terrâ confectorum (de quâ re in parte quintâ) & vitrificationibus; nec-non quandoque probationibus, torrefactionibus, &c. Secunda camera caloris remissioris inservit torrefactionibus mineralium,

me-

metallorumque, utpotè plumbi, ſtanni, ferri & cupri calcinationibus neceſſariis; nec-non calcinationi tartari neceſſariæ, aliorumque vegetabilium ſalis fixi gratiâ deſiderati in laboribus Chymicis, prout etiam calcinationibus oſſium & cornuum pro cupellis, & cinerum lignorum elotorum. Tertia camera adhuc remiſſior inſervit exſiccationibus crucibulorum aliorumque vaſorum ex optimâ terrâ factorum, cremandorum poſtea in camerâ primâ. Poſſunt etiam alia beneficio harum camerarum perpetrari, ita ut non opus habeas illorum gratiâ, peculiarem accendere ignem. cæterum ſi vis ignem adminiſtrare fuſionis omnium violentiſſimum, applica canalem oblongum foramini inferiori vento trahendo dedicato, regiſtro prædito; quò enim longinquius aërem attrahit ignis, aliuſque flamma ferire cogitur, eò major caloris poteſtas in metallorum fuſione. Cujus rei gratiâ opus habes canali illo inferiori ut & fiſtulâ illa ſuperiore in cacumine furni. Et ſi habes cubiculum opportunum, in quo propè proprium caminũ alius adſcendit ab infra, poteris exſtruere fornacem in camino ſuperiore, & perforare murum cum applicatione regiſtri, ut ignis aërem attrahere cogatur ab infra per caminum collateralem, ubi non opus canali illo oblongo, ſed ſaltem aperire oportet januam vel feneſtram cubiculi inferioris, ut aër ſuum ingreſſum habeat in caminum; & ignis ventum attrahet è camino collaterali quam vehementiſſimè & quidem violentius quàm follibus adjutus, ita ut etiam for-

nax nisi esset è terrâ optimâ & fixa constructa, præ nimio calore & æstu corruerit; sæpè enim robustissima crucibula nimio calore liquescunt, quare registrum appositum ignis nimirum regiminis gratiâ.

Atque hujus fornacis beneficio, Divinâ favente gratiâ, selectissima mea secreta inveni. Antea enim & quidem à juventute tuli molestiam laborum illorum vulgarium, follibus & ventosis vulgaribus exantlatorũ, non sine jacturâ sanitatis, ob inevitabiles fumos malignos & venenatos; quo non solum periculo caret hæc fornax, (fumorum nimirum venenatorum & malignorum) sed etiam omnis caloris excessivi: Non enim alium, quem supernè, emittit fumum nostra fornax, adeò trahens, ut ostio aperto carbonum imponendorum gratiâ, peregrinum fumum ignis violentiâ per distantiam ulnæ dimidiæ attrahat & arripiat. Et quia ignis adeò vehementer attrahit, suũ in sese retinet calorem, ita ut nullum indè periculum combustionis; manum tamen tenentem forcipem munire oportet chirothecâ linteâ madidâ triplicatâ; alterâ verò manu tenere oportet tutelam ligneam perspectibilem, parcendorum oculorum gratiâ; alias omni caret periculo & vaporum sive fumorum, uti dictum, & omnis excessivi caloris; id quod magnum in arte beneficium. Ingenuè fateor quod si hanc paucis ab hinc annis non invenissem, totam cum laboribus suis tædiosissimis non sine damno deseruerim Alchymiam. Contriveram enim plurimos vitæ meæ annos in magnâ mise-

miseriâ laborum meorum, in superfluis curis & vigiliis ut & fœtore, ita ut ingrediens laboratorium cum nauseâ & fastidio adspicerem tot in tot & tam variis scatulis, pyxidibus aliisque vasculis materialia, ut & tot tam fracta quàm integra instrumenta terrea, vitrea, ferrea & cuprea, adeóque me infelicem judicarem, quod me mancipium fecerim hujus artis, cumprimis etiam propterea, quod è 100. vix unius victum & amictum acquireret quorum ego unus. Hisce de causis decreveram valedicere Chymiæ, & animum applicare Medicinæ & Chirurgiæ, in quibus semper fueram felix. Sed quid! dum cogito decreta perficere & ante fores projicere omnia & singula variorum generum vasa, invenio aliquot crucibula fracta, & in iis multa granula auri & argenti, olim in illis fusi; quæ unà cum aliis collectis cogitabam liquefacere; sed cum talia cumprimis difficulter fusibilia absque follium (quos vendideram) ope & auxilio liquefacere nequirem, rem altius mecum perpendere cœpi, atque sic hanc inveni fornacem, inventam è vestigio exstruxi & probavi, quam in examine adeò probam reperi, ut spem iterum capesserem meorum laborum nec amplius desperarem. Videns igitur viam facilem & compendiosam metalla fundendi, incepi laborare & quærere de novo nimirum, & indies inveni magis ac magis in naturâ, maxima nimirum naturæ arcana & secreta jucundissima; quarè indesinenter quæsivi, nec cessavi, donec Deus oculos aperuerit mihi videre, quod jam diu frustra quæsiveram. Vbi etiam hoc

obſervavi, quod etſi antea majorem habuiſſem naturæ cognitionem, vix tamen ſine hâc fornace aliquid ſingulare præſtare potuerim. Atque ſic, volente Deo, adminiculo hujus fornacis, indies plùs atque plus inveni; pro quo beneficio Deo immortali immortales ago gratias, proponens hanc novam inventionem in gratiam proximi candidè & fideliter communicare. Iudicato igitur Spagyre, utrum hæc vel illa, quæ fit follium beneficio & vulgarium ventoſorum, ſit melior? Liquefacturus enim metallum durum in furno ventoſo, quamdiu ignem adminiſtras illi, antequam fluat, & quidem cum jacturâ temporis & carbonum? Liquefacturus autem follium beneficio opus habes ſocio ſufflante, cum periculo crucibuli à vento imminente, carbonibus deficientibus, & quidem vel frangendi, vel cadendi; vel etiam incidentium impuritatum in caſu operculi, quamvis nihil detrimenti ex impuritatibus incidentibus ſi materia ſit metallica, ſed non item ſi ſal vel minerale, ſine quibus illa in igne perfici nequit, carbonum impuritates non tolerantia, ſed illarum causâ ebullientia. Noſtra autem fornax vacat hoc periculo, quia ventus ab infra venit, crucibulaque ſemper in conſpectum veniunt, non ita carbonibus obruta, quemadmodum viâ illâ vulgari, &c. Hâc enim ratione materia fundenda funditur, etſi non carbonibus obruta crucibula, nec cooperta; etſi non habeas ſocium ſufflantem, quia pro lubitu quemvis gradum ignis adminiſtrare licet directione regiſtri. Commendatam igitur

tur tibi habeas hanc fornacem, periculum in igne facturus, quàm rectè exstruito registro suo dotato, ignis regiminis gratiâ, ventique trahendi, & sine dubio labor tuus non erit in cassum.

Quomodò mineralia examinanda.

MOdus examinationis mineralium jam dudum innotuit, quarè non opus multa de hâc re scribere, quia diversi authores, utpotè Georgius Agricola, Lazarus Ercker, aliique sufficienter scripserunt, ad quorum scripta te relegatum volo; cumprimis autem ad scriptum celeberrimum celeberrimi Lazari Erckeri laudati *de Probatione Mineralium* tam malignorum (obstinatorum) quàm benignorum. Sed ut ut sit, experientia tamen testatur, nec ipsum nec ipsius antecessores perfectam omnium rerum cognitionem habuisse; neu cognita revelare voluisse; optima enim quæque adhuc latent, & fortè aliquantisper adhuc latebunt ob mundi ingratitudinem; quamvis celeberrimi Philosophi unanimiter affirment, Metalla imperfecta, utpotè plumbum, stannum, ferrum, cuprum & Mercurium, intrinsecè esse aurum & argentum, quamvis verisimile non videatur à plerisque incuriosis contentis parentum suorum placitis; arbitrantibus mineralia sterilia, nihil in cupella relinquentia, examinata per plumbum; cum tamen cupellarum Proba, quantumvis celebrata, non sit verum illud Examen Metallorum philosophicum, sed non nisi vulgi, adstipulantibus philosophis, utpotè Isaaco Hollando, aliisque cumpri-

mis verò Paracelso in locis plurimis de metallis tractantibus, præcipuè autem in libello vexationum Alchymistarum continente veram metallorum proprietatum & perfectionum delineationem. Qui etsi non ab omni intelligatur, nihil refert; non enim omnibus communicanda ars facilima, secundū Paracelsum dicentem. Imperfecta metalla privata suis impuritatibus, copiam possidere auri & argenti: quomodo verò purganda & separanda metalla non docet; sed solummodò commendat *plumbum* authorem; quod Alchymistarum peperit opinionem de plumbo vulgari, ignorantium aquam ejus (plumbi) purgantem non solum cætera metalla sed ipsum etiam plumbum; opinantium stanni, cupri & ferri examen factum in cupellâ cum Saturno, esse verum & genuinum illud lavacrum; non animadvertentium plumbum cum ferro & stanno non habere affinitatem in igne fortiori, sed nigra & immunda rejicere absque ullâ perfectione. Hoc autem potest plumbum, si nimirum mixtum cum minerali, aurum vel argentum perfectum possidente, illique incorporatum in igne funditur, quod unà cum illorum impuritatibus cupellam intret, relicto auro bono vel argento in cupellâ; quæ mineralium fossorum & tractatorum proba est; id quod accidit hâc de causâ; quod nimirum aurum & argentum naturaliter sint purgata à sulphure suo superfluo, ita ut in posterum amplius non radicaliter cum imperfectis misceri nequeant, utpotè inquinatis copioso sulphure crudo impuro, quantumvis

unà

unà in igne fusa misceantur; mixturâ tamen illâ retentâ in igne, agit sulphur illud combustibile metallorum communium in proprium suum argentum vivum, illudque convertit in scoriam, quæ à metallis separata intrat in materiam porosam cupellarum, id quod non accidit in testis in igne fixis, quas scoria illa à metallis separata intrare nequit confectas è terrâ in igne durabili, permanens in illis scoria, quæ alias cupellas è cineribus ossium vel lignorum confectas intrare solet. Quarè paulatim abit in cupellam, quantum ignis redegit in lithargyrium sive scoriam, donec omne auro & argento mixtum plumbum, unà cum cæteris metallis imperfectis, sibi mixtis abiverit in scoriam, seseque in cupellam abscondiderit, relicto auro puro vel argento in cupella. Plumbum enim in vasculo plano sentiens calorem supernè, infernè verò frigus, convertitur in lithargyrium; quod si fit in vasculo terreo fixo, permanet lithargyrium, abitque tandem in vitrum flavuum transparens si non permixtum aliis metallis utpotè ferro, cupro, stanno; quæ admixta dant vitro colorem viridem, rubrum, nigrum vel album habitâ ratione quantitatis metallicæ: in cupellâ verò porosâ factâ è cineribus, lithargyrium sive scoria inveniens pôros, intrat cupellam paulatim & successivè, donec omne intraverit plumbum, quod in lithargyrium non conversum, facere non potuisset. Est igitur vulgare illud examen, non nisi transmutatio plumbi cum additis sibi imperfectis in scoriam, quæ cupellam intrans relinquit in cupella aurum

aurum purum putum & argentum, inconvertibilia in scorias ob puritatem suam.

Sed fortè tibi videbitur hic discursus inutilis & superfluus, quia examen illud metallicum ubivis terrarum manifestum; cui, non esse superfluum, respondeo, quia plurimi examinatores errant, arbitrantes plumbum corporale intrare in cupellam cum additis sibi imperfectis, in lithargyrium non conversum, quia corporale iterum inde eliquatur; quorũ gratiâ propriè hic discursus non instituitur, utpotè ex usu solummodò & consuetudine absque discretione laborantium; sed illorum potius gratiâ qui indesinenter quærunt & naturalia secreta rimantur, quærentium nimirum gratiâ Examen illud Philosophicum, ut sciant differentiam utriusque laboris. Quodnam verò sit examen illud philosophicum, pauciſſimisque cognitum, cujus beneficio plus impetratur auri & argenti, quàm viâ illâ vulgari, id non est hujus loci revelare; non enim omnes & singulos decet ejus habere cognitionem; quia sufficit demonstrasse possibilitatem. Hoc tamen scito, plumbum si noveris stannum, cuprum & ferrum præparare; & apta reddere unioni radicali, aquæ nimirum illius dictæ Saturni, ita ut ignis vim unà ferre & tolerare possint, separaturum & attracturum aurum & argentum è dictis imperfectis metallis, & cum lucro in cupellâ relicturum; alias enim parum vel nihil elicies inde. Etsi enim illa, viâ illâ vulgari, cum plumbo probare intendis, & in scorias redigis, nihil tamen efficis, quià stannum & ferrum, auro & argento

argento abundantia, non permanent cum plumbo in igne fortiori, sed tolluntur in altum ad instar cutis sive scoriæ, propter sulphur suum superfluum; ad instar etiam pinguedinis innatantis aquæ, absque uliâ aliquâ separatione, nisi fuerit stannum vel ferrum, quod aurum vel argentum acquisiverit è minerâ, in primâ sui fusione.

Atque hâc ratione accidit quandóque ut aliquis faciat probam bonam, sed ex ignorantia, rationem reddere nesciens sui laboris, quarè iterum eandem præstare nequit. Si enim Chymici & examinatores rem suam altius perpenderent, causam inquirentes, quarè plumbum examinatum, argento suo privatum, & è capellâ eliquatum, adhuc tamen in sese contineat argentum, sine dubio bonũ fundamentum tacturi essent; sine quâ cognitione, omnis labor frustraneus in metallis imperfectis. Atque hæc dicta sufficiant de Examine illo philosophico, paucis cognito: De vulgari illo nihil dicere opus, ceu ubivis locorum manifesto, de quo Lazarus Ercker planè & plenè.

Est & alia mineralium Proba, quæ fit absque plumbo, cum vitro Veneto, vel alio bono fusibili: ubi gr. 1. vel 2. mineralis pulverisati, miscentur cum unciâ dimidiâ vitri pulverisati, mixta in crucibulo cooperta funduntur & effunduntur; quâ ratione vitrum attrahet solvetque illud minerale, indéque colorabitur, quod indicabit metallum in minerâ contentum, ulterioremque Probam per Saturnum instituendam postea, facto periculo primæ probæ cognitionis gratiâ. Estque hæc aptissima

ptissima proba mineralium durissimorũ & invincibilium ferè, utpote sunt lapis hæmatites, smiris, granata, talcum nigrum & rubrum ac abundantia auro & argento sæpè numero; impermiscibilia verò plumbo, quarè non æstimantur, sæpéque abjiciuntur, quantumvis auro & argento abundent, propterea quod probari nequeant. Quibus probatis prædictâ ratione, & consequenter patefactis in iis latentibus thesauris; poteris postea confidentius illa tractare & ad meliorem frugem redigere. Sunt autem colores sequentes tenorem illorum indicantes: Vitrum maris viriditatem referens, significat purum putum cuprum: graminis verò instar viride significat cuprum & ferrum mixta: vitrum ferruginei coloris significat ferrum: vitrum subflavum significat stannum: Vitrum flavi coloris aurei, vel rubini instar rubri significat argentum: Vitrum cœruleum sive sapphirinum significat aurum purum: color smaragdinus significat aurum argento mixtum: color amethistinus significat aurum, argentum, cuprum & ferrum mixta. Præter hos, alios quandoque nanciscitur vitrum colores, pro diversitate ponderis diversorum metallorum mixtorum; quos usus docebit cum practicâ ulteriore cum Saturno instituenda.

Est & alia præcursoria proba mineralium atque metallorum, quæ fit cum sale petræ; ubi stannum cumprimis, ferrum & cuprum largiter suos depromunt in se reconditos thesauros; quos per plumbum examinata elargiri nolunt; id quod non indicium

dicium inopiæ, sed potius non veræ probæ per Saturnum, qui metallorum non verus & genuinus judex sive probator; aliàs enim (si esset) tam ex majore quàm ex minore quantitate metallicâ deprompturus esset illorum thesaurum. Sequitur proba per nitrum: Fac mixturam ex 1. parte sulphuris; 2. partibus tartari puri, & 4. partibus nitri purificati. ℞. Postea hujus mixturæ unc. 1. mineralis sive metalli contriti drag. 1. Misce, mixtisque & crucibulo impositis adhibe ferrum candens vel carbonem vivum; & accendetur illa mixtura, dabitque ignem vehementissimum, minerale illud in scoriam redigentem: Et quicquid non redigitur in scoriam, denuò misceri oportet cum prædictâ mixturâ, igneque admoto comburi, donec totum illud consumatur ab igne. Postea fac illas scorias, vel salem continentem in sese metallum devoratum, tamdiu fluere in crucibulo forti, donec vitrum indè evadat; quo effuso reperitur granulum auri vel argenti, profectum à minerali vel metallo probato. Eritque hic tibi labor (ritè peractus) jucundum spectaculum, sed absque fructu, quia in magnâ quantitate perpetrari nequit; & propter pretium nitri. Quarè non nisi demonstrationis gratiâ hæc apposita proba, ut appareat quomodo ferè omne stannum, ferrum & cuprum, in sese contineant aurum & argentum, quamvis non depromant in cupellâ.

Noli autem opinari hanc transmutationem esse, quæ solummodò separatio est; quarè tecum perpendere habes, quomodò aliter illa instituenda.

da. Cave autem ne hanc mixturam infernè accendas carbonibus impositam, sed supernè propter periculum fulminationis : Probantur etiam metalla facile fusibilia per sequentem mixturam. ℞. Part. 1. Scobis ligni tiliæ aridi, part. 2. sulph. part. 8. vel 9. Nitri puri, fac stratum super stratum in crucibulo, & accipe ad part. 11. vel 12. hujus mixturæ, part. 1. mineralis subtilissimè triti; & accende; dabitque minera fusa granum ; quod erit purum putum aurum vel argentum , si minera non fuerit nimis impura , consumptâ ab igne illo vehementissimo, impuritate. Etsi hæc Proba non commodi alicujus, non tamen absque ratione apposita, sed instructionis gratiâ.

De Fusione minerarum & metallorum.

HOrum fusio in majore scil. quantitate non est hujus loci, quia per hanc confici nequit fornacem : tradita verò ab aliis satis apertè in suis scriptis de Mineralibus.

De separatione metallorum.

HÆc est ars antiquissima & utilissima , quâ unum ab altero separetur metallum : Fit autem plerumque quatuor modis , nimirum per aq. fort. per cementa , per fluxum cum sulphure & plumbo, & denique per antimonium : quos modos ingeniosissimus ille Lazarus Ercker , clarè & distinctè descripsit; cujus descripto irreprehensibilis, cui

cui etsi nonnulla adjici possent necessaria; quæ tamen cum sint paucula, superfluum esse duxi instructionem & informationem clarissimam ex antiquo libro repetere in hoc opusculo novo. Consistit autem illa separatio in Metallis præcipuis tribus, auro, argento & cupro: Cæterorum metallorum nullam fecit mentionem. Duo autem prædictorum quatuor modorum in usu sunt, tanquam facilimi, nimirum qui fiunt per aq. fortem & cementa; neglectis duobus reliquis utplurimum, qui fiunt fusionis beneficio per sulphur & plumbum; & per antimonium: id quod admirabile, quia metalla horum duorum modorum beneficio facilius separantur, quàm per aq. fert. & cementa; suspectorum spolii: cum tamen non sulphur & antimonium sed operator potius sit culpandus imperitus, ignorans sulphuris & antimonii naturam, eaque regere nesciens, & consequenter respuens viam separationis compendiosiorem. Fateri autem cogor quod absque hac fornace nolim ipse, ipsorum beneficio separare, quia viâ illâ vulgari furnorum scil. ventosarum & follium, &c. cum periculo sanitatis attrahitur fœtor ille naribus sulphuris & antimonii, noxius hepati & pulmonibus, cerebro & cordi. Cujus rei gratiâ non miror, quod hactenus fuerint rejecti prædicti illi duo modi majorem etiam diligentiam requirentes primis illis duobus per aq. fort. & cementa. Publicata verò hac fornace, in quâ absque ullo periculo fundere licet, non dubitabo de duorum ultimorum modorum prædominio in posterum, utpote

primis duobus utiliorum. Antimonium enim qui noverit, non solum facilè potest exiguo sumptu aurum separare ab additione absque ullâ sui jactura, celerriméque purgare, sed etiam facilius separare argentum deauratum, quàm per sulphur, plumbum, &c. in magna copia, absque ulla jactura auri & argenti.

Atque hæc facilima separationis via auri & argenti, quæ fit fusionis beneficio, nullos alios præter carbones requirens sumptus; non enim reperitur antimonium quod non æquivalens sui pretii aurum possideat, in lucrum cedens separatoris: Hoc autem scire te velim, quomodò separetur iterum ab auro & argento antimonium, non nimirum via illa vulgari quæ fit follium beneficio, sed peculiari alia separatoria, qua antimonium conservatur, ita ut iterum ad ejusmodi similesque usus applicari possit: id quod fortè docebitur alibi. Præter prædictos quatuor datur & alius separationis modus omnium excellentissimus per spiritum salis introsum, nimirum sequenti modo: ℞. Spiritum salis (in copia parabilem per Furnum nostrum Primum & Secundum) exasperatum nitro in ipso dissoluto; cui impone aurum mixtum argento & cupro, granulatum; colloca in cucurbita in arena calida ad solvendum, & aurum unà cum cupro solvetur relicto argento in fundo cucurbitæ: Solutionem decanta, cui adde rem aurum præcipitantem, & fac ut unà coquantur, & separabitur præcipitabiturque aurum purum putum, farinæ instar subtilissimum, scriptoribus etiam

iam & pictoribus ſerviens; relicto cupro in aqua, quod ex aqua præcipitare poteris ſi velis; ſed præſtat abſtrahere aquam, iterum utilem ad ſimiles labores. Aurum præcipitatum ſi lavatur & ſiccatur, dat fuſione (quâ nihil ipſi decedit) aurum optimum & puriſſimum. Purius enim aurum neque per aq. fort. per Quartam, neque per antimonium fieri poteſt. Eſt igitur hic modus omnium præſtantiſſimus, non ſolum propter exiguos ſumptus, ſed etiam propter facilitatem, aurum dans præ cæteris excellentiſſimum.

Deinde accipe Lunæ calcem relictam in cucurbita, edulcora ipſam & ſicca; quo facto fac fluere parum ſalis tartari in crucibulo, cui per intervalla, ſingulis vicibus parum adjice calcis Lunæ cum cochleari, & ſtatim reducetur in corpus abſque ullâ aliquâ jacturâ. Poteris etiam illam calcem adhuc humidam recenter è cucurbitâ tractam, coquere cum lixivio ſalis tartari, uſque ad evaporationem omnis humiditatis; & remanentiam ſiccam fundere, ubi etiam nihil perditur. Abſque hoc medio argenti calx (tracta ex aq. Regiâ) per ſe fuſilis non eſt, abiens in materiam fragilem, referentem cornu pallidum ſeu medii coloris inter album & flavum quarè à Chymicis *cornu Lunæ* dicitur; in quo reducendo multa tentârunt, cujus reductionem modo docuimus. In defectu ſpiritus ſalis accipe aq. reg. communem factam ex aq. forti & ſale armoniacō, quæ eadem præſtat ſed majoribus cū ſumptibus. Hæc etiam aliis præferenda viis, quia facit ad cujuſvis auri ſeparationem cujuſcunq;

gradus, si modò pondere excedat Lunam; id quod necessario requiritur in solutione per aq. reg. instituendam.

Sed ut videas prærogativam hujus separationis, attende parum. Separaturus per Quartam, & per aq. for. oportet ut prius Lunæ purgatæ part. 2. vel 3. ad unam auri impuri adjicias, ubi primò sumptus & labor requiruntur purificandi Lunam, cum auro fundendam & granulandam: Deinde magna quantitas aq. fort. Lunæ solvendæ gratiâ copiosæ præcipitandæ, edulcorandæ, siccandæ & fundendæ, &c. Perpende quæso differentiam laborum & sumptuum separationis meæ & vulgaris! Separaturus autem cementorum beneficio, opus habet pyxidum, igniſque continui unius gradus diuturni, qui labor est tædiosus temporis gratiâ, & sumptuosus carbonum causâ, quem etiam bis terve repetere oportet laborem, habita ratione impuritatis admixtæ. Nunc denuò perpende differentiam laborum & sumptuum utriusque separationis. Separaturus autem sulphuris & antimonii beneficio, quæ quidem optima via, carens magnis sumptibus, si aurum sciveris separare ab antimonio absque sufflatione, sed tædiosa ob labores triplo majores, quàm in nostrâ, tædiosos nimirũ, propter difficilem separationem auri & argenti perfectam à scoriis antimonialibus. Præmeditare igitur & considera, quam separationis viam eligere velis auri cito purificandi gratiâ; certè sine dubio meam electurus es.

Hanc etiam prærogativam habet hic separandi modus,

modus, quod non opus habeat argenti purificatione quæ fit ustionis beneficio, sed saltem ejus granulatione & solutione sive separatione aquæ fort. beneficio: ubi etsi cuprum argento mixtum faciat prædam, beneficio tamen hujus salis facilè præcipitatur. Hac etiam ratione facile argentum deauratum separatur, soluto auro per spiritum nitrosum, & præcipitato materiâ prædictâ præcipitante. Quod verò attinet separationem argenti deaurati, fusionis beneficio faciendam, non datur facilior, quàm quæ fit cum sulphure & antimonio, ubi cognitis manualibus necessariis magna quantitas brevissimo temporis spatio separatur. Ignorans autem tractare antimonium (cui tamen negotio apprimè convenit hæc nostra fornax) & sulphur, relinque ea & utere viâ usitatissima, ne mihi postea culpam imputes erroris tui, scribenti tui commodi gratiâ.

De separatione metallorum viliorum.

NOndum innotuit separationis modus stanni à plumbo, & cupri à ferro, absque nimirum jactura utriusque metalli, vel potius cum utriusque metalli conservatione; quod mihi impossibile videtur ob utriusque metalli combustibilitatem; & superfluum ob vilitatem, parcendorum sumptuum causa.

Quomodò verò aurum & argentum separetur à stanno, quibus plerumque hoc abundat, sine damno aliquo, hoc jam diu, quæsitum sed frustra.

Sed rem altius perpendenti apparebit possibilitas. Et quamvis nunquam tentaverim in majori quantitate, contentus præcipitatione facta in quantitate minori; facile tamen crediderim, hoc negotium in maxima etiam quantitate successurum & quidem maximo cum fructu; beneficio nimirum furni alicujus peculiaris, ubi auro & argento præcipitato cum plumbo & *Halb Kopf* ignis calore intentissimo, illud (stannum) abstrahitur usque ad remanentiam partis decimæ, quam etiam remanentiam peculiariter capere & reservare oportet. Quo facto oportet novum præcipitare stannum in prædicta fornace, & usque ad remanentiam reguli abstrahere qui denuò primo reservato adjiciendus abstractus & reservandus. Qui labor toties reiterandus, donec habeas sufficientem quantitatem regulorum replentem fornacem; quàm denuò præcipitare oportet, hac enim ratione aurum & argentum in angustiam rediguntur, ita ut facilè postea à stanno superfluo separentur. Hac ratione opinor separationem futuram fructiferam, ubi parum decedit ponderis, quod convertitur in cinerem stanni, & fumum. Nec nocet additio plumbi & *Halb Kopf*, quia alias admisceri solet stanno plumbum, & *Halb Kopf* separatur denuò. Quarè consultum separare cantharos & patinas veteres, propter plumbi admixtionem, aurumque ex illis & argentum præcipitare solius *Halb Kopf* adjectione. Vbi residuum, ab *Halb Kopf* nullo modo alteratum, vel vendere vel elaborare iterum licet: quod meo judicio non exiguum commodum.

Quid

Quid statuendum de metallorum perfectione.

NOdus hic est difficulter solubilis, ob tot & diversas opiniones tot seculorum, ita ut maxima pars hominum posthabitis tot Philosophorum veracium testimoniis, veritatem credere nolint, cumprimis propterea, quod è 100. vix unus reperiatur qui non ad pauperiem hac redigatur arte, quare incredulus non culpandus, incredulitatis suæ causa, nullis veritatis vestigiis apparentibus. Testatur tamen experientia possibilitatem per artem & naturam, etsi rarò appareant exempla. Quæso quanta absurditate quis cœlum & infernum nunquam visa negaturus esset? At ais, hoc nobis esse credendum utpote revelatum a Deo per Prophetas & Apostolos; illud verò non item, quia Traditio Philosophica ethnicorum. R. Etsi major pars Philosophorum fuerint ethnici (sunt enim & viri multi Christiani hac de re scribentes) non tamen illorum scripta contemnenda, utpote non tractantia de salute nostra: Quibus si Christus fuisset concionatus, utique credidissent in ipsum. apparet enim ex illorum libris fuisse viros pios & honestos, qui etsi non Christi professores, voluntatem tamen ejus reipsa præstitêre, *quem nos ejs non verbis, re tamen ipsa abnegamus.* Qui si fuissent impii, quare tot labores exantlâssent in tot scribendis libris in gratiam & commodum proximi de Virtute & Pietate? quare non potius in otio & voluptatibus contrivissent vitæ suæ annos, uti

moris est nunc apud illos, qui præpositi nobis erudiendi gratiâ? quod non apparet ex illorum scriptis relictis. Quare posteros nugis & mendaciis deciperent, nihil lucri indè exspectantes? Non enim inopes, sed plerique reges fuere & principes locupletissimi. Præter hos multi fuêre Christiani veritatem artis sanctè confirmantes, viri nimirum magni nominis, utpote Episcopi, Prælati, &c. quales fuerunt Thomas de Aquino, Albertus Magnus, Lullius, Arnoldus, Rogerius Bacho, Basilius, &c. Quarè viri piissimi posteros scriptis suis deciperent & in errores seducerent? Etsi non extarent scripta virorum clarissimorum, extarent tamen testimonia viva artis veritatem confirmantia. Facile etiam crediderim, etiamnum reperire artis cognitionem habentes & clam possidentes. Quis enim adeò demens, qui mundo se revelare velit: reportaturus nonnisi *invidiam* pro mercede. Quarè nemo dubitet de artis secretissimę veritate. At ais: quarè tantopere defendis Artem? unquamne aliquid in ea vidisti vel præstitisti? Cui: Etsi nunquam fecerim projectiones perficiendorum metallorum gratiâ, nec transmutationes viderim; certus tamen sum veritatis, qui sæpè è metallis cum metallis, nullum aurum & argentum in cupella relinquentibus, ignis auxilio eduxi aurum & argentum: Quod non ita intelligi velim quod unum alterum perficiat imperfectum metallum, sive in aurum & argentum transmutet, impurum nimirum & fœculentum extrinsece, auri respectu & argenti; quomodo enim ejusmodi metallum

aliud

aliud imperfectum perficere poterit? quod sic intellige.

Quemadmodum enim in regno vegetabili aqua aquam sive succum mundificat coctione, sicuti fieri solet in purificatione mellis & sacchari, vel alterius succi vegetabilis, cùm aqua communi & albumine ovorum: ita etiam de succis mineralibus sive metallis intelligendum, quorum si sciremus aquam & albumen, utique possemus impura, in quibus aurum & argentum ceu siliquis nigris delitescunt, purificare & de potentia in actum educere aurum & argentum illorum. Quæ non metallorum transmutatio, sed auri & argenti è stercore eductio. Interrogas: Quomodo ejusmodi auri & argenti eductio fiat è cupro, ferro, stanno & plumbo, lotionis nimirum beneficio, è quibus nullum conflatur optima illa proba (putatitia) cupellarum? Cui supra respondimus, cupellarum probam non esse sufficientem omnium & singulorum metallorum, quare non opus plura addere, sed relegatum volo lectorem cupidum ad librum Paracelsi de vexatione Alchimistarum, ubi inveniet aliam Metallorum lotionem & purificationem, quæ nimirum olim non innotuit fossoribus mineraliumque tractatoribus. Et hoc tibi habeto exemplum: Mineralium fossor inveniens mineram cupri, utitur arte à veteribus tradita pro virili, qua illam purificat & in metallum redigit: Ubi illam primò confringit in frustula & torret, ablationis causa sulphuris superflui, deindè vi liquefactionis redigit in lapidem (sic dictum) quem po-

ſtea denuò tradit Vulcano, ipſumque privat plumbi additione, auro ſuo & argento; quo facto nigrefacit ipſum & rubefacit tandem & in cuprum redigit, qui ultimus illius labor, quo cuprum malleabile & venale redditur. Quibus peractis ſuperveniens Chymiſta aliam tentat ſeparationem, cujus beneficio educitur aurum & argentum, à pauciſſimis hactenus exercitatum, cujus hic facta mentio. Ait etiã idem *Paracelſus* in eodem loco, dediſſe Deum quibuſdam viam faciliorem & propinquiorem aurum ſeparandi & argenti è metallis vilioribus, & quidem ſine minerarum culturâ, peculiarem ſcil. & artificioſam; quam quidem non docet verbis apertis, ſed ſaltem ait eſſe ſufficienter traditam in Regulis illius libri ſeptem, ubi agit de *naturâ & proprietate Metallorum*; è quibus tu quoque illam petas.

Atque hanc metallorum viliorum purificationem omnium facilimam eſſe puto, quam ſæpè in minori quantitate probavi. Et non dubito quin Deus aliis etiam artificibus per naturam alias monſtraverit purificationum, quibus imperfecta perficiuntur vias: ex gr. Si quis terræ aliquem fructum arte deſtillatoria purgaret, ita ut depoſitis fecibus & impuritatibus prodiret in lucem corpore novo pellucido clarificato præditus: e. gr. ſi quis per retortam deſtillaret ſuccinum nigrum ac impurum, fieret ſeparatio per ignem, aquæ, olei empyreuma ſapientis, & ſalis volatilis, relicto in fundo retortæ capite mortuo: Atque hac ratione, breviſſimo temporis ſpatio, abſque magnis laboribus facta

ſuc-

succini magna alteratio & emendatio, quamvis oleum sit nigrum, impurum & fœtidum: quod si denuò destillatur per retortam cum aqua aliqua mundificante, utpote salis spiritu (per retortam nimirum recentem, Vitream mundam) fiet nova separatio per salis illum spiritum, egredieturque oleum longè clarius; relictis fecibus cum fœtore in fundo retortę, quod postea bis terve iterum cum salis spiritu recente rectificare licet donec aquæ limipiditatem acquisiverit, suavitatemque odoris ambram referentem & muscum.

Atque hæc transmutatio fecit è re durâ mollem dissimilem forma priori, quæ ut ut mollis & liquida, oleaginosa, coagulari tamen iterum potest, ita ut pristino nomine veniat denuò; sequenti nimirum modo. ℞. Oleum prædictum supreme purificatum, adde ipsi recentem salis spiritum, colloca in digestione, & attrahet oleum è salis spiritu, salis sufficientem copiam ad sui recoagulationem, iterumque succini duritiem acquirit, coloris eximii pellucidi & admirabilis, cujus uncia dimidia pretiosior aliquot libris succini nigri; cujus vix 8. vel 10. pars in purificatione residua permansit, abjectis superfluitatibus impuris.

Hac ratione opinor instituendam nigrorum metallorum purificationem & emendationem, si modò innotesceret purificationis illorum per destillationem & sublimationem, & recoagulationis modus. Sed ais; Metalla non posse ad instar vegetabilium vi destillationis purificari: Cui primam nostram fornacem, non rusticis traditam,

sed

sed Chymicis metalla purificantibus, objicio. Et sicuti duobus exemplis metallorum perfectio probata, ita etiam beneficio fermentationis possibilitas illorum perfectionis demonstratur. Quemadmodum enim fermentum recens succos vegetabiles fermentare potest, qui facta fermentatione perficiuntur & emendantur abjectis fecibus, ut in vino videre est, cervisia & aliis, quorum constantia & perfectio non nisi à fermentatione proficiscitur, purificante succos vegetabiles, sine qua adversus elementa consistere non potuissent aliàs, corruptioni obnoxia brevissimo temporis spatio, quæ fermentata durant aliquot annos: Ita etiam si sciremus Metallorum fermentationes appropriatas, utique eadem purgare & perficere sine dubio valeremus, ita ut in posterum rubigini non amplius obnoxia, adversus ignem & aquam prævalere possint, nutrita & educata in igne & aqua. Ita etiam olim mundus peribat aqua, interiturus aliquando igne; nostraque corpora putrescere oportet, igneque clarificari, antequam in Dei conspectum veniamus. Atque hæc de Metallorum fermentatione, qua illa purificantur & emendantur. . Metalla etiam purificantur & emendantur ad instar lactis, calore expositi; cujus pars melior cremor (Butyri materia) superne separatur à sero & caseo: & quò locus calidior, eo magis acceleratur separatio: Ita etiam sese res habet separationis metallicæ: Ubi metalla in loco calido appropriato collocata per se absque additione rei alicujus peregrinæ (metalla nimirum antea redacta in substantiam lacteam si-

ve

ve KVR) separantur temporis progressu, facta nimirum separatione partium nobiliorum ab ignobilioribus, patefaciente Thesaurum ingentem. Et sicuti tempore hyemali difficulter separatur lac calore deficiente; ita etiam metalla, si non juvantur igne, uti videre est in ferro, quod temporis diuturnitate sub terra convertitur in aurum sine artis auxilio. Sæpe enim ferri reperitur minera referta venulis aureis adspectu jucundissimis, separatis à sulphure crasso, terreo & immaturo, vi caloris centralis. Et plerunque in ejusmodi mineris nullum reperitur vitriolum, separatum suo contrario & melioratum. Requiritur autem longum tempus ad separationem illam subterraneam, quam ars brevissimo temporis spatio præstare potest; sicuti cum lacte fieri solet, quando in hyeme statim ex ipso butyrum confecturi sumus, ubi ipsum calori exponimus, cremoris subito separandi gratiâ; quam separationem adjuvat præcipitatio facta cum acidis mortificantibus sal urinosum lactis; quâ ratione principia separantur singula seorsim, butyrum nimirum, caseus & serum. Ita spatio unius quadrantis fieri potest separatio coctionis beneficio, quæ alias absque acidis fieri non potuisset aliquot septimanarum spatio. Si igitur hæc possibilia in vegetabilibus & animalibus, quid ni etiam in mineralibus? Quidni aurum & argentum reperiatur in plumbo, ferro, cupro & stanno, etsi non appareat? Quare metallis vilioribus omnis denegatur bonitas, concessa vegetabilibus & animalibus illis durabilitate non æqualibus? Unde

natu-

naturalis plumbi, ſtanni, ferri & cupri probari poteſt perfectio? Natura ſemper quærit perfectionem fructuum ſuorum; atqui metalla viliora ſunt imperfecta, quare igitur non arte juvatur natura in perficiendis illis? Sed obſervatu dignum vinculum partium metallicarum, quo rupto ſeparantur partes. Sal urinoſum (ut ita loquar) vinculum eſt partium lac conſtituentium, utpote butyri, ſeri & caſei, quod ſuo contrario ACIDO mortificandum ſeparationis gratiâ. In ferro verò ligantur partes ſale (ceu vinculo) vitriolari, quod mortificandum ſuo contrario ſale urinoſo vel nitroſo ſeparationis gratiâ. Qui igitur noverit ferri auferre ſalem ſuperfluum, viâ ſive humidâ ſive ſiccâ, ſine dubio habebit ferrum rubigini non obnoxium facile. Incredibilem etiam ignis per ſe habet potentiam in metallorum tranſmutatione. Nonne vi ignis è ferro fit chalybs, & è chalybe ferrum diverſo tamen proceſſu. Quotidiana nos quoque docet experientia, variarum tranſmutationum & emendationum genera per ignem; quidni idem in metallis, per chymicum peritum & metallorum cognitionem habentem, poſſibile? Quis in ovo avem viventem, & in ſemine herbam foliis, floribus & odore præditam, deliteſcere credidiſſet? Quidni igitur & metalla embryonata, perfectionem nondum adepta, perficiantur per artem, ignis adjutorio? Nonne pyrum vel malum immaturum acerbum, calore ſolis maturatur? quod animadvertentes nonnulli curioſiores & diligentiores naturam imitati in ſuis operationibus; & repererunt

metalla

metalla nonnulla, ignis violentiâ nondum destructa calore suavi ditiora reddita, ita ut fusa (factâ digestione) duplum auri & argenti dederint pondus. Quin imo egomet ipse vidi mineram plumbi communem, prædicto modo digestam; quæ non modo argento ditior inde reddita, sed etiam auri particeps, quo antea caruerat in examine ordinario. Atque hoc opus in magnâ quoque quantitate operari licet, centenariorum scil. quod opus minerarum plumbi possessoribus peritis, maximum sine dubio commodum allaturum. Hoc autem scito, non omnem hac ratione plumbi, auro ditari, sed semper argento ditari mineram, teste experientia.

Talia plura habentur in natura, inexpertis & inexercitatis incredibilia. Quod si nos mortales diligentiores essemus in legendo *Libro* manu Dei exarato *in paginis illis* IV. *Elementorum*, plura utique in illis secreta & magnalia inventuri essemus, sed in sudore vultus, non otio, impetrantur artes & opes; quare *Ora* & *Labora*, meliorantur quoque metalla beneficio gradationis germinationi comparabilis. Palam enim est, surculum vel germen arboris alicujus sativæ fertilis sylvestri implantatum facere ferre in posterum arborem illam fructus non sylvestres sed optimos & suavissimos surculi speciei consentaneos, sicuti videre licet in ferro soluto in spiritu acido, Venere fermentato, & in cuprū transmutato: quâ ratione sine dubio cuprum transmutabile in argentum, & hoc in aurum, si modo fermentationis, modus appropriatus innotesceret.

Estque

Estque hæc transmutatio instar digestionis, è gramine facientis carnem bubulam vel equinam in stomacho bovis equi; & carnem humanam è carne bubula in stomacho hominis.

Meliores quoque partes à vilioribus separari possunt vi similium attractivâ, uti videre est in metallo sulphure abundante, cui si adjicitur ferrū in fusione, sulphur suum nativum deserit metallum (quâ ratione purius redditur) seseque associat ferro, cum quo majorem habet affinitatem & familiaritatem, quàm cum suo nativo. e. gr. Si plumbi mineræ sulphure abundante in fluxu vel fusione adjicitur ferrum, metallum redditur malleabile fusum, quod aliàs nigrum & fragile in lucem esset proditurum. Etsi quid amplius metallo fuso malleabili adjiciendum nobis innotesceret, in fusione nimirum, superflui sulphuris immaturi combustibilis gratiâ tollendi, sine dubio adhuc purius redderetur metallum. Quâ re incognitâ metalla permanent in suâ nativâ impuritate. Et quidem Deus hâc in parte quemadmodum in aliis omnibus suis operibus bene fecit, quod hanc nobis celaverit scientiam: Si enim avaris innotesceret, omne plumbum, stannum, cuprum & ferrum coëmpturi essent auri & argenti separandi gratiâ, ita ut rustici & pauperculi operatores vix instrumenta metallica sibi necessaria, ob raritatem comparare valerent, sed *Deus noluit omnia in aurum transmutari metalla.*

Datâ similitudine de tollendo sulphure superfluo quorundum metallorum in fusione, partium purio-

puriorum conservandarum gratiâ; ita etiam datur alius modus separandi partes puriores ab impurioribus, vi nimirum attractiva similium, ubi partes puriores attrahuntur à suo simili, rejectis partibus impurioribus & heterogeneis: & id quidem demonstrari potest tam humidâ quàm siccâ via: Exemplum viæ humidæ.

Si auro vel argento impuro soluto in menstruo suo appropriato adjicitur Mercurius vivus, attrahit Mercurius ille è menstruo aurum & argentum invisibile impuritatéque mixtum, sibique associat purissimum: quæ separatio celerrimè succedit. Idem præstat idem Mercurius in viâ siccâ: dum nimirum terra quædam auro vel argento prædita aquâ acidâ humectatur, & tamdiu una conteruntur, donec Mercurius meliorem partem attraxerit; quo facto terram mortuam residuam aquâ communi abluere oportet, & Mercurium (siccatum) ab auro & argento attracto separare, trajiciendo nimirum per corium. Mercurius autem nonnisi unum è terrâ attrahit metallum & quidem optimum pro unâ vice; quo separato, attrahit secunda vice & alterum, e. gr. Si in unâ aliquâ terrâ laterent aurum, argentum, cuprum & ferrum, primâ vice Mercurius attracturus esset aurum, altera vice argentum; cuprum verò & ferrum difficulter ob impuritates; stannum autem & plumbum facile: omnium verò facilimè aurum ob puritatem Mercurio similimum.

Aliâ Demonstratio per viam siccam.

COlloca sub tegulâ cupellam cum plumbo, cui addo granum auri purissimi, exactissimè ponderatum (memoriæ causâ) fac aurum in cupella fulminare, & plumbum intrabit cupellam, relicto auro pallido in cupella: cujus pallidi coloris nulla alia causa, quàm argenti admixtio, attracti è plumbo per aurum. Sed ais, te hoc non ignorare, aurum nimirum cum plumbo fulminatum pallidius reddi & ponderosius, propter argentum in plumbo, cum auro relictum in examine, pondus ejus augens & proin pallescere faciens: Cui ego, etsi plumbum in examine aliquid in cupellâ reliquit argenti, cum auro scil. sibi adjecto permiscibilis, pondus auri augentis, coloremque alterantis; probatur tamen pondere, plumbum plus in cupella relinquere cum auro mixtum, quàm sine auro probatum. Hinc igitur probatur, aurum in igne è reliquis metallis, attrahere sibi simile, pondus ejus augens. Atque hoc etiam præstat in via humida, aurum: si enim solvitur in menstruo appropriato, unà cum cupro, & collocatur in digestione, attrahit aurum è cupro separatum. Qui labor etsi non fiat cum lucro, possibilitatem tamen testatur. Sed si innotesceret menstruum auri attractivâ augens sive multiplicans, cupri verò retentricem diminuens, sine dubio aliquid lucri esset exspectandum; & quidem plus, si aurum & cuprum unà funderentur in igne cum menstruo minerali sicco; qua ratione

auri

auri pondus augeretur secundum Paracelſ. dicentem : Metallis unà fusis igne fortiori, continuato aliquantisper, evanescere imperfecta & relinquere in suo loco perfecta.

Quod sine dubio ritè peractum non est opus lucro carens. Ingenuè enim fateor, me aliquotis Lunam voluisse reddere compactam per Martem; ubi aurum ex Marte dedit mihi auri boni insigne incrementum, loco Lunæ fixæ quæsitæ. Atque hac ratione sæpè aliquid inopinatum accidit artificibus, sicuti mihi cum Luna fixa, rem non rectè perpendentibus. Quarè metalla tractaturus cautus esto inveniens incrementum aliquod, originem illius probè ponderans. Plurimi enim opinantur, Lunam cum Marte diu vexantes, hæmatite, magnete, smirite, lapide calaminari, talco rubro, granatis, antimonio, auripigmento, sulphure, silicibus, &c. auro nimirum præditis maturo & immaturo, volatili & fixo; reperientes in examine aurum bonum; illud aurum nimirum factum è Luna beneficio & adminiculo prædictorum mineralium: id quod falsum. Luna enim attraxit illud aurum è mineralibus illis, in quibus antea volatile delituerat. Non tamen negaverim Possibilitatem transmutationis Lunæ, utpotè auro intrinsecè similimæ; sed non cementationis beneficio cum prædictis mineralibus, quia aurum illud non è Luna sed è mineralibus illis profectum, attractum à Lunâ. Hic Labor comparatur semini projecto in terram bonam, ubi putrescens vi propria attrahit sibi simile, undè centesies multiplica-

tur. Oportet autem in hac operatione terram metallicam subinde humectare aquis appropriatis metallicis, calore exsiccatam (quæ operatio *inceratio* dicitur à Philos.) alias terra sterilis futura esset. Oportet autem ejusmodi aquam terræ esse amicabilem, ita ut unita pinguedinem quandam efficiant. Sicuti enim apparet è terra arenosa sicca irrigata aqua pluviali, non producente fructus semini consentaneos, ob calorem solis etiam exiguum humiditatem consumentem, & semen in terra comburentem: quæ mixta stercore vaccino vel alio, retinet aquam ita ut non adeò facilè à solis calore consumatur. Eadem etiam ratione oportet ut terra & aqua tua copulentur, ne comburatur semen tuum. Qui si ritè peragitur labor, non erit in cassum, requirens summam diligentiam terræ fovendæ necessario calore & humore. Nimia enim humiditate submergitur terra, deficiens verò impedit augmentationem. Atque hic labor est unus ex optimis, quibus aurum & argentum bonum elicio è metallis vilioribus, requirens optima vasa retinentia semen unà cum terra sua & aqua aliquantisper in calore appropriato. Non dubito quin hic labor in majori etiam quantitate perpetrari possit, firmiter credens Metalla viliora, cumprimis autem Saturnum omnium aptissimum, non solum in aurum & argentum maturari posse, sed etiam in medicinam bonam: Qui sine dubio Labor Philosophicus divinitus concessus Chymico magnum solatium, sed cautè usurpandus. Non enim omnia & singula sua do-

na

na Deus vult esse communia : siquidem mihimet ipsi accidit operis alicujus inventori præstantissimi, ut illud commonstraturus amico, neque ipsi commonstrare, neq; in posterũ amplius perpetrare potuerim pro memet ipso. Quarè & quidem haud immeritò ancipites sunt alii in scribendis rebus arduis : multi enim non verentur aliorum secreta, multis laboribus sumptibusq; exantlatis inventa in otio attrahere per fas & nefas. Quare tutius est silere & sic aliis quærendi dare ansam, quàm secreta divulgare, ut re ipsa experiantur curas, vigilias & expensas in rebus arduis inveniendis exantlandas ; nec in posterum amplius aliorum inventis tam impudenter ingrati inhient. Quare cunctos tam supremæ quàm infimæ sortis homines volo rogatos, ne me amplius suis petitionibus & epistolis molestare & fatigare velint, benevolentiamque meam aliis benefaciendi nolint convertere in ruinam mei, contenti meis scriptis publicatis in commodum proximi. Nec tibi persuadeas me aureorum montium esse possessorem & promissorem. Quæ enim scripsi, naturæ detegendæ causâ scripsi in hisce discursibus de metallorum viliorum perfectione in parvâ quantitate. Quippe nunquam feci periculũ in Magna Quantitate, expertus veritatem & possibilitatem in minori saltem, in minoribus crucibulis : quare quæ scripsi, scripta sunt in eum finem ut appareat possibilitas artis, metallorum perfectorum de potentiâ in actum educendorum ex imperfectis. Ille igitur cui datur occasio, poterit facere periculum in ma-

jori quantitate: me quod attinet carentem opportunitate, exſpecto auxilium divinum, quo opportunitate nactâ periculum facere poſſim in majori quantitate, atque adeò fructum deportare laborum meorum & ſumptuum inſignium exantlatorum.

Alterantur etiam ſpecies metallicæ ratione alia, beneficio nimirum alicujus ſpiritus tingentis metallici, uti videre eſt in auro fulminante, aliquoties accenſo ſuper laminâ metallicâ mundâ lævigatâ, Tincturam profundiſſimè auream imprimente laminæ illæſæ, ita ut acus Probam ferre poſſit. Idem etiam accidit in via humida, ubi metalla laminata impoſita ſpiritui gradatorio confecto è nitro & quibuſdam mineralibus, penetrata à ſpiritu aliam adipiſcuntur ſpeciem ſpiritui conſentaneam. Dubitans autem de gradatione metallicâ, facta cum auro fulminante, certitudinem experietur ex crebriori accenſione auri fulminantis recentis ſuper eadem lamina, videbit enim non fucum eſſe metalli & extrinſecè deaurati, ſed profundè tincti & colorati. Similiter experiri licet certitudinem per ſpiritum humidū, ſi metalla transformata probantur. Vnde clariſſime apparet Metallorum mutua actio & paſſio ſubtiliatorum. Spirituum enim potentia maxima & inexercitato incredibilis eſt. Atq; hanc metallorum inferiorum gradationem non ſolum confirmant Philoſophi tam priſci quàm moderni, ſed etiam mineralium foſſores ab experientia edocti, vapores minerales penetratione viliora in meliora transformare metalla, teſte Lazaro

ro Erckero affirmante, transformari ferrum in cuprum naturale bonum in aquis viridibus salsis; seseque vidisse foveam, in qua clavi ferrei aliaque projecta, cuprei spiritus penetratione transformabantur in bonum cuprum. Non inficias eo solutiones metallicas nonnullorum Metallorum laminis præcipitatæ adhærescere, easque aureo, argenteo vel cupreo colore afficere. Palam enim est ferrum in aquam projectum vitriolarem non transmutari in cuprum, sed cuprum ex aqua attrahere; de quâ re hic non agimus, confirmantes *Possibilitatem Transmutationis Metallicæ* per spiritum tingentem & penetrantem; Quare denuò testor magnam inesse vim spiritibus metallicis. Adspice modò terram opacam & obtusam, & præter eam aquam claram & limpidam potentissimam, quâ clarior & potentior aër ex aquâ profectus è terra profecta. Nonne aquæ quandóque inundatione integræ regiones perduntur, ablatis pagis & civitatibus? Nonne aër potest domos destruere fortissimas; cumprimis terræ inclusus, movêre terram aliquot milliarium, ac proin integras diruere civitates & montes cum interitu hominum, quæ omnia fiunt naturaliter. Longè majus minatur periculum ventus artificialiter excitatus per nitrum, id quod nemo negare potest. Etsi tantam Elementa corporalia exercent potentiam, penetrare tamen nequeunt metalla absque læsione, nec lapides & vitrum, facile autem penetrabilia igni. Non igitur latente sed patente solis & ignis vi, quam habet in metalla, lapides & vitrum, quæ ab illis faci-

lime penetrantur absque ullo aliquo impedimento : Quidni etiam metalla compacta à spiritu quodam metallico, subtili & penetrante & quidem ignis auxilio penetrarentur, & in aliam speciem transformarentur? Sicuti nunc dictum de auro fulminante & aqua gradatoria. Quare non dubitandum de possibilitate spiritus metallici tingentis, transformantis viliora in meliora metalla, tam sicca quàm humida via.

Metalla etiam purificari possunt eo, quo purificatur modo tartarus & vitriolum aliaque salia, beneficio nimirum aquæ copiosæ. Patet enim Vitriolum purgari à sibi admixto ferro & cupro, solutum nimirum in magna aquæ quantitate & coagulatum, ita ut aluminis instar albescat; quæ purificatio non est nisi separatio metalli à sale, facta beneficio aquæ copiosæ salem debilitantis, ita ut amplius metallum admixtum retinere non possit, quod instar limositatis alicujus præcipitatur, non inutilis, quia potissima vitrioli pars, à quâ ejus viriditas, cuprum nimirum, ferrum & sulphur. Et sicuti separationis beneficio è vitriolo eliciuntur metalla, perfectiora salibus; ita etiam de metallis capiendum, ubi pars perfectior & præstantior præcipitationis beneficio separatur. Quod ad tartarum, purificatur quidem ille etiam copiosæ aquę additione, sed potior ejus pars non præcipitatur ut in vitriolo, sed pars ejus vilior, nigredinis & fœculentiæ causa. Nota exemplum: Tartarus vulgi crebriori solutione (facta cum sufficiente quantitate aquæ) & coagulatione redditur purissimus & albissi-

albissimus, quia in qualibet solutione facta cum recenti aqua limpida semper evadit purior: atque hac non solum ratione tartarus albus, sed etiam ruber & fœculentus redigitur in crystallos transparentes, & quidem celerrime beneficio certæ cujusdam præcipitationis: cujus limositas, obscurationis causa salis tartari crystallini, non est nisi res aliqua insipida, mortua & inefficax lignea, admixta tartaro in sui coagulatione in doliis vinorum; denuoque separata vi solutionis.

Atque hæc duorum salium, vitrioli & tartari exempla, non frustra appositа, quia ostendunt præcipitationis differentiam. In quibusdam enim metallis vi præcipitationis separatur pars vilior; in aliis verò pars potior & præstantior, habita nimirum ratione prædominii hujus vel illius partis.

In vitriolo pars præstantior (cuprum & ferrum) portio ejus minima est, quæ præcipitatur & separatur à parte ejus viliore & copiosiore, sale nimirum. In tartaro verò præcipitatur & separatur pars ejus vilior & minor, à majore & præstantiore parte clarificata. Similiter accidit in metallis. Quare quilibet cautus esto in sua separatione, perpendens secum antea utrum melior vel vilior pars metalli præcipitanda. Sine quâ nemo se huic immiscat negotio cognitione. Caveat sibi quoque operator exspectans fructum aliquem sui laboris ab aquis corrosivis, utpote aq. forti, aq. reg. sp. salis, vitrioli, aluminis, aceti, &c. in solutione, à quibus nihil boni proficiscitur, utpote omnia & singula funditus perdentibus & destruentibus; fidem fa-

ciens hisce verbis. *Ex Metallis, per metalla, & cum metallis, perfecta conficiuntur metalla.* Metalla quoque purificantur, maturantur & à vitiis separantur per nitrum, sulphur superfluum combustibile comburens.

Atque omnes & singulæ prædictæ Metallorum perfectiones non nisi sunt particulares. Quælibet enim medicina particularis tam humana, quàm metallica, purgat, separat & perficit sive emendat ablatione superflui. Vniversalis autem medicina operatur suas perfectiones & emendationes, roboratione & multiplicatione humidi radicalis tam animalis quàm metallici, expellentis postea vi propria & innata suum hostem. At ais; Egregia quidem hic à te traduntur exempla, modus verò operandi non item. R. Plus quàm opinaris docui, etsi non intelligas: Certus enim sum aliquando post mortem meam, libros meos in existimatione majore futuros, è quibus me non vanam gloriam sed proximi utilitatem quæsivisse apparebit, quantum quidem fieri licuit. Sed noli cogitare videns liberalitatem scribendi meam, quod ex me multa expiscari velis. scito enim, quod etsi talia publici commodi gratiâ scripserim, non tamen cogitem mihi hac ratione negotium facessere. Non enim valeo omnium & singulorum petitionibus satisfacere, nec epistolis respondere, nec etiam omnes divitiis cumulare, *qui ipse nec dives nec unquam quæsivi divitias.* Etsi enim harum rerum cognitionem benedictione divinâ acquisiverim, & in minori quantitate veritatem expertus fuerim, nun-

nunquam tamen in majore copia tentavi fecique periculum, divitiarum gratiâ, contentus divina benedictione. Quare singulos etiam admonitos velim à Deo illuminatos, ne incidant in ambitionis & ingratitudinis vitium; sed debitæ gratitudinis ergò erga Deum pauperum memores esse velint, evasuri æternæ damnationi.

Nec te moveat malevolorum invidia scientiâ Divino favore clarum, avari enim & ambitiosi nemini nisi sibimet ipsis bene precantur; qui animadvertere deberent, quod sicuti & ipsi nihil secum attulerint, ita quoque nihil secum aliquando ablaturi. Tu modo esto bonus œconomus & paterfamilias in dono tibi divinitus concredito, facitoque justitiam intrepidus.

Atque hæc dicta sufficiant de particularibus emendationibus metallorum secundùm experientiam meam. Quod attinet ad Medicinam illam Universalem adeò decantatam, non possum ego judicare de illa tanquam de re mihi incognita; cujus verò possibilitatem affirmare cogor, motus particularibus illis transmutationibus metallorum. Quâ incognitâ contentos nos esse oportet gratiâ illâ Divinâ nobis concessa. Sæpè enim sine dubio melius *pauca scire* homini, æternæ salutis gratiâ; plerunque enim opes & artes inflatos reddunt. Superbia autem ad diabolum ducit sui authorem, à quo nos clementer præservare velit Deus Optimus Maximus.

De

De Lapide Philosophico.

CRedita à multis seculis, à multis clarissimis viris Judæorum, Ethnicorum & Christianorum, *Medicina Vniversali*, homines & metalla ad supremum sanitatis gradum reducente, ejusque possibilitate per artem; nec solum credita, sed etiam multis rationibus certissimis comprobata, de qua re innumera scripta variarum linguarum, vera & falsa adhuc extant: non opus est aliquid à me superaddere hujus rei ignaro prorsus & inexperto. Etsi aliquoties audiverim, quomodo nonnunquam in diversis locis aurum purum putum factum è vilioribus metallis cumprimis è plumbo, per medicinã aliquam arte paratam: semper tamen ejusmodi discursus in suo reliqui pretio, nunquam inde motus tale quid suscipere perterritus aliorum exemplo tam supernæ quàm infimæ sortis hominum, doctorum atque indoctorum, operam & oleum in hac arte perdentium; sed potius persuasus, quod talis non detur in rerum naturaMedicina Universalis mirifica. Et si sæpius mirabilia viderim in meis laboribus ansam mihi dantibus, nunquam tamen tentare ausus fui carens temporis & loci opportunitate; donec tandem aliquando fortè fortuito quærenti mihi aliquid aliud non magni momenti, fides possibilitatis venerit in manus. Multos enim à multis annis, & sumptus & labores exantlavi auro suam exstrahere Tincturam sive animam, pro medicinâ indè parabili: quàm tandem

dem aliquando obtinui, ubi obſervavi auri corpus reliquum, animâ ceu parte præſtantiore exſtractâ, non eſſe aurum amplius, nec amplius ſuſtinere ignem. Vndè conjecturam feci, quod ejuſmodi exſtractio fixata iterum, poſſit inferiora perficere metalla & in aurum convertere: conceptæ verò opinionis veritatem experiri mihi utpote nunc temporis in peregrino loco degenti, non licuit hactenus; quare contra voluntatem quantumvis novitatis avidus, ab opere abſtinere coactus fui. Interea perpendens Philiſophorum placita de auro ſuo non vulgi perhibentia parandam Medicinam Univerſalem, affudi denuo cupro acetum quoddam Philoſophicum, tincturam exſtrahendi gratiâ, ubi ferè omne cuprum inſtar terræ alicujus albæ, in digeſtione rejectum à Tinctura, quam (terram) nullâ arte amplius reducere potui, ſive in corpus redigere metallicum, permanentem mortuam.

Quod experimentum me denuò confirmavit de poſſibilitate ejuſmodi medicinæ. Quem etſi laborem nunquam fui perſecutus, non tamen dubito quin vera medicina humana, etſi non etiam metallica, parabilis indè per artificem diligentem & induſtrium. Animâ igitur cum omnibus attributis metallicis, conſiſtente in tam exiguâ quantitate, quæ vix centeſima pars ponderis, quâ extracta & ſeparata corpus reliquum non amplius Metallum ſed terra quædam eſt inutilis ex mortua; non dubitandum, quin fixatâ denuo, corpus aliud metallicum reaſſumere & perficere poſſit. Quare firmiter credo perſuaſus prædictis rationibus, e-

juſmodi

jusmodi parabilem esse medicinam è rebus mineralibus & metallicis, in fluxu nimirum transmutantem metalla imperfecta in meliora. Noli autem opinari me talia scribentem, aurum vel cuprum statuere hujus medicinæ materiam; quam minimè statuo, non ignorans esse & alia subjecta facilè tractabilia, tincturis abundantia.

Quæ etsi medicina rarò & difficulter impetretur, culpanda tamen non propterea *ars* & *natura* sed nos potius inertes, avari, superbi & impii. Nemo enim impius hâc arte dignus, contemptor Dei & verbi ejus, proximique osor ambitiosus. Hoc opus est, ais, naturæ & artis, non igitur vitæ nostræ adscribendum; Ethnicis olim datum, pietate nobiscum non comparandis, utpote veram Dei cognitionem non habentibus. Ergò vita mea (etsi impia) impedimento mihi esse nequit, quia hæc ars in rerum naturalium consistit cognitione. R. O lepidum caput! toto erras cœlo: Siccine arbitraris Philosophos ethnicos verum non cognovisse Deum? qui majorem ejus quàm tu cognitionem habuêre; quibus etsi Christus non fuit concionatus, cognoverunt tamen ipsum *è naturâ*; & secundum hujus cognitionis normam vitam suam instituerunt, hoc divinitus donum impetrantes, quod non ad malos usus sed ad proximi sui commodum & emolumentum adhibuêre. Tu verò, qui tibi persuasus proximum excellere, doctrinâ nimirum, cujus festucam vides, ignorans trabem in proprio oculo, vitam terens in avaritiâ, superbiâ, invidiâ, odio & voluptatibus aliisque sceleribus, siccine arbi-

arbitraris occultum te in conſpectu Dei, neſcientis impedire conatus tuos ? Certè à Deo non datur avaris & ſuperbis Pſeudo-Chriſtianis donum tantum. Quare cumprimis ſeſe quilibet examinet hoc aggreſſurus munus, utrum nimirum lotis vel illotis accedat manibus. Certum enim & veriſſimum, *Nunquam impium, quantumvis currentem, hoc impetraturum donum*, quod ſolius Dei, non hominum eſt.

Atque ſic meam de Vniverſali opinionem audiviſti Medicinâ, quàm mihi peperit experientia facta in auro, cupro aliiſque mineralibus & metallis: quam non pro Euangelio deprædicabo, quia *errare humanum eſt*. Quare nihil certi ſtatuendum ante finalem ejus & completam perfectionem, & quidem ſemel atque iterum certitudinis gratiâ repetitam. Sæpè enim ſemel inventam viam optimam repetere non licet, quod non ſolum mihi, ſed etiam aliis accidit ſine dubio. Quarè ante victoriam non triumphandum, propter impedimenta inopinata ſpem vacuam facientia; ſed Deus potius in laboribus noſtris aſſidue implorandus, ut functioni noſtræ benedicere, quo donis ejus in hac vita ritè utamur, tanquam boni œconomi, & poſtea mercedem laborum noſtrorum, vigiliarum & curarum gratuitam, nobis immerentibus, æternam nimirum requiem & ſalutem, ex mera miſericordia elargiri haud dedignetur.

Vtrum Mineralia, utpotè Antimonium, Arsenicum, Auripigmentum, Koboltum, Zincum, Sulphur, &c. in Metalla transformari possint & in qualia.

IAm diu disputatum inter Chymicos, utrum prædicta Mineralia ex iisdem cum Metallis profecta principiis, & utrum inter Metalla numeranda; in quâ controversiâ nondum convenerunt in hodiernum usque diem, dum unus approbat hoc, quod negat alter, ita ut tyro artis Chymicæ nesciat, cui parti assentiendum sibi.

Faciente verò hac cognitione ad Metallorum emendationem non parum, volui meam quoque & quidem experientiâ fundatam de hâc re apponere opinionem, in gratiam dubitantium. Miranda autem statuentium, non unam eandemque mineralium & metallorum originem, simplicitas ratiocinandi affirmantium, quod si per naturam metalla fieri debuissent, utique fuisset factum dudum; sed hoc nondùm accidit, teste experientiâ, mineralia enim permanentia in metalla transplantantur numquam. R. Aliter crescunt metalla, aliter quoque vegetabilia cito germinantia citóque iterum intereuntia; metalla verò non item, omnia enim durabilia longa habent tempora digestionum; secundum illud, *quod citò fit, citò perit.* Atque hoc non solum de vegetabilibus & mineralibus, sed etiam de animalibus intelligendum. Sicuti apparet è vegetabilium quorundam germina-

natione, semestri spatio ad perfectionem pervenientium, ac proin citò iterum pereuntium: cum requirentia longiorem digestionis & perfectionis moram, longè sint durabiliora. Fungus sive boletus unius vel alterius noctis spatio perficitur natus è ligno putrido, brevi iterum evanescens: non item quercus. Boves & equi biennii spatio vel triennii ad perfectionem perveniunt, vigesimum annum vel vigesimum quartum vix attingentes: Homo verò 24. annos requirens ad sui perfectionem, durabilis annos 60. 80. & 100. Ita etiam de Metallis capiendum multa secula durabilibus, & consequenter longissima digestionum & perfectionum tempora requirentibus. Requirentibus igitur metallis longissima digestionum ad sui perfectionem tempora, quorum initium atque finem nemini mortalium longævo, aliquot seculorum etiam, videre concessum, mineralium transplantatio per naturam in metalla negari non debet; cumprimis etiam propterea quod in mineris metallorum, impurorum præcipuè reperiantur quoque mineralia: quarè mineralium fossores mineralia reperientes, bonam spem metallorum reperiendorum concipiunt, quorum illa *stragula* nuncupantur. Rarò enim metalla sine mineralibus, & mineralia sine metallis reperiuntur; nec etiam reperiuntur unquam mineralia auro & argento carentia. Quarè mineralia haud immeritò *metalla embryonata* nuncupantur, quia per artem & ignem bona auri & argenti quantitas ex illis elicitur fusione. Quæ si non nascuntur è radice me-

tallicâ, unde proficiſcitur aurum illud & argentum? Non enim ex infante bos, nec è vitulo naſcitur homo; ſemper enim ſimilia producuntur à ſimilibus.

Non igitur niſi fructus immaturi judicanda Mineralia metallorum reſpectu, maturitatem ſuam & perfectionem nondum adepti, nec à ſuperfluâ terrâ ſeparati. Quomodò enim ex ovo caloris beneficio excluderetur avis, non prædeſtinato ad avis generationem? Ita etiam de Mineralibus capiendum, quæ ſi metallicâ naturâ privata, quomodò ignis auxilio metalla inde elicerentur? Ais; nunquam vidiſſe te eductionem metallorum perfectorum è mineralibus & metallis vilioribus, ergo veriſimile minimè, nec credibile tibi. Cui, multa adhuc in naturâ latent abſcondita plurimis, perperam & ſtolide negantibus incognita: Teſtatur etiam quotidiana experientia, Mineralia & viliora metalla, ablatione ſulphuris ſuperflui (quomodocunque fiat, variis enim fieri poteſt) altiorem gradum perfectionis adipiſci. Quarè igitur oculis viſa cor non credat & lingua loquatur? Teſtatur enim experientia, ex omnibus ferè mineralibus & metallis vilioribus aurum bonum & argentum elici poſſe per artem, ex uno tamen plus altero & celerius. Non enim datur nox tenebroſa quantumcunque, lumine omnino privata, quod non poſſit manifeſtari beneficio ſpeculi concavi: Nec datur Elementum (etſi puriſſimum) aliis elementis non permixtum: Nec aliquid malignum omni bonitate privatum, & vice verſa. Et ſicuti latentes

tentes in aëre ſolis radios colligere fas eſt, ita etiam metalla perfecta, in imperfectis & mineralibus diſperſa latentia per ignem & artificem exercitatum; ſi nimirum collocantur in igne cum ſolventibus ſuis appropriatis, ubi partes homogeneæ congregantur, heterogeneæ verò ſeparantur: ita ut non opus ſit abire in Indias, auri argentique quærendi gratiâ in novis illis inſulis; quæ copioſè invenire hic in Germaniâ licet, ſi modo Deus miſericors plagas præſentes crudeliſſimas tandem aliquando avertere vellet, & eruere ex vetuſtis metallis plumbo nimirum, ferro, ſtanno & cupro, ibi relictis à mineralium tractatoribus; abſque nimirum mineralium culturâ. Nemo igitur ſe pauperem judicato, quia ille ſolus pauper eſt & inops (etſi aliàs locupletiſſimus, divitiiſque abundantiſſimus, quas in momento deſerere cogitur) qui Deum ingratus non cognoſcit & agnoſcit in operibus ſuis. Quid quæſo in mundo abjectius ferro antiquo & plumbo? quæ ſapientibus gratiſſima propter uſum in lotione ☿ⁱⁱ & ☽ⁱⁱ cum albumine minerali. Quomodo autem laventur illa, id difficulter comprehenditur ab inexercitatis in igne, & indicabitur per ſimilitudines. Vides antimonium recenter è terra erutum impurum & nigerrimum; quod fuſione ſeparatum à ſuperfluitate montis (quæ tamen ipſi non fruſtra per naturam data, ſed in auxilium purificationis propriæ, ſecundum illud: *Deus & natura nihil faciunt fruſtra*) purius evadit corpore præditum metallis proximiore minera ſua: quod ſi denuo funditur cum

sale tartari, mortificatur à sale tartari sulphur crudum & combustibile, & in scoriam convertitur separatam à parte puriori Mercuriali: ita ut hac ratione nova recensque fiat separatio partium, quarum una pars alba fragilis fundum petit, altera verò levior, sulphur nimirum combustibile cum sale tartari summitatem; quæ effusa in conum, ubi refrixerint, mallei percussione ab invicem separantur; quarum pars inferior *Regulus* dicitur à Chymicis, qui purior denuo, prima vice è minera Antimonio fuso; atque hæc usitata Chymicorum antimonii purgatio. Cui (regulo) si aliquid denuo adjiceretur, tertiæ purificationis gratiâ, non solum sine dubio indè redderetur purior, sed etiam fixior & malleabilis. Si enim è nigro antimonio parabilis regulus albus, quidni quoque è regulo metallum malleabile?

Alius separationis modus sulphuris superflui Antimonialis.

℞. ANtimonii pulverisati part. 1. Salis petræ part. ½. misce, & accende mixturam cum carbone vivo, & unà cum nitro comburetur sulphur illud antimoniale, relicta massa subobscura, fusci nimirum coloris, quæ fusa per horam integram igne fortiori dat regulum similem illi qui conficitur cum sale tartari, quantitate tamen minorem. Similis hisce, fit separatio partium animalium, si nimirum miscentur æquali pondere, antimonium, nitrum & tartarus crudus, mixta accen-

cenduntur & funduntur. Est & alia partium antimonialium separatio ; ubi frustulorum ferreorum minutissimorum pars unà imponitur crucibulo forti, in furno ventoso, quibus candentibus adjiciuntur partes duæ antimonii triti, fusionis gratiâ, & sulphur combustibile superfluum deserit antimonium, seseque associat ferro, metallo sibi amicabiliore sulphureo ; cum quo mixtum deserit Mercurium proprium purum & sulphur sive regulum, qui dimidia ferè pars Antimonii.

Atque hi 4. modi, quibus sulphur antimonii superfluum & combustibile separatur sunt communissimi, non loco secretorum appositi, sed saltem demonstrationis gratiâ, ut appareat quomodò mineralia sulphurea purificanda & perficienda : Quæ quidem adhuc exigua emendatio, viam tamen ostendens ad meliorem non solum Antimonii, sed etiam Arsenici & auripigmenti, quamvis hæc duo non ita cum ferro, nitro & tartaro tractari possint propter nimiâ volatilitatem, sed cum oleo vel aliis pinguedinibus in crucibulis clausis, dantia similem regulum antimoniali. Atque hi reguli dant Jovi duritiem, clangorem & compactionem, si ad lib. 1. uncia una vel dimidia adjicitur in fusione, pro re suppellectili bona comparanda. Dant quoque in examine aurum bonum.

Et sicuti nunc dictum de antimonio purgando, ita etiam de reliquis intelligendum mineralibus & metallis imperfectis, utpotè Wismutho, Zinco, lapide calaminari, ♄, ♃, ♂ & ♀ purgandis à sulphure suo superfluo, si metalla perfectiora aurum

nimirum & argentum elicere velis ex iis cum fructu atque sic lotionis metallicæ finem faciam, recommendando Chymicis *nitrum*, *tartarum*, *silices*, & *plumbum*; qui enim noverit tractare illa, oleum & operam non perdet in Chymiâ. Dolendum autem, quod non ubivis locorum bona & in igne fixa reperiatur terra, Saturnum & salia retinens; sine enim sene nostro ♄, parum vel nihil in metallorum purificatione præstari potest. Quarè aliquid in hac arte tentaturus prospiciat sibi primò de terrâ optimâ retinente ♄. 24. horarum spatio; deindè Jovem consulat, quid Vulcano cum ♂ agendum; qui quantum ipsi ferendum indicabit, antequam coronam impetret.

De Tinctura Solis & Antimonii.

ACcidit quandoque alteratio quædam humano corpori ex attractione vaporum mineralium (id quod per meam fieri nequit fornacem) inter probandum; quarè hic apponam Medicinam aliquam in gratiam artificis tam præservantem quàm curantem; ex auro nimirum & antimonio rubinum pellucidum, fixum & solubilem; ut sequitur.

℞. Auri puri ℥ß. solve in aq. reg. solutionem præcipita cum liquore silicum, sicuti supra dictum in Parte II. calcem edulcora & exsicca; & erit parata. ℞. Regulum Martis (de quo paulò ante dictum) subtilissimè tritum, cui admisce partes tres nitri purissimi: mixturam colloca in crucibulo

inter

inter carbones ardentes, succeſſivè nimirum & paulatim ignem adminiſtrando, donec paulatim candeſcat crucibulum: quo facto fortiorem adminiſtra fuſionis ſcil. & fiet indè maſſa purpurea; quam exemptam & refrigeratam tere ſubtiliſſimè; cujus R. part. 3. vel 4. & admiſce part. 1. calcis prædictæ aureæ; colloca mixta in crucibulo cooperto forti in furno prædicto ventoſo, & fac unà fluere maſſam inſtar metalli, & nitrum illud antimoniatum aſſumet in fuſione ſolvetque aurum ſive auri calcem, fietque indè amethyſti coloris maſſa, quàm tamdiu in igne relinque, donec rubini pelluciditatem acquiſiverit, id quod experiri licet cum filo ferreo mundo incurvato immiſſo. Etſi interea maſſa inſpiſſatur fuſibilitate privata, oportet aliquid adjicere nitri vel tartari, fuſionis promovendæ gratiâ, atque id toties quoties fuerit opus. Maſſam denique ubi pervenerit ad ſupremam Rubini rubedinem, effunde calentem in mortarium mundum cupreum, quam ibi relinque donec refrigeſcat, & erit colore ſimilima rubino orientali; calidamque tere in pulverem, aliàs aërem attractura liqueſceret, & ſpiritus vini affuſione in phiolâ extrahe tincturam; & remanebit aurum unà cum antimonio albiſſimum inſtar Talci ſubtiliſſimi, aquâ limpidâ è vitro abluendum, edulcorandum & exſiccandum. Quod igne fortiori fuſum dat vitrum flavum, in quo nullum apparet aurum, ſeparabile tamen vi præcipitationis cum limaturâ Martis & cupri, è quibus colorem ſuum priſtinum recuperat, ſed ſine fructu, cum jacturâ. Spiritus

tinctus à Tincturâ abstrahendus, quæ Medicina excellentissima in multis morbis gravissimis.

Etsi suspicaris hanc non simplicem esse Solis tincturam, sed etiam nitri & tartari admixti, scito nitri adjecti quantitatem non esse nimiam & excessivam; & posito quod adsit tartari vel nitri tinctura, quid quæso incommodi indè? quia illa ita per se bona Medicina. Sum autem prorsus mihi persuasus, hanc Solis tincturam esse præstantiorem illis in 2. parte traditis. Rubinus ille ita per se usurpari potest cum vehiculis appropriatis, quia in sese est Medicina excellentissima; vel aëri expositus & in liquorem resolutus, non enim est minor tunc Medicina Tincturâ; quia aurum in ipso & purior pars Antimonii, sine corrosivis potabilia reddita.

Mirabilis est salium potentia in metallis fusione destruendis, perficiendis & transmutandis: accidit enim mihi aliquando facturo hunc Rubinum, collocante duo alia etiam crucibula cum metallis, juxta hoc continent aurum cum regulo antimonii præparato (facilè enim 2. vel 3. & plura etiam in hoc furno collocari possunt crucibula, uno igne regenda, quod in vulgari illâ ratione fieri nequit) injecturo salem certum in crucibulum collaterale auri crucibulo, quod ex errore injecerim illud in ipsum auri crucibulum, undè tantus tumultus tantumque certamen exortum, ita ut periculum ebullitionis immineret; quarè commotus illud è vestigio è furno cum forcipe exstrahere, & effundere, conjecturam faciens rubinum salis adjectione

ne involuntariâ perditum; quarè aurum saltem servare volui. Inveni autem massam effusam sanguinis instar rubram, rubino elegantiorem, nullum verò aurum, sed hinc indè in salibus dispersa granula alba Saturno similia, ob parvitatem non nisi salium solutione separabilia, quæ tincturâ sanguinis instar rubrâ aquæ solutione separata, in fundo vitri remanebant: quæ postea fusionis gratiâ in unum, collocavi in novo crucibulo in furno, sed experiri volens fusionem, reperi crucibulum vacuum, omneque aurum evanuisse, excepto paucùlo supernè crucibulo & operculo adhærente, quod abstuli, & in novo crucibulo cooperto experimenti gratiâ fundere volui; sed totum è vestigio sentiens calorem avolavit, nullis etiam vestigiis relictis in crucibulo, instar arsenici: atque sic privabar auro.

Tandem accepi solutionem rubram, & abstraxi aquam à salibus, & reperi salem sanguinis instar rubrum, quem in crucibulo mundo etiam collocavi in furno experimenti gratiâ, utrum aliquid metallicum corporale indè elici possit; sed reperi salem effusum omni tinctura & rubedine privatum: id quod admirabile mihi in hodiernum usque diem, quod beneficio hujus salis tota auri compages Tinctura nimirum unà cum remanentia tantam volatilitatem nacta avolaverit.

Quem laborem postea reiterare volui, sed non ita in omnibus ut primâ vice successit; facta quidem aliqua alteratio auri, sed non tanta ejus volatilisatio, cujus rei causam opinor ignorantiam

ponderis prædicti salis prima vice præter voluntatem injecti.

Duæ autem potissimum rationes hanc hic inferere historiam me moverunt; primò nimirum ut appareat quàm facilè quis errare possit in re etiam minima, totum processum annihilante. Secundò ut appareat veritas Philosophorum scribentium, aurum esse per artem reducibile in gradum inferiorem, Saturno nimirum parem (id quod mihi in hoc accidit labore) esseque difficilius aurum destruere, & metallo reddere imperfecto conforme, quàm imperfectum transmutare in aurum; quarè animo exulto, quod tale experimentum oculis meis viderim, manibusque meis fecerim; de quâ re Philosophi nostri phantastici nihil audire volunt, integra volumina scribentes contra veritatem, pertinaciter asseverantes, *aurum esse incorruptibile*, id quod purum putum mendacium. Possum enim contrarium (necessitate postulante) demonstrare & quidem modis diversis. Miror sanè quid moveat ejusmodi homines contemnere rem ignotam: incognita ego judicare non soleo.

Quomodò transmutationem metallorum negare audent, carbones & forcipes tractare nescientes? Equidem fateor circumforaneos illos aurifices rudes & inertes, non parum maculare veram Chymiam & dehonestare, ubivis terrarum fraude & dolo circumvenientes homines, pauperculi & inopiâ oppressi, nisi fortè inveniant divitem aliquem credulum, ipsis victum & amictum suppeditantem spe lucri conceptâ & artis; quorum etiam

iam nonnulli avarorum auro adjuti psitacorum instar coloratorum amicti incedunt, quos cane pejus & angue odio prosequendos esse judico, sed non illorum causâ contemnendam Alchimiam innocentem. Maxima stultitia sive dementia nonnulli avari fascinati, incerta spe lucri pecunias suas erogantes, qui postea re siniſtrè succedente, in penuria vivere coguntur, quorum vices non dolendæ ex avaritiâ nimirum suos nummos erogantium. Alii nonnunquam divitias quærunt non lucri quidem causâ, sed potius propterea ut habeant unde vivant, & naturam rimari valeant; qui excusandi si decipiuntur à nebulonibus, non laudandi tamen si ultra vires suas erogant.

Alia Auri Tinctura & Medicina.

SOlve aurum in aq. reg. solutum præcipita cum liquore salis silicum: auro toto præcipitato, affunde portionem aliam liquoris prædicti: colloca aurum præcipitatum unà cum liquore silicum in arenâ ad coquendum aliquot horarum spatio, & extrahet auri tincturam liquor ille silicum, purpureóque tingetur colore; cui affunde aquam pluvialem, & fac eam coquere unà cum liquore illo purpureo, & præcipitabuntur silices, relictâ tincturâ coloris excellentioris cum sale tartari; à quâ aquam abstrahere oportet ad siccitatem usque, & remanebit in fundo vitri sal elegantissimus coloris purpurei, è quo spiritus vini beneficio extrahitur tinctura sanguinis instar rubra, viribus auro potabili

bili vix cedens. Latent autem in sale hoc purpureo multa, de quibus plura essent dicenda, si modo occasio ferret; quarè viam monstrasse sufficiat auri destructivam. Potest enim sal ille aureus brevissimo temporis spatio, infra horam nimirum, exiguo labore perfici & in naturæ miraculum transmutari admirandum, confutans obtrectatores nobilissimæ artis Alchimiæ; pro quo dono, Deo immortali immortales gratias agere debemus.

De Speculis.

MEntionem feci in tractatu de Auro Potabili, non solum de immateriali ignis calore, sed etiam de subtilissimis Solis radiis convertendis in substantiam materialem corpoream, beneficio quorundam subjectorum, quibus colliguntur. Mentionem quoque feci ibidem *speculi concavi* cujus præparationem, utpote non omnibus obviam, hìc quoque dabo, & quidem optimam quam scio. Vt sequitur.

Oportet autem primò ut conficiantur typi è materiâ optimâ, pilis nimirum & argillâ, de quâ re in Parte Quinta, forma & figura speculis consentanei, circulariter rotundi; aliàs enim speculum solares radios colligere in unum, iterumque exserere nescit; cujus rei culpa non nisi typo adscribenda. Siquidem speculorum fusio & politio singulare artificium non est, utpote campanarum fusoribus cognitum, sed fundere optime formatum ex optima materia, ritéque polire, hoc artis est. Et primò

primò quidem typos quod attinet circulariter scindendos beneficio instrumenti alicujus ferrei acutissimi optimè proportionatos & rotundos, id brevibus indicari nequit. Quare Lectorem relegatum volo ad authores prolixe hac de re tractantes, Archimedem nimirum & Iohannem Baptistam Portam & alios. Etsi cares illorum authorum scriptis, vel non intelligis, fac ut habeas globum exactissimè tornatum pro typis formandis ut sequitur; & primò quidem fac mixturam è farina & cineribus cribratis, quam inter duo ligna æqualia extendito, ut moris est extendere pastam è farina & butyro confectam pro artocreatibus & scriblitis crassitie speculo fundendo correspondentia. Deinde impone circinum & designa pro lubitu mensuram, quam cultro exscinde, & globo impone, ipsique adsperge calcem vivam è linteolo vel cribro, & superimpone argillam optimè præparatam cum crinibus, duorum digitorum latorum transversorum crassitie: Etsi frustum ingens, oportet imponere fila ferrea transversim, typum confirmantia, ne incurvetur vel frangatur. Postea solis vel ignis calore indurata parte unà, aufer totũ illud à globo & impone cavitati alicui, cui ubique rite incumbat, & oppositæ parti etiam adsperge calcem vivam vel carbonum pulverem, atque huic superimpone alteram typi partem, denuóque Solis vel ignis calori expone paulatim exsiccandam, ne rimas contrahat. Quo facto aufer extremitates, partes illas typi constituentes, ab intrinseco illo sive intermedio, quas sibi invicem oppone partibus interioribus

bus per distantiam ad minimum manus latæ transversæ, & interpone in principio paucos quosdam carbones vivos, ad omnimodam typi indurationem, quibus alios superimpone nigros, atque his alios postea sed sic consequenter usque ad summitatem, ut probe candeant parte læviore. Etsi typi essent ingentes,& admodum crassi,unus ignis non sufficiet, & oportebit plures adjicere carbones, donec interioribus partibus exactissime candeant: postea paulatim extinguatur ignis, ut refrigescant typi, sed non omnimodò, eatenus nimirum ut attrectare possis; & subito illine subtilissime cribratum cinerem aquâ mixtum cum penicillo,ad claudendas rimulas ob crinium combustionem exortas, typosque lævigandos. Tandem compone iterum utramque partem (postquam prius in illis foramen formaveris pro infundibulo) mundam nimirum cavendo ne quid impuri incidat, cautéque colliga filis ferreis vel cupreis; & optimè luta junctura argillâ cum crinibus præparatâ; & impone infundibulum terreum, typumque arenæ siccæ ad summitatem usque: Oportet autem quoque interea temporis quando typum cremas & præparas, mixturam metallicam liquefacere,quo typo adhuc calenti infundatur. Metallo probè liquefacto injice linteolum cereum, quo flagrante effunde metallum liquefactum in typum calentem, cavendo ne carbones vel aliquid aliud incidat in crucibulum, & cum metallo effundatur in typum perdens speculum. Postea permitte ut sponte refrigescat speculum in typo, si materia non sit tabescens refri-

frigescens. Etsi materia esset tabescens in refrigeratione, quæ nimirum diminueretur, oportet ut evestigio è typo eximatur speculum fusum, & cooperiatur vase terreo vel ferreo calido ut refrigescat sub illo, quod aliàs refrigescens incluſum typo tabescere non valens in particulas confringeretur. Paulò post verò percipies, qualia sint illa tabescentia metalla.

Atque hic est modus fundendi communissimus & usitatus & quidem optimus, si modò es exercitatus. Sunt & alii modi. 1. Ubi typi conficiuntur è ligno vel plumbo speculo consentanei imprimendi arenæ, farinæ tegularum; vel terræ alicui subtilissimæ, uti moris est apud cuprarios; atque hic modus saltem inservit speculis minoribus.

Tertius modus omnium optimus, sed difficillimus inexercitato, est qui sequitur. Fac typum cereum cum cylindro collocandum inter duo ligna, sicuti supra dictum de Modo primo, quem superimpone globo conformationis gratiâ, & permitte in frigido ad duritiem pervenire: postea aufer, & cum penicillo sequentem illine mixturam; quam in umbra fac ut exsiccetur; deinde applica argillam cum crinibus præparatam crassitiei unius vel alterius digiti lati transversi. Postea sequenti modo auferiterum ceram è typo terreo; fac foramen rotundum in typo terreo cum cultro ad ceram usque perveniens, quo facto colloca propè ignem carbonum, foramine deorsum vergentem typum, & cera liquescens effluet è foramine; in quem calentem, (non crematum) effunde metallum, &c.

Opor-

Oportet linimentum illud, quod illinitur ceræ optime esse præparatum, ne dum liquescit cera, decidat & unà cum cerâ effluat, nec cera penetret typum terreum ipsumque perdat: sequitur nunc linimentum. Crema argillam optime lotam in furno figulino usque ad rubedinem; postea tere, & subtilissimam ejus partem aufer aquæ ablutione, ita ut accipias pulverem subtilissimum & impalpabilem; quem sicca, denuóque crema igne fortissimo: postea contere illum pulverem cum aquâ pluviali & sale armoniaco sublimato super lapide, sicuti pictores suos colores præparare solent, & ad justam consistentiam redige picturæ convenientem; & erit parata mixtura. Sal armoniacus retinet pulverem illum subtilem, ne effluat cum cerâ: terra verò præparata fusionem reddit teneram & subtilem.

Mixtura metallica pro materiâ speculi.

HArum mixturarum sunt variæ, quarum unà semper melior alterâ; quæ quo durior eò melius speculum, quo enim durius metallum eo rectius melius que politur. Nec sufficit durities mixturæ, sed requiritur etiam ejus albedo: Rubra enim, à cupro nimio profecta; nigra à nimio ferro, vel obscura à nimio stanno profecta, non facit veras rerum repræsentationes sed mutat rerum species & colores: e. g. nimia cupri quantitas reddit species justo rubriores; & sic de cæteris. Esto igitur mixtura metallica albissima. Sed si specula

ustio-

ustionis solummodò gratiâ conficiuntur, nihil interest cujuscunque sit coloris, si modò dura sit mixtura. Vnam igitur ex optimis apponam: ℞. Laminarum cuprearum tenuissimorum, in particulas redactarum part. Vnam, Arsenici albi ½. laminas primo humecta liquore salis tartari, & fac stratum super stratum cum laminis & Arsenico pulverisato, hoc illis adspergendo, donec crucibulum repleatur; quibus affunde oleum lini, quantum nimirum sufficit ad cooperiendum cuprum & arsenicum: quo facto applica operculum cum optimo luto, postea colloca crucibulum (luto exarefacto) in arenâ, ita ut saltem promineat suprema pars operculi, & administra ignem paulatim, primo quidem parvum, secundo fortiorem paulatim & successive, donec adeò incalescat arena, ut omne evaporare possit oleum; & interea temporis oleum præparabit cuprum, arsenicumque retinebit, & in laminas intrare faciet instar Olei penetrantis corium siccum. Vel colloca crucibulum sub crate aliquâ, & superimpone ignem, quem paulatim administra, donec in coctione evaporet oleum. Postea ubi omnia refrixerint frange crucibulum, & invenies cuprum diversimode coloratum, cum primis si loco arsenici auripigmentum acceperis, duplo vel triplo magnitudine auctum, & friabile. ℞. Hujus ♀. part. 1. Orichalci part. 2. funde celerrimo igne, & primo quidem orichalcum, cui postea adjice cuprum illud friabile; mixta & fusa effunde, & habebis metallum durissimum, limæ inobediens, non tamen adeò fragile, sed instar

chalybis, è quo varia formari possunt, servientia loco ferreorum instrumentorum sive chalybeorum. ℞. Hujus metalli duri part. 3. stanni optimi part. 1. plumbo carentis, funde & effunde, & erit parata materia speculorum. Hæc mixtura est metallum durum & album, optima faciens specula; Sed hic si tibi labor videtur tædiosus, accipe cupri part. 3. & stanni part. 1. Arsenici albi part. ½. pro materia speculorum, quæ quidem elegantia, sed fragilia tam in fusione quàm lævigatione, quare cautè tractanda.

Aliquid observatu dignum hìc apponere oportet à pauciſſimis obſervatum; falsa nimirum plurimorum, cumprimis illorum qui scientiam sibi attribuunt, opinio de metallorum proprietatibus. In secundâ parte (ubi de spiritibus subtilibus) mentio facta pororum metallorum, testatur enim experientia, spiritus illos subtiles, utpote cornu Cervi, tartari, fuliginis, capillorum, nec-non quandoque sulphureos illos salium & metallorum, evaporare per vasa stannea: Id quod prima vice quilibet capere nequit, quorum gratiâ hic discursus instituitur.

Fac globulos duos è cupro, & duos è stanno puro plumbo non permixto, unius ejusdemque formæ & quantitatis: quorum globulorum pondus exactiſſime obſerva. Quo facto denuo funde prædictos globulos in unum, & primo quidem cupreos, quibus liquefactis adjice stanneos, ne multum à Jove evaporet in fusione; & statim iterum effunde mixturam liquefactam in typum globulo-

bulorum primorum, & non prodibunt quatuor, sed vix tres numero globuli, pondere 4. globulorum reservato. Si igitur metalla non sunt porosa, unde quæso proficiscitur magna illa alteratio magnitudinis? Quare scito porosa esse secundùm plus minus metalla: aurum habet poros pauciſſimos, plures habet argentum, quo plures Mercurius, Mercurio plumbum, plumbo cuprum, atque hoc ferrum, stannum omnium habet plurimos. Si metalla possemus destruere; iterumque destructa de potentia in actum educere, utique tam porosa amplius non futura. Et sicuti puerulus absque correctione ineptus redditur ad quamvis bonitatem; correctus autem omni virtutum & eruditionum genere imbuitur: ita etiam de metallis intelligendum, quæ relicta in naturali suo statu, è terra nimirum eruta, absque correctione & emendatione, permanent volatilia, corrupta verò & regenerata nobiliora redduntur, sicuti & corpora nostra destructa & corrupta, aliquando clarificata resurgent, antequam veniant in conspectum divinum. Quare rectiſſimè dixit Parac. quod in unâ hora si centesies destruerentur metalla, absque corpore tamen esse non possint, novam speciem & quidem meliorem reassumptura: *Vnius* enim (ut rectè dictum) *corruptio*, *alterius regeneratio*: Est enim corporis sulphurei superflui mortificatio, animæ Mercurialis regeneratio. Siquidem sine destructione metallorum perfectio fieri nequit. Quare metalla destruenda & informia reddenda, ut postea inde, sulphure terrestri superfluo combustibili

separato, pura puta species Mercurialis pullulare possit: De quâ re plus de amausis.

De Speculorum Lævigatione & expolitione.

SPeculum etsi exactissimè fusum & proportionatum, nullius tamen est valoris, rite scil. non expolitum & lævigatum; facile enim in lævigatione parte aliquâ, jacturam aliquam pati potest sibi noxiam. Oportet autem ab illis auferre primò partem crassiorem rotæ beneficio, uti moris est apud stannarios & cuprarios, cum lapide sabuloso; deinde illis admovere cotem puriorem cum aquâ, donec sufficienter attritione fuerint lævigata. Quo facto à rotâ illâ iterum auferenda specula; & admovenda rotulæ ligneæ corio obductæ, smirite subtilissimè præparato affricando, donec amplius non appareant rimulæ in torno contractæ, adepta lineam transversam. Postea alia requiritur rotula corio abducta, cui lapis hæmatites præparatus & lotus cum cinere Jovis affrictus, cui similiter ratione prædicta nimirum & secundum eandem lineam specula tamdiu admovenda, donec sufficientem elegantiam & splendorem adepta. Oportet autem ejusmodi specula præservare ab aëre humido & anhelitu; & aëre vel anhelitu infecta abstergere non quovis panno laneo vel linteo, sed corio hircino vel cervino; & quidem non obiter sed secundùm lineam illam transversam, quâ lævigata specula. Possunt etiam cum plumbo artificialiter fuso, cum smirite & aquâ attritione lævigari primò, secun-

secundò cum smirite puriore & plumbo; tandem etiam cum hæmatite & cineribus stanni. Item etiam cum cotibus, singulis vicibus alium puriorem substituendo; ubi tandem etiam splendor illis acquiritur cineribus stanni.

Pars quoque speculorum exterior, convexa, lævigari potest, quæ repræsentat species breves, & expandit radios dispersos: pars verò interior (cava) colligit & multiplicat, speciemque exserit.

Atque hæc dicta sufficiant de speculis fundendis & lævigandis requisitis ad radiorum solarium collectionem. Et quamvis è prædictâ mixturâ alia quoque speculorum genera confici possint, mirás species repræsentantia, & singularia præstantia; utpote sunt cylindrica, pyramidalia, parabolica, &c. Omittuntur tamen quia non hujus loci. Potuissem quidem illorum conficiendi rationem demonstrare, quia non exiguos labores & sumptus exantlavi in indagatione illorum præparationis & usus, si occasio ferre voluisset. Sed omnium, quotquot sunt, speculorum usitatissimum est illud, cujus præparationem demonstravimus; cujus diameter sit ad minimum 2. vel 3. spithamarum, si aliquid singulare præstare vis: quamvis unius vel alterius spithamæ copiosos etiam colligat radios, ita ut stannum & plumbum illius beneficio liquefacere possis, si rite formatum: ampliora tamen sive majora sunt meliora. Nec nimis profunda esse debent, quo radios suos longinquius ferire, & melius actiones suas sive functiones præstare valeant; habeant nimirum 20. partem vel trigesimam sphæræ,

sectione exactissimè observatâ, quæ fundamentum artis,

De Amausis vel vitris metallicis.

QUod ad vitra illa metallica, ad Alchimiam pertinentia, multum facientia ad metallorum perfectionem, & ab antiquis Philosophis honorata; intermittere nolui aliquid etiam de illis hic locorum addere, quia cumprimis facile conficiuntur per hanc fornacem.

Et quidem veteres hæc invenêre vitra procul dubio forte fortuito, reducturi corpora calcinata, conversa in vitra igne fortiore: plurima enim secreta hac ratione inventa non quæsita; sæpe enim accidit nostris laboribus, ut præter spem aliud, & quidem vel melius vel pejus inveniamus re quæsita: Et hoc etiam cum hisce vitris accidisse arbitror. Sed ut ut sit, certum est vitra illa multa nobis exhibuisse beneficia. Ait enim expresse Isaacus Hollandus, quod metalla vitrificata, in metalla reducta, reductione illa, metalla dare meliora & nobiliora, primis nimirum vitrificatis: Et quidem aurum dare tincturam; argentum verò aurum; & cuprum argentum; & sic consequenter aliorum metallorum vitra meliora in reductione dare metalla. Cujus rei veritatem testatur experientia: Et quamvis hactenus non fecerim magnum periculum in hujusmodi labore, non tamen ignoro, quod metalla in cinerem redacta mortuum, in vitrum redigendum pellucidum, absq; fructu singulariin

me-

metalla iterum reduci nequeant: unum tamen altero tractabilius metallum: Nec noſtra vitra, aurifabrorum ſunt amauſæ, amplis aliiſque ornatus causâ affixæ, confectæ additione vitri confecti ex arenâ fuſili; noſtra verò è ſuccis metallorum. Non autem negaverim virtutem vitri Veneti, vel alterius fuſilis mundificativam metallorum, cupri cumprimis & ſtanni quæ tamen comparabilis non eſt cum ſuccis metallicis. Equidem fateor ingenuè, me plus quàm vigeſies periculum feciſſe in hoc negotio, nunquam falſo: ignoro autem utrum ſuccedat in majori quantitate, quia nunquam tentavi in majore, dubitans de bonitate vaſorum retinentium vitra fuſibilia tempus requiſitum: Multum enim laboravi in ejuſmodi vaſorum præparatione, ſed fruſtra hactenus. Poterit igitur, cui datur temporis & loci opportunitas, ſeſe exercere in hoc negotio, quod jucunditatis plenum intelligenti ſive ſcienti. Maxima enim inde ſpes lucri, ſi modò tibi dantur crucibula fortiſſima. Non autem caret rationibus hæc metallorum perfectio, dum enim metallum comburitur in cineres, multum ſulphuris ejus ſuperflui combuſtibilis comburitur (uti videre eſt in plumbo, ſtanno & cupro, ex ſcintillulis nimirum apparentibus in illorum calcinatione dum agitantur, & diſparentibus) quod ſi poſtea reducitur (calcinatum nimirum) pars ejus præſtantior beneficio fluxus & gravior petit fundum, viliore ſuperiorem locum petente, tranſmutata in ſcoriam ſive vitrum. Atque hac ratione ſolius ignis beneficio fit ſeparatio metalli, ignaro & inexperto

incredibilis: Considera argentum deauratum separandum in fusione, quod quasi corrumpitur sulphure illo communi, & amissa specie metallica abit in scoriam nigram, antequam in fusione deserat aurum: quâ etiam ratione separatur argentum à cupro, & hoc à ferro. Observa etiam antimonium crudum & nigrum, quod in cineres calcinatione redactum, & fortiore igne fusum separatur, purioribus partibus descendentibus albis & puris instar argenti, impurioribus verò adscendentibus transmutatis in vitrum sive scoriam, quæ nunquam facta fuisset separatio absque incineratione, etsi diu in fluxu stetisset antimonium.

Vides igitur ignis solius potentiam in alterandis metallis, quare firmiter crede laborem tuum non frustra meum futurum, si ignem juvare noveris. Exerceas te igitur in hoc labore, sufficienter enim instructus es, & fornax hæc te juvabit, sine quâ impossibile talia tractare, teste experientia verba confirmante mea.

Facta nunc mentione amausarum, quantum pertinet ad metallorum perfectionem, aliquid etiam dicere cogor de reliquis Amausis, sive vitris coloratis, quæ dicuntur gemmæ, & ornatus causâ usurpantur. Qui etsi non utilis, jucundus tamen est labor. Quam scientiam multi hactenus tam nobiles, quam ignobiles jam diu quæsiverunt, non lucri sed recreationis gratiâ; à vera via aberrantes, (prolixè tamen descriptam in variis linguis) ex ignorantia artis cristallum vel silicem fusibilem reddentis & colorantis; Saturneo vitro contenti, confecto

fecto ex unâ parte cryſtallorum ſive ſilicum, & 3. vel 4. partibus minii vel ceruſſæ, vitro nimirum nullius momenti, utpotè non ſolum molliſſimo & politioni inepto, ſed etiam juſto graviore propter plumbum, coloris flavi vel viridis participe. Quodvis enim vitrum è cryſtallo ſive ſilice, & minio ſive ceruſſa confectum per ſe ſcil. abſque additione aliorum colorum, plumbi adipiſcitur colorem flavum, impedientem & alterantem alios admixtos colores. Non igitur hac ratione bonus è plumbo & ſilice conficitur lapis. Poſſunt autem ejuſmodi vitra Saturnia additis ipſis vitro Veneto, cinere Jovis & coloribus, diverſimode uſurpari ab aurifabris; auri nimirum colorandi gratiâ; aliàs nullius ſunt momenti.

Dabo igitur aliam præparationem è ſolis nimirum ſilicibus ſive cryſtallis abſquè nimirum minio & ceruſſâ, cum coloribus metallicis, naturalibus colore & elegantia, præſtantiorum lapidum; vitro tamen non duriorum: Etſi enim Cryſtallus durior vitro, fuſione tamen privatur ſua duritie aliqua ex parte, & vitro redditur ſimilis, tanta tamen duritie reſervata, quanta ſervit ipſi inſcriptionis gratiâ in aliud vitrum. Quæ vitra facilè poliuntur, in omnibus & per omnia ſimilima, duritie excepta, naturalibus lapidibus; quibuscum non ſolum varii generis lapides confici, & alia opera aurea, argentea, lignea & picta ornari poſſunt; ſed etiam varia ſupellectilia, utpotè ſalina, manubria, pocula, &c. Nec-non imagines & antiquitates formare ad imitationem (fuſione nimirum) auro, argento & la-

pidibus impressarum, similimas manu exsciſſis artificis ingeniosissimi è gemmis, & jucundissimas.

Conficiuntur autem hoc modo: Et primò quidem oportet ut tibi prospicias de cryſtallis vel silicibus non coloratis, sed albissimis, ex arenâ vel rivulis colligendis, quos in crucibulo cooperto candefacere oportet, candentesque in aquâ frigidâ exstinguere, ut fatiscant & pulverisari possint; alias enim ob duritiem dum pulverisantur, aliquid à Mortario ablaturi & proin inquinabuntur; operæ igitur pretium est ob elegantiam ut ritè tractentur. Postea &c. Silicum præparatorum & salis tartari purissimi, confecti in fictilibus vitreatis, non autem in cupreis aut ferreis vasis, partes æquales, misce & serva ad usum.

Et si vis hanc massam redigere in gemmam, oportet prius admiscere colorem aliquem (desideratum nimirum) postea in crucibulo mundo cooperto, ad medietatem vix repleto, tamdiu in maximo collocare igne, donec omne sal tartari evaporaverit, & silex unà cum colore in substantiam aliquam vitro similem abiverit fusibilem: oportet quoque subinde immittere filum ferreum mundum, & paululum massæ fusæ exstrahere, experimenti gratiâ; utrum nimirum satis diu steterit in igne; utrum adhuc in ea appareant pustulæ & arenulæ; vel utrum exactissimè fusa descenderit ad fundum. Quo facto auferre crucibulum oportet, & collocare sub vase aliquo candente ferreo vel terreo, ut ibi refrigescat unà cum lapide fuso; aliàs enim massa in crucibulo in minutissimas particu-

las

las confringeretur, atque adeò inepta redderetur operibus majoribus inde exscindendis: Nec oportet massam fusam effundere, propter periculum attractionis aëris, & pustularum inde oriundarum. Volens verò è massa illa formare nummos & imagines fusionis beneficio, non excissionis; non opus habet permittere massam in crucibulo refrigescere, sed jam in igne perfectam calentem effundere in mortarium cupreum, & nihil adhæresset crucibulo, sed tota absque jacturâ effundetur massa: Atque hanc massam si vis poteris vel pulverisare vel confringere in minutissimas particulas, fusionis & impressionis gratiâ. Massa verò in crucibulo refrigerata; fractione crucibuli eximenda, & in lapillos majores vel minores scissionis beneficio redigenda. Fusurus verò nummos & imagines, oportet collocare nummum vel imaginem, quàm imitari vult, cum dorso, sive parte posteriori, deorsum in annulo ferreo, digito lato transverso uno, capacitate majore nummo; super lapide vel ligno aliquo plano, & imagini adspergere parum terræ trippolæ vel arenæ subtilissimæ per linteolum, quantum nimirum sufficit ad tegendum typum, atque huic superimponere aliam optimam humectatam aquâ ad instar cinerum cupellarum, tenacissimam eamque typo firmiter, cautè tamen, ne loco moveatur typus, imprimere: Quo facto oportet vertere annulum, & cultello parum elevare typum, elevatumque auferre manibus vel forcipula, relicta imagine in arena, exsiccanda calore solis vel ignis. Fusurus postea imaginem, collocet annulum

lum cum imagine arenæ impressa sub tegula, fortemque administret ignem, ut annulus ubique totus unà cum arenâ & imagine arenæ impressa probè candeat: Postea eximat annulum visum, utrum imago aliquam perpessa jacturam; quam si non perpessa, oportet superimponêre tantum vitri supradicti crassiusculè triti, quantum sufficit in fusione ad replendam imaginem arenæ impressam; quo facto oportet denuò annulum collocare sub tegula, & fusionis administrare ignem, donec nimirum vitrum in annulo liquescat; cui tunc admovere oportet ferrum planum & læve manubrio præditum, calens sive candescens, annulo prius è furno extracto cum forcipe, Vitrum typo optimè imprimendo; & tandem sub vase terreo vel ferreo candente collocare refrigerationis gratia; factâque refrigeratione auferre imaginem à typo, quæ typo in omnibus, si ritè processeris, correspondebit, cælatoris artificium exactissimè repræsentans, vel sigillum gemmæ impressum: quod sanè egregium artificium antiquitatibus & raritatibus repræsentandis & fingendis aptissimum.

Sequitur coloratio prædictæ massæ, quâ similima redditur gemmis.

COlores à metallis desumptos esse oportet & mineralibus, cupro nimirum, ferro, auro, argento, VViśmutho, Magnesiâ & granatis: De reliquorum coloribus nihil habeo certi. Cuprum commune dat colorem maris instar viridem: cuprum

prum è ferro graminis instar viridem: granati Smaragdinum : ferrum flavum vel hyacinthinum : aurum cœruleum optimum : VViſmuthum cœruleum communem: Magneſia amethiſtinum. Mixta dant colores alios ; e. gr. aurum cum argento mixtum dat colorem amethyſtinum: ferrum & cuprum dat colorem ſubviridem ſive pallidum : Wiſmuthum & Magneſia purpureum : Argentum & Magneſia dat varios colores opalum referentes.

Conficiuntur quoque imagines diverſorum colorum, ſi nimirum diverſorum colorum maſſæ in particulas confringuntur, mixtęque typo ſuperimponuntur, &c. Etſi maſſam (viridem, rubram, cæruleam &c.) opacam deſideras, adjice parum calcis Jovis obſcurantis, cui tanquam baſi colores inſiſtunt. Exempl. gr. facturus lapidem Turcoitem, vel lap. Lazuli, admiſceat colori cœruleo confecto è marcaſitâ argenteâ, vel ex Zaforâ (maſſæ colorandæ gratiâ) calcem Jovis, ut unà fluant, & priuſquam fiat impreſſio, ſuperimponat typo aliquid auri præparati, diſperſim ſcil. atque huic vitrum prædictum ; & factâ fuſione & impreſſione fiet inde lapis præditus venulis aureis ad inſtar lapidis Lazuli, jucundiſſimus: oportet autem eſſe auri calcem, ſplendorem ſuum in igne non perdentem, qualis eſt per Mercurium facta, vel illa, quæ melior & ex aq. reg. præcipitatur, de quâ ſupra.

De

De præparatione colorum pro massa silicum & crystallorum colorandâ.

CUpri laminæ sæpius candefactæ in aq. frigidâ extinguuntur, de quâ re plus in Parte Quinta: Ejus gr. 3. 4. 5. 6. admiscentur unciæ 1. massæ pro colore maris instar viridis. Ferrum redigitur in crocum reverberatione: cujus gr. 4. 5. 6. 7. 10. ad unc. 1. Massæ adjiciuntur pro colore flavo vel hyacinthino. Argentum solvitur in aq. fort. & præcipitatur cum liquore silicum, edulcoratur postea & exsiccatur, cujus gr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. ad unc. 1. Massæ adjecta dant colorem, dant colores mixtos.

Aurum solvitur in aq. reg. edulcoratur, & siccatur, præcipitatum prius cum liquore silicum. Cujus gr. 4. 5. 6. 7. usque ad ℈ß. admixta ad unc. 1. Mas. dant Sapphirum elegantissimum. Etsi gr. 3. 4. 5. 6. Rubini illius solubilis facti ex auro & regulo Martis nitroso adjiciuntur ad unc. 1. Massæ, dant Rubinum elegantissimum. Magnesia pulverisatur, cujus pulveris gr. 6. 8. 10. 14. ad unc. 1. Massæ dant Amethistum.

Marcasita argentea solvitur in aq. reg. præcipitatur cum liquore silicum, edulcoratur & exsiccatur. Cujus gr. 1. 2. 3. 4. 5. ad unc. 1. Massæ admixta dant quoque Saphirum, sed elegantiâ non comparabilem facto cum auro.

Nolens autem calcinare Marcasitam accipiat Zaforam, & admisceat ad unc. 1. gr. 5. 6. 8. 10.

Granati

Granati Bohemici vel Orientales pulverisantur,& ad ℥j. Massæ adjiciuntur gr. 6. 8. 12. usque ad scrup. 1. pro lapillis viridibus naturalibus Smaragdis similimis: Cætera per experientiam discenda, quæ supersunt de colorum mixtione.

Quibus autem usibus crystalli & silices colorati destinati non est hujus loci tractare; unico excepto usu, quem hic apponam oculorum gratiâ, qui debilitantur à nimiis vigiliis, calore ignis & fumo: Fac ut habeas typum cereum circulariter rotundum, magnitudinis disci vel orbis (Optici tales *lentes* vocare solent) cui applica argillam optimam capillatam: typo cereo illine oleum, & exactissimè applica optimam & in igne durabilem terram præparatam crucibulorum unius digiti crassitie, quam exsiccatam perfora aliquâ ex parte, ut cera ad ignem liquefacta effluere possit: postea crema typum in furno figulino; crematum replere oportet vitro præparato, & in furno ventoso collocare donec vitrum liquescat? quo denuo refrigerato, typum auferre iterum attritionis beneficio; & accipies crystallum typi formam referentem; quam postea in patinâ ferrea instar perspiciliorum ex utràque parte elaborare & lævigare oportet; Elaboratamque filo ferreo forti excipere sive obducere; & habebis lentem opticam crystallinam exiguis sumptibus comparatâ, quæ aliàs vix tantę magnitudinis è crystallo conficitur. Et si vis poteris vitrũ viridi colorare colore, visui gratissimo, ipsique accommodare pedem majoris commoditatis gratiâ. Facit autem in hoc vitrum non solum ad

lumi-

luminis tempore nocturno multiplicationem, ut procul aliquid videre possis in camerâ, sed etiam ad mineralium fixationem & calcinationem beneficio radiorum solis, metallorumque fusionem & picturarum multiplicationem ad instar speculi concavi, nec-non ad alios usus, ita ut ritè elaboratum meritò comparem cum speculo concavo; quia idem præstat justæ magnitudinis, quod Speculum concavum: nec ulla alia est eorum differentia quàm reflexio.

Alia quoque ratione conficitur ejusmodi instrumentum vitreum, & quidem minoribus & sumptibus & laboribus; si nimirum è vitro speculari lævigato, exscinduntur 2. orbes circulariter rotundi & magni cum adamante, & in fornacula appropriatâ super lapide exactissimę rotunditatis formę, sicuti de speculo concavo dictum, paulatim igne emolliuntur, & tamdiu ibi. in calore relinquuntur, donec instar ceræ sese arctissimè lapidi junxerint: quo facto, fac ut paulatim iterum refrigerentur: qui postea exempti speciem repræsentabunt speculi concavi, quibus etiam parte convexa folium accommodari potest. Præstant autem hujusmodi vitra idem quod præstat speculum concavum metallicum; reflexione exceptâ, quæ non adeò eminens est sicuti speculorum concavorum: vitra autem hæc etsi citius frangantur quàm specula, aptissima tamen sunt ad sequentis instrumenti confectionem.

Colligantur autem fili fortioris beneficio transversim applicandi parte nimirum concava; & exscin-

ſcinditur in margine foramen cum adamante, lateris unius, magnitudinis piſi majoris, cui applicatur cochlea ſtannea; poſtea exactiſſimè ubivis locorum clauduntur juncturæ luto optimo appropriato: quo facto circumcirca applicatur faſcia argentea vel cuprea, vitra illa ſtrictiſſimè continens ſive complectens, ita tamen ut pedi accommodari poſſit inſtrumentum. Quibus omnibus ritè peractis ſeparantur iterum ſive abſcinduntur fila illa fortia, quibus in principio colligabantur vitra, propè nimirum faſciam illam cupream: poſtea infunditur aquâ vitæ clariſſima per infundibulum, quantum nimirum requiritur repletioni. Inſtrumento repleto clauditur cochlea; quod ad uſus ſuos reponendum. Præſtat autem hoc idem inſtrumentum, quod ſpeculum concavum; cumprimis ſi in diametro habeat latitudinem unius pedis, & adhibeatur picturis perſpectivis, egregiè exhibet & repræſentat illas & multiplicat.

Cui ſi à tergo collocatur candela tempore nocturno, tantum lumen & ſplendorem dat in conclave, ut à ſole profectum eſſe putes. Præſtat etiam alia, quæ hic ceu ſupervacanea omittuntur. Poteſt quoque ejus beneficio nocturno tempore lumen diſperſum ex aëre colligi, ita ut etiam ſcripturam minutiſſimam legere poſſis.

Talia & alia plura hujus fornacis beneficio perpetrari poſſunt, quæ omnia & ſingula apponere non opus, ob nimium libri incrementum. Reliqua de metallorum fuſione, examinatione & purificatione, fortè dabuntur alibi.

Accipe igitur nunc benevolo animo, Lector, quod tibi datur, dabitur aliquando melius; & noli in sinistram partem vertere mea scripta, ac si reprehenderem veterum metallorum examinationes, fusiones & separationes, qui saltem meam experientiam communicare volui, ansamque dare rem altius perpendere. Non enim ignoro mineralium tractatores minoribus illis nimiam fiduciam adhibentes probis, quando nimirum nihil inveniunt, mineras comtemnere ceu steriles, abundantes sæpè auro & argento: Cum tamen M. Iohannes Mathesius perhibeat expressè in suâ Sareptâ, mineras sæpè numero in parvâ quantitate probatas nihil auri vel argenti dare, quæ tamen in majori abundè elargiantur: Quarè non semper adhibenda fiducia Probis ejusmodi, decipientibus sæpè numero teste experientiâ.

Non autem solum hoc accidit in mineris illis quæ effodiuntur è terræ cavernis; sed etiam in mineralibus illis argillosis & arenosis, flammis aureis & argenteis abundantibus; è quibus nec minoribus nec majoribus probis, nec ablutione nec per Mercurium, aurum dispersum, rarum & flammeum vix elicitur cum fructu; quod tamen via facili sine igne elicitur beneficio aquarum quarundam. Scio namque, reperiri talia propè plurimos Germaniæ, aliarumque nationum Europæarum fluvios, è quibus facilè honestum lucrum sine magnis sumptibus nimirum & laboribus impetrari potest. Nec sunt somnia, quæ dixi parabolicè de Metallorum perfectione, possibile enim per artem

juvare

juvare naturam in rebus perficiendis. Nullâ igitur re magis opus quàm scientia; cognita igitur metallorum naturâ, cognitisque proprietatibus illorum, facilè separantur illa, purgantur & perficiuntur.

Quod autem de *Medicinâ* illâ *Vniversali* scripserim, feci propter causas & rationes prædictas, quæ me talem esse credere fecerunt; non ut professor artis. Reliqua de vitris illis coloratis & speculis propterea addidi, quia facilè per hanc parantur fornacem, utpotè quandóque necessariis in quibusdam laboribus. Cætera de Metallorum tractatione non sine causâ omissa nunc, quæ fortè fortuito aliquando dabuntur alibi. Quarè finem faciemus.

FINIS.

INDEX

Rerum Præcipuarum

PARTIS QUARTÆ.

DE Exſtructione fornacis. 3
De fuſione metallorum & mineralium. 16
De ſeparatione metallorum viliorum 21
Quid de emendatione metallorum ſentiendum 23
Alia Demonſtratio per viam ſiccam 34
Quid de Philoſophorum Lapide ſtatuendum 44
Vtrum mineralia utpotè
Antimonium, Arſenicum,
Auripigmentum, Koboltum,
Zincum
Sulphur, &c.
Convertibilia in metalla, & qualia 48, 49, 50. *&c.*
De Tinctura ſolis & Antimonii. 54
Alia auri tinctura & Medicina. 59
De Speculis. 60
De Mixtura metallorum requiſita ad ſpecula conficienda. 64
De lævigatione ſpeculorum. 68
De Amauſis, ſive metallorum vitris. 70

De

De coloratione massæ prædictæ, quâ similis redditur gemmis. 76
De præparatione colorum colorantium massam silicum & crystallorum. 78

Finis Partis Quartæ.

FORNACUM PHILOSOPHICARUM,

PARS QVINTA.

Ubi agitur de natura Quintæ Fornacis mirabili ; ut & de instrumentorum & materialium ad prædictos 4. Furnos pertinentium, præparatione facili.

Vtilissima Medicinæ Hermeticæ sectatoribus.

Per

JOANNEM RUDOLPHUM GLAUBERUM.

AMSTERODAMI,
Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM,

cIↃ IↃC LI.

DE PRÆPARATIONE FORNACIS.

HAnc quod attinet, cujus etsi nullam in præfatione mentionem feci, non enim animus erat ejus in ultimâ meminisse parte, quia saltem decreveram agere de instrumentis tam terreis quàm vitreis, nec-non aliis rebus necessarijs pertinentibus ad 4. illas partes præmissas; volui tamen nunc in hâc parte, quam commodissimum ejus locum judicavi, cui antea alium designaveram, illius naturam detegere mirabilem, quantum fieri quidem licet, in gratiam artificis studiosi. Et quamvis hâc in parte plures, quàm omnibus alijs meis scriptis, cumprimis ignaros & imperitos, offensos iri non ignorem; non tamen propterea intermittam, mihi certo persuasus, hâc ratione me facturum opus, artis & naturæ scrutatoribus gratissimum & acceptissimum. Sancte enim affirmo, hoc omnium meorum secretorum, spem aliquam mihi facientium, esse electissimum, in quo mirabilia vidi hactenus, spe fretus benedictionis divinæ cœlitus impetrandæ tandem aliquando in illius practicâ. Et quod ad structuram ejus, non multum de eâ dici potest, quia non ut aliæ exstruuntur fornaces, sed ubivis à naturâ exstructa reperitur, nullis aliis, quàm naturæ operibus destinata, menstrui alicu-

jus gratiâ nimirum conficiendi, sine strepitu solventis aurum, argentum & cætera cuncta metalla & mineralia, lapides pretiosos & alios communes, nec-non vitrum: cujus origo fornax origo menstrui. Qualis autem & quænam sit illa fornax producens Menstruum illud Regium (à menstruo ipso profecta) & quidem facile sine omni labore; conjecturari licet facile, non esse communem aliquam cujus beneficio res aliæ destillantur, elargientem menstruum ejusmodi non corrisivum: quod certè non est menstruum aliquod commune, quia hoc unicum est illud menstruum, quod scio, quod corrosivæ qualitatis non particeps, plura præstans quàm omnes & singulæ reliquæ aquæ corrosivæ. Omnes enim quotquot sunt corrosivæ, utpote aq. fortis: aq. reg. sp. vitrioli, salis, aluminis & nitri; non valent simul & semel auri & argenti dissolvere compagem, aliorumque durissimorum subjectorum insolubilium in aquis etiam maximè causticis.

Quod sanè mirum & stupendum, quod res ubivis reperta, vilissima & abjecta tantum præstare possit miraculum. Nescio quid me moverit hâc de re scribere, non ignorantem, me offensurum scientes non modo hâc in parte nimis aperte scribendo, sed etiam ignorantes obtrectatores & calumniatores, mendacij me accusantes. Atque hæ meritò me deterruissent rationes, nisi bonum opus me facturum scivissem, multos ab erroribus suis revocaturum. Plerique enim persuasi, sibi non esse aliud præter prædictos spiritus corrosivos,

vos, menſtruum ſolvens, naturam ignorantes Chymici; Philoſophis tamen unanimiter clamantibus, ſterilem perpetrare metallorum ſolutionem ſpiritus illos corroſivos deſtructores. Teſtatur enim experientia, ſolutiones aquæ fortis, & regiæ, aliorumque ſpirituum beneficio factas, colorare manus, id quod vera non facit ſolutio illa Philoſophica, & proin teſtatur illas, manus ſcil. colorantes non adnumerandas eſſe veræ illi ſolutioni Philoſophicæ, ſed tanquam malignas contemnendas. Quare inſtructionis gratiâ hæc ſcribere volui propter errantes. Nemo igitur perſuaſum ſibi habeat menſtruum ejuſmodi vile & abjectum minoris eſſe efficaciæ ſpiritibus illis corroſivis. Ego ipſe olim vix credidi tantas virtutes ineſſe Menſtruo viliſſimo, donec re ipſâ veritatem expertus. Atque hîc idem quod paſſim & ubique locorum accidit: *Magna* nimirum *& ſplendida quæruntur, parva verò & vilia negliguntur*, contra naturæ curſum omnia ſua opera ſimpliciter perpetrantis: nemini igitur ſit offendiculo rei vilitas. Offendebantur quoque Iudæi Chriſti pauperie, qui erat Omnia in omnibus: qui etſi videbant miracula, quæ nemo niſi Meſſias edere valebat, non tamen credebant pertinaces propter ſimplicitatem ſpeciei; quam ſi non aſſumpſiſſet humanam, mediator noſter eſſe non potuiſſet coram Deo: Lapſu enim illo Adamico à Deo prorſus ſeparabamur ita ut peccatis indurati, mortis & gehennæ mancipia evaderemus & in æternum maneremus propter Spiritus ſancti

jacturam, quam feceramus. Rore autem illo divino seu mannâ cœlesti corda sicca nostra cœlitus irrorante, verbo suo salutifero sanguineque profuso nos recreante, Spiritus ille sanctus, quem aliàs nunquam recipere potuissemus, denuo communirabatur nobis. Hinc igitur videre licet, quomodo reconciliati fuerimus per hominem abjectissimum, atque id necessario. Et sicuti olim Pharisæi & sacerdotes pauperie Christi filij fabri illius lignarij offendebantur, ipsum pro Messiâ non agnoscentes; ita etiam Menstruum illud Universale, (palam nominatum) nemo æstimaturus, utpote abjectum & ubivis in stercore repertum. Noli autem vertere mihi vitio, quod hic *Christi* allegaverim *pauperiem* & *humiliationem* : non enim hic in ejus despectum vergit discursus, sed in ejus summum honorem; quia ille solus poterat inter filios hominum, quantumvis abjectissimus, è potestate Diaboli liberare genus humanum; quemadmodum Mercurius ille universalis, subjectorum omnium abjectissimum, à morte superatus, iterum glorioſe resurgit in salutem generis metallici.

Non autem immerito hic locorum introducuntur nonnullæ similitudines demonstrantes hunc nostrum discursum; & quidem primo quomodo duo contraria sive extrema absque medio copulari nequeant: e. gr. Spiritus vini, ut & urinæ subtilissimus, reüniri nequit sali proprio, factâ nimirum separatione & purificatione, quantumvis sint unius ejusdemque originis, sine medio,

id est

id est aquâ, quæ loco mediatoris in hâc reünione. Sic etiam ante lapsum Deus erat cum Adamo, postea factâ transgressione mandati divini, divinâ illâ societate privato, ac proinde variis ærumnarum generibus, æternæ & temporali morti obnoxio, usque ad incarnationem Christi mediatoris, qui nisi utriusque naturæ fuisset particeps, nunquam nos potuisset reconciliare & reünire; quemadmodum spiritus ille vini vel urinæ subtilissimus nunquam iterum cum sale suo fixo proprio reüniri nequit absque aquâ utriusque naturæ participe. Et si liceret, utique facile possem comparare opus illud Philosophicum cum incarnatione & nativitate Christi, cum ipsius vitâ & morte, ut & resurrectione; sed jam non opus est temporis, sufficit enim hujus rei mentionem feciſſe. Utinam liceret terrestria cum cœlestibus comparare miraculis, sine dubio Thomas ille incredulus oculos aperturus esset; sed nunc non licet; & quamvis Moses, Daniel, Josephus & alij *naturalis Philosophiæ & Magiæ*, cujus beneficio tam cælestia quàm terrestria cognoscuntur miracula, non ignari, in suis scriptis hujus rei mentionem fecerint, à pauciſſimis tamen observatur lectoribus. Finaliter Deum omnipotentem, demonstrare scil. si liceret vel tempus admitteret, non semper grandia æstimare, sed potius ruinam illis minari; non enim est personarum sive creaturarum respector, cujus rei multa exstant exempla. Mundus verò omnia perperam judicat, æstimans & respiciens solum-

modò splendida; id quod non curandum. semper enim Maxima perpetrantur ferè à minimis.

Potuissem plura alia addere de origine nimirum Menstrui illius Universalis abjectissimi, de viribus ejus & virtutibus amplissimis, cuncta solventis radicaliter metalla, mineralia & lapides sine strepitu, unientis & figentis, cujus solutio manus non colorat; conjunctio inseparabilis, & fixatio incombustibilis; nisi me deterrerent incommoditates, quas mihi hâc ratione ipse procurarem, invidia quoque aliorum & odium. Etsi enim aliquis cogitat artis & naturæ possibilitatem detegere; pauci tamen illâ contenti, desiderio flagrantes omnimodæ revelationis, quorum, si ijs non gratificamur, odium & invidia nos sequitur vestigio; qui longè aliter sine dubio judicaturi essent rem, si modo aliquam haberent laborum nostrorum experientiam. Contentus igitur esto nunc, benevole Lector, hoc discursu, tibi indicante artis & naturæ possibilitatem; & diligenter ipse quærito in timore Dei, & sine dubio labor tuus non erit incassum.

De Exstructione Fornacum.

QUomodo fornaces illæ, Primæ & Secundæ Partis exstruendæ & conficiendæ ex argillâ & lapidibus, non opus est multa dicere, quia multi extant libri hâc de re copiosè tractantes, hæc tamen cautela est observanda in exstructione fornacum, fornaces nimirum illas in quibus ignis vehe-

vehemens, non accenditur, muris non indigere adeò robustis, quemadmodum illæ in quibus igne destillatur, sublimatur & funditur fortissimo. Et quidem quod attinet Fornaces sublimatorias & destillatorias, poteris illas erigere è lateribus illis vulgaribus coctis optimo lutò rite junctis, robustissimis muris cinctas, caloris gratiâ diutius retinendi; alias enim continuo habes quod agas in illis emendandis rimisque claudendis, ignis regimen impedientibus: quare recte annulis sive copulis ferreis cinguntur ne fatiscant ob durabilitatem nimirum. Quod verò attinet fornaces fusorias, lateres illi prædicti nihil prosunt in constructione fornacum illarum, quia non durabiles in igne liquescunt: quare alios conficere oportet è terrâ optimâ & in igne fixâ, qualis est crucibulorum &c. de quibus postea; beneficio typorum æneorum vel ligneorum formandos & cremandos, & quidem vel rotundos vel quadratos, habitâ nimirum ratione Fornacis, quorum 6 vel 8 faciant unam positionem. Sed non opus est totam ex ejusmodi lapidibus erigere fornacem, sufficit enim, si carbonum locus ex illis conficiatur saltem, reliqua autem fornacis pars è lateribus vulgaribus.

Lutum pro fornacibus erigendis.

MUltifariam hujus rei causâ parari potest argilla; aliter enim atque aliter hic vel ille suum præparat lutum. Alii admiscent argillæ cribratæ capil-

capillos pulsatos vaccarum, boum & cervorum; vel paleas hordei, floccos lini, tomentum, fimum equinum & similia, argillam retinentia & rimas prohibentia; quibus quandoque adjiciunt arenam cribratam si nimis argilla pinguis, mixturam subigentes aquâ, & ad justam consistentiam redigentes. Estque hæc optima mixtura rimis non obnoxia, fragilis tamen, quia temporis diuturnitate comburuntur pili & paleæ, quare rarescit fornax fragilisque redditur. Alii omittunt combustibilia, & argillam unà cum arenâ miscent & temperant muriâ, pro exstructione fornacum suarum. Atque hæc optima mixtura, quia non ut illa combustibilis; nec rimis obnoxia propter salem: cui negotio etiam inservit sive conducit muria carnium & piscium salsorum, quia sanguis copulationem adjuvat: sed si caput mortuum vitrioli vel aquæ fortis aquâ mollificatum, admiscetur argillæ & arenæ, tunc rectius proceditur: hoc enim lutum rimis non est obnoxium prorsus, sed fixum in igne & permanens. Hoc luto commode lutantur sive loricantur retortæ, cucurbitæ, muniantur quoque juncturæ retortarum & recipientum: quod mollificatum linteo madido applicato separari denuo potest & auferri, sicuti & illud cui sal admiscetur: reliqua autem non item sale carentia, cujus rei gratiâ sæpe franguntur vitra. Quare in defectu capitis mortui tempora argillam & arenam cum muriâ. Cæterum alii admiscent ferri scobem, vitrum pulverisatum, silices &c. sed non opus ad exstructionem

ctionem fornacum, nisi ad loricationem vitrorum quorundam separationis & destillationis gratiâ, quia ferri scobs adjuta sale arctissime vincit & copulat.

De clausurâ junctur arum impediente spirituum subtilium evaporationem.

SUfficit prædictum lutum claudendis junctu ris primæ Fornacis, ubi spiritibus non denegatur aër, non autem vasorum secundæ Fornacis, ubi destillantur spiritus subtilissimi, quos retinere nequit penetrantes cum jacturâ melioris partis; quare eligendum aliud; nisi ubi probe rectéque exaruerit ipsi illinatur mixtura cum penicillo, facta è calce vivâ subtilissimè tritâ & oleo lini; quam argilla porosa attrahens fortificatur ita ut spiritus illos subtilissimos retinere possit. Sed hoc lutum vix iterum separari potest, quia aquam respuens mollificari nequit, quare argilla saltem albumina ovorum temperanda, & cum linteolis applicanda. Oportet autem linteorum impedire combustionem ob nimium colli Recipientis æstum, interpositione alicujus tubuli vel colli terrei vel vitrei fortissimi, nimirum inter recipientem & retortam, ad prohibendam spirituum evaporationem ob luti destructionem. Iunctur æ quoque recte clauduntur vesicis bubulis albumine ovorum humectatis; item cum amylo aquâ tem-

temperato, si aliquoties applicatur papyro illitum. Hâc enim ratione facile retinentur subtilissimi illi spiritus sed non corrosivi, quibus magis convenit illud quod recidit in compositione caput mortuum aquæ fortis; quod postquam exaruerit illinendum mixturâ factâ ex oleo lini & calce vivâ.

Atque horum lutorum varia habentur genera diversis usibus destinata.

Aliud lutum vitrorum fractorum.

ACcidunt quandoque vitreis vasis utpote Recipientibus & Retortis rimæ, illæsis aliàs & integris; quæ majores redduntur vitris illis denuo ignis calorem sentientibus, quâ de causâ tandem rumpuntur & franguntur vitra; cui rei sic prævenire licet: fac linimentum sive lutum tenue ex oleo lini, calce vivâ & minio; quod linteolo illitũ applica rimæ, cui exarefacto applica aliud: quod si rima ingens, poteris applicare 3. vel 4. linteola, majoris assecurationis gratiâ. Vel poteris ovorum albumen conquassatum applicare rimis cum linteolis, & superadspergere calcem vivam cribratam subtilissimam, atque hanc illis fortiter manu imprimere: quo facto alia linteola in albumine madefacta superimponere, atque his iterum adspergere calcem vivam: quod ubi exaruerit lutum optimè retinet spiritus; citius tamen priori corrosivorum spirituum corrosioni obnoxium.

NB. Calx viva non cum albumine mixta linteolis

teolis admovenda, ſicuti nonnullorum moseſt; quia ovorum albumen duritiem acquirit à calce, antequam rite uniantur, ac proin adhæreſcere nequit, ſed linteola madefacta prius quàm adſpergitur calx viva, ita ut non immediate vitrum attingat calx viva, applicata inter duo linteola.

Quomodo retinendi ſpiritus illi ſubtiles ne evaporent præparati.

VItra illa quibus reſervantur illi ſpiritus, communiter obturantur ſubere vel cerâ, quibus poſtea veſicæ ſuperapplicantur: quæ quidem obturatio nonnullis convenit ſpiritibus, ceram nimirum & ſuber non aggredientibus: Omnes enim corroſivi ſpiritus, utpote vitrioli, aluminis, ſalis communis, nitri &c. corrodunt ſuber; ſpiritus verò urinoſi, utpote cornucervi, tartari, ſalis Armoniaci, urinæ, vini &c. liquefaciunt ceram, illamque penetrant.

Etſi fieri poſſent alia obturacula, utroſque ſpiritus retinentia, tædioſum tamen eſſet vitra toties cum labore aperire, iterumque occludere: Quare inveni appoſitam vitrorum ſpeciem, vitrorum nimirum, quorum orificia diſtinctionibus prædita apta ſint recipere ſua opercula; uti apparet ex delineatione: A. ſignificat operculum. B. vitrum ſpiritum continens. C. attractorium, cujus beneficio è vitro attrahuntur ſpiritus tempore neceſſitatis. Diſtinctioni in margine orificii, vitri nimirum continentis ſpiritum, imponitur Mercurius


A
C
B

curius currens, atque huic ſuper imponitur operculum; quo facto Mercurius juncturas utriuſque vitri in margine currens exactiſſime claudit, ita ut nihil omnino evaporare poſſit; ſpiritus enim Mercurium non penetrant; niſi admodum corroſiyi fuerint, (id quod notandum) qui temporis progreſſu Mercurium in aquam convertuni, ſed rariſſime; quare tunc renovandus Mercurius. Sed non opus corroſivis ſpiritibus tantum exhibere honorem, utpote volatilibus illis non comparabilibus, qui à corroſivis abſtracti Mercurium non aggrediuntur; atque his multo minus corrodunt Mercurium ſpiritus illi urinoſi; quorum cumprimis gratiâ hæc inventa vitra; quorum beneficio ſpiritus etiam ſubtiliſſimi, abſque ullâ virium jacturâ, & quidem prò lubitu quam diutiſſimè conſervantur & retinentur. Et quia in caſu neceſſitatis effundi nequeunt ſpiritus propter Mercurium in margine; oportet ut tibi proſpicias de attractorio vitreo ad inſtar illius, cujus beneficio è doliis attrahitur vinum, magnitudinis autem minoris; prædito ventriculo cum oſculo ſive orificiolo accuratiſſimo. Quo immiſſo tantum attrahitur pro lubitu, quantum nimirum opus; cujus ſi digito obturatur orificium, ſuperius nihil inde effluit: attractum in aliud vitrum parvulum inde pro uſu effunditur: Poſtea ſpiritum reſiduum in vitro iterum cooperire oportet; & toties quoties opus, tantum quantum ſufficit cum attractoriolo illo attrahere. Atque hic optimus modus quo retinentur ſpiritus ſubtiliſſimi: Qui etiam

optime

optime retinentur in illis vitris, quorum obturacula vitrea, attritione lævigata. Sed hic sumptuosior illo retentionis modus, qui peragitur sequenti ratione.

Quomodo obturacula vitrea attritione lævigenda, ad spiritus retinendos in vitreis suis retinaculis.

FAc primo ut habeas lagenas vitreas varias majores nimirum & minores, collis & orificijs robustioribus, cum obturaculis suis vitreis, quæ attritionis beneficio lævigata arctissime claudunt orificia lagenarum: Lævigantur autem hoc modo. Applica obturaculum torno, ligno aliquo exceptum & ipsum in gyrum agito, smirite & aquâ humectatum, orificio lagenæ admotum; ita ut in ipso orificio lagenæ circumgyretur; quam sæpe auferre ab obturaculo torno affixo oportet, crebrioris humectationis gratiâ, quæ sit cum mixturâ illâ smiritis præparati & aquæ, beneficio penicilli vel pennæ; atque id toties & tamdiu donec obturaculum arctissime claudat lagenæ orificium: quo facto absterge smiritem cum linteolo ab obturaculo & ex orificio lagenæ; postea ipsum (obturaculum nimirum, denuo illine linimento facto è terrâ tripelâ vel aliâ lotâ subtilissimâ & aquâ vel oleo, iterumque in lagenæ orificio in gyrum agito, sæpiusque illine recentem mixturam; donec nimirum obturaculum exactissime

sime sit lævigatum, quod postea lagenæ propriæ alligandum; id quod etiam de cæteris omnibus intelligendum, ne unum loco alterius substituatur &c. Et ne opus habeas tantum in lævigatione ab obturaculis & lagenis auferre, fac ut habeas typos cupreos pro obturaculis adhuc calentibus, mollibus & recenter è furno tractis excipiendos, justæ rotunditatis gratiâ, nec-non alios cupreos lagenarum orificibus adhuc calentibus & mollibus imponendos, rotunditatis melioris gratiâ; quo postea facilius citiusque obturaculo aptitudinem adipiscantur exactissimè claudendi orificia lagenarum. (e. gr. A. est obturaculum, B. vitrum sive lagena.) Si rite tractare noveris, cito & facile sibi invicem accommodari possunt.

In defectu torni sequenti procedas modo, tardiore quidem sed tutiore; quia in torno sæpe numero vitra incalescentia franguntur ob nimiâ festinationé. Nimirum ut sequitur: fac ut habeas receptaculum

culum ferreum vel ligneum lagenæ vitreæ dedicatum Recipiendæ, quâ impositâ linteis obductâ, cautè & leniter copula utramque receptaculi partem cochleæ beneficio, ne frangatur lagena; & quia scamno affixum cochleæ beneficio instrumentum illud, sive lagenæ receptaculum, moveri non potest. Postea fac quoq; pro obturaculo aliud



instrumentum ligneum (e. gr. A. obturaculum cum suo Recip. B. vitrum cum suo Recip.) in medio

dio ſeparabile, & reünibile cum cochleâ poſt impoſitionem obturaculi; quo illito mixturâ prædictâ ſmiritis & aquæ; accipe inſtrumentum ambabus manubus, & collo lagenæ admove obturaculum circumcirca & circulariter hoc illi atterendo & quidem continuo, ſicuti fieri ſolet à cupratiis doliorum vini & cervisiæ lævigantibus epiſtomia; atque id tamdiu donec obturaculum rite conveniat lagenæ: Poſtea eundem laborem reitera cum terrâ tripolâ uſque ad perfectionem; & non minus accurate obturabit, quàm torni beneficio paratum obturaculum.

Hâc etiam ratione elaborare oportet recipientes illos vitreos majores Primæ Fornacis, ut abſque lutatione ſibi invicem accommodari poſſint. Obturacula etiam phiolarum pro fixatione hâc elaborantur ratione; quæ loco lutationis orificiis phiolarum imponuntur, quibus ſuperimponuntur pileoli plumbei; quo neceſsitatis tempore paululum elevari poſsint, ſpiritibus nimirum malo ignis regimine nimirum excitatis & rarefactis, propter periculum vitrorum frangendorum imminens; iterumque reponi in phiolarum orificia, obturacula illa vitrea pileolis plumbeis aggravata exactiſsime obturantia. Atque hic occludendi modus melior illo, qui fit cum ſubere, cerâ, ſulphure, alijſque rebus: quia in malo ignis regimine adminiſtrato, & per conſequens errore commiſſo, vitra ſervare licet elevatione obturaculorum, ſpiritibus nimirum nimium excitatis. Et quamvis hic melior vulgari illo obturandi

randi modo; adhuc tamen melior est ille qui sequitur, quo facile retinentur spiritus vitris illæsis, vel absque periculo vitrorum. Fac nimirum ut habeas fistulam vitream incurvatam secundum figuram appositam; cujus ventri imponendus Mercurius vivus ab unc. $\frac{1}{2}$ ad unc. 1. vel circiter,

atquæ hæc postea fistula ventriculata imponenda phiolæ materiam figendam continenti (e. gr. A. fistula illa ventriculata. B. est phiola & denuo A. significat pileolũ illum plumbeũ prædictum cum phiolâ B.) quarum junctura p ostea luto obducenda; & nunquam obnoxia erit phiola periculo fractionis.

NB. Sunt quidem prædicti illi modi obturationis optimi, quibus vitrorum fractiones præcaventur, in errore nimirum adhuc versantium fixandorum spirituum salium, mineralium ac metallorum; qui etsi magnis sumptibus & la-

& laboribus fixantur, non tamen promissis satisfaciunt, quia ejusmodi fixationes sunt violentæ & coactæ, & per consequens naturæ contrariæ: in fructuosâ verò illâ spirituum fixatione non item, ubi naturam sequi oportet, non autem fortunæ se committere in suis laboribus. Soli enim insipientes frangere solent vitra in putatitiâ suâ Tincturâ; Philosophi verò non item; siquidem *Omne violentum inimicum est naturæ*; omnesque naturæ operationes sunt spontaneæ. Errant igitur, nec ad optatum perveniunt finem, qui violentas tentant fixationes. Persuaderi nequeo, corpora mortua vel semimortua mutuo misceri, nec per consequens ipsorum multiplicationem esse possibilem: crediderim autem facile, conjunctionem viri & fœminæ unius ejusdemque speciei, salubrium & salubribus cibis nutritorum naturalem, spontaneam speciei suæ facere propagationem & multiplicationem; permanentium nimirum simul in bonâ & adversâ fortunâ, in vitâ & morte; mortuorum autem conjunctionem esse mortuam & sterilem. Considerate modo tot & tam varia instrumenta aurea, argentea, cuprea, ferrea, stannea & plumbea; nec-non terrea, vitrea, lapidea aliaque aliorū materialium vasa, hactenus inventa & excogitata solius Mercurii fixandi gratiâ cum auro & argento, sed frustra, quia nullam habent affinitatem mutuam. Etsi enim Mercurius adhæret metallis, vel metalla ipsi, non tamen id fit propter affinitatem aliquam, nec multiplicationis & perfectionis gratiâ: patet enim per ex-

perientiam Mercurium in igne avolare, & deferere aurum, argentum & cætera metalla; unde liquet nullam esse illorum affinitatem mutuam ad metallorum multiplicationem requisitam, nec unquam possibilem: Affinitatem enim habentia mutuam, sese mutuo amplectuntur & simul permanent in perpetuum, quantumvis volatilia, nunquam sese deserentia ad instar Auri & Mercurii, quando uniuntur nimirum durissimo vinculo ligata, ita ut nunquam separentur igne etiam violentissimo.

Quare cautela adhibenda in fixatione rerum copulatarum; quæ si habent mutuam affinitatem mutuo sese amplectentur & retinebunt, absque adminiculo vitrorum curiosorum collis oblongis præditorum. Quarum rerum si es ignarus, abstine ab illarum tractatione, utpote tibi magis noxiâ quàm proficuâ, teste experientiâ quotidianâ propriâ & aliorum. Sed ut melius percipias, quænam sint illa mutuam inter se affinitatem habentia, arrige aures paululum.

Annon cachinnis exciperetur, qui auro, argento alijsque metallis aquam pluvialem vel communem affunderet fixationis gratiâ, ob stultitiam commissam? Maxime & quidem omnium, stultis exceptis. Ecce igitur imprudentes actiones in re tam arduâ plurimorum Al-gemistarum avarorum, tempus in nugis terentium, ac proin messem facientem segeti conformem, opusque tandem incœptum, frustra exantlatis sumptibus & laboribus in fœtore, vigiliis & curis, inutile de-

serén-

ſerentium. Vidi enim ſæpe numero qui etſi non communem elegerint pro menſtruo aquam, rorem tamen majalem, nivem vel pluviam in Martio collectam, aquam è noſtoch ſeu ſtellarum excremento, vegetabilibus & animalibus deſtillatam elegerunt pro ſolvente, in quo oleum & operam perdiderunt.

Sicuti enim prædictarum rerum cum metallis impoſſibilis radicalis unio; ita etiam in æternum nihil boni producibile inde, ob nimiam illorum diſcrepantiam. Merito verò tales comparantur illis, qui altiſſimam multis gradibus præditam ſcalam adſcenſuri, ſtatim ab infimo ad ſupremum volare conantur gradum, id quod impoſsibile: ita etiam fieri nequit conjunctio rerum maximè diſcrepantium. Sed ſicuti altiſsimam ſcalam facile aſcendere licet gradatim, ita etiam extrema (quod tamen non opus) conjungere licet gradatim, adjiciendo primùm rem omnium proximam uni extremorum, atque huic denuo aliam ſibi proximam, & ſic conſequenter donec perveniatur ad alterum, id quod longiſsimum requirit tempus & ſine lucro opus eſt. Et ſi res conjunguntur affinitatem habentes proximam, altera lætabitur alterâ, alteramque amplectetur altera, ſuperabit & retinebit. Ex. gr. Datur ſal quoddam certum & unicum, coagulans & in corpus ſibi ſimile convertens quamvis aquam communem; quod fixari poteſt una breviſsimo temporis ſpatio cum & per unicum ſolummodo aliquod minerale admodum volatile. Poſſunt etiam mineralia fixari

per

per metalla, & metalla (id quod nondum probavi) per rem aliquam metallis præstantiorem, sine omni dubio. Sed propterea opus non est in mineralium fixatione ab aquæ coagulatione incipere, quâ illa convertitur in salem; & hunc postea in minerale; quod nimis esset tædiosum; sed sufficit in rebus proximis incipere, in quibus natura laborare quidem incepit, sed imperfectas illas reliquit: tunc enim spes lucri, si res non contrariæ conjunguntur, alias minimè. Ecce quam præsto sit natura, juvare rem sibi administratam, quam juvare potest. ex. g. fac salem è tartaro calcinato solutionis & coagulationis beneficio (sed noli illum accipere pro illo, cujus paulo ante facta mentio, qui longe melior sale tartari) cujus postquam calcinaveris illud, pondus observa; cui postea affunde pondus dimidium aquæ pluvialis purissimæ, destillatæ propter suspicionem impuritatis; postea in B. vel arenâ leniter abstrahe aquam; quam denuo reaffunde sali tartaro remanenti, iterumque abstrahe; atque id repete toties, quoties fuerit opus, usque nimirum ad omnimodam aquæ consumptionem. Quo facto exime salem, & libra prius in igne candefactum, & invenies ipsum pondere auctum; quod incrementum ab aquâ, non aliunde proficiscitur. NB. Cohobatio illa aquæ à sale tartari sæpissimè reiteranda. Ecce hac ratione aqua in salem convertibilis est per artem &c. Etsi non credis conversionem rerum materialium & corporearum, quomodo credes rerum immaterialium, utpote solis & ignis con-

converſionem, in ſubſtantiam materialem fixam; de quâ re aliquid in Tractatu noſtro de auro potabili, & fuſius poſtea tractabitur in Tractatu *de Generatione metallorum*, Deo volente. Scire enim te oportet Elementorum & Elementatorum circulationem, quomodo nimirum unum convertatur in alterum; & quomodo ſeſe mutuo nutriant & foveant. e. gr. Terra dat aquam, aqua aërem, aër ignem, igniſque denuo dat terram qui ſi purus puram quoque dat terram. Sed ut recte intelligas, quomodo res aliqua fixanda, ab aliâ ob affinitatem retineatur, ſequens obſerva exemplum. Agricola ſemen in terram projecturus multiplicationis gratiâ non quamlibet eligit terram, ſed multiplicationi convenientem, terram nimirum nec nimis aridam nec nimis humidam. Semen enim in arena projectum germinare nequit & perditur: ſimiliter in aqua projectum putreſcens perditur. Quicquid enim conſervandum, conſervari debet æquali temperie; quæ quo æqualior vel ſimilior, eo perfectiorem producit ſubſtantiam. Requiſita igitur ad germinationem vegetabilium humiditate aliqua neceſſario, ſine qua creſcere & multiplicari nequeunt; ſemine autem projecto in arena humida, ſoliſque radiis agentibus in ejuſmodi arenam, humiditatemque ſubito conſumentibus, unde ſequitur ſeminis in arena ſicca ſive arida combuſtio, quia nulla affinitas inter aquam & arenam, ſine quâ aqua ab arena retinere nequit, & conſequenter ſemen ſuo privatur nutrimento; ſequitur neceſſario quod

requiratur medium aliquod, ceu vinculum copulans & vinciens pluviam & arenam; sal nimirum, cujus beneficio aqua pluvialis ab arena retinetur, ne ita facile calore solis consumatur.

Retinet igitur arena salem & sal pluvialem aquam nutritionis gratia germinis. Non autem quilibet sal huic convenit negotio: Etsi enim Christus dicat Luc. c. 14. v. ult. terram nimirum sine sale sterilem; non tamen commune aliquod sal intelligitur. Salia enim nonnulla, utpote commune, vitrioli, aluminis &c. non modo non prosunt, sed etiam nocent vegetabilibus, impedientia ob nimiam siccitatem, germinationem & augmentationem. Salia verò urinosa promovent illam, id quod sæpe rustici melius intelligunt quàm putatitij nostri Philosophi: illi enim terram sterilem juvare sciunt excrementis animalium, quæ nil nisi sal urinosum cum sulphure mixtum, terram reddens pinguem & fertilem. Atque hâc ratione aquæ pluviali administratur vehiculum (potius vinculum) quo minus solis calore consumi possit: præterea omne semen (consistens in sale urinoso & sulphure) amat suum simile, à quo mutuat suum nutrimentum, quod à paucis tam doctis, quam indoctis observatur. Rustici merito excusandi ignorantiæ suæ causa, ex usu & consuetudine laborantium; alij verò non item doctrinæ titulum gerentes; quorum officii est reddere rationes germinationis, quos merito pudeat suæ ignorantiæ, rusticis indoctiores. Palam est terram reddere fertilem fimum, sed quomodo & qua de causa

causâ non item; quod si careret sale nitroso, utique non redderet fertilem terram, nec germinationem promoveret. Non enim ignoratur nitri confectio ex animalium excrementis. Bonitas igitur fimi non nisi consistit in sale urinoso contento in ipso, non autem in stramine. At quæres forte, quidni aliud quoque sal adjuvare possit germinationem vegetabilium? quare necessario sal fimi requiratur ad germinationem & non aliud? Respondimus supra similibus similia juvari, & contraria contrariis destrui. Testatur enim experientia quodvis in sale urinoso & sulphure, non autem in sale acido consistere semen; quare etiam suum simile appetit & amplectitur: Incredulus igitur faciat periculum destillationis, seminis nimirum alicujus vegetabilis, cujus libram unam pellat per retortam; & re ipsâ experietur, non spiritum acidum, sed phlegma unà cum oleo copioso & sale volatili egressurum, totum Recipientem albificante; id quod nulla radix neque caulis præstare potest: potissima enim virtus, odor & sapor vegetabilium & animalium nec-non mineralium in semine reperitur; in quâ re provida natura optimè fecit, dum semini attribuit potiores facultates, maximis injurijs præ cæteris obnoxio, quod à suo simili conservatur, nutritur & fovetur.

Atque hic discursus, qui alias omitti potuisset, propterea fuit institutus, ut causa patefiat germinationis vegetabilium; & ut eo melius percipiantur dicta de attractione & fixatione rerum omnium. Opor-

um. Oportet igitur germinationem & multiplicationem tam mineralium, quam vegetabilium & animalium esse spontaneam, & non coactam, qualis est Pseudo-chymicorum sterilis & frustranea, utpote præternaturalis. Quare cautus esto fixaturus rem aliquam in additione rei retinentis, sine quâ nullares fixari potest. Ignis quidem semper suum præstat officium, sed juvare nescit rem aliquam præternaturalem, quam totaliter perdit & destruit, contra quem nihil prævalere potest, nisi quod rectè secundum naturam ordinatum. Atque hæc tibi dicta sunto instructionis gratiâ, qui rem aliquam fixare cogitas, ne aliàs oleum & operam perdas.

De præparatione crucibulorum optimorum.

REquisitis ad Fornacem Quartam optimis crucibulis, ubivis locorum non repertis, operæ pretium esse duxi, ipsorum dare præparandi modum: non enim me latet quomodo sæpe numero multi in horum defectu, inutilibus & ineptis contentos esse oporteat, & quidem multoties cum maximâ jacturâ metallorum, dum franguntur in igne crucibula, & tædiosâ consequenter illorum extractione è cineribus.

In magno hactenus versati Chymici errore, nec non aurifabri, separatores aliique crucibulorum ope indigentes, qui sibi persuasi nullibi nisi in Hassiâ reperibilem terram optimam cru-

crucibulorum præparationi convenientem; ac propterea magnis sumptibus Hafsiaca crucibula & gibsenfia adportari curarunt; non animadvertentes ubivis fere locorum in Germania terram talem reperibilẽ, quæ sane prægrandis hominum simplicitas. (Non eo inficias terram Hafsiacam esse optimam pro crucibulis, tegulis, retortis, aliisque vasis collocandis in igne maximo; cujus rei gratiâ etiam commendantur Gibsenfia & Waldburgenfia crucibula) profecta ex ignorantia terræ bonæ ubivis fere reperibilis.

Paucis ab hinc annis nonnulli crucibula sua aliaque vasa in igne maximo durabiliora confecêre è terrâ, ex Angliâ & Galliâ allatâ in Hollandiam, quæ optime quidem in igne retinuerunt metalla, sed non item salia; quia porosa nimis nec instar Hafsiacorum compacta: quare Hafsiaca etiamnum cæteris præferuntur, retinentia melius & metalla & salia. Sed etsi ejusmodi terra allata inde ad alia loca, quod tamen ex ea talia & tam fortia conficere potuerunt crucibula, cujus rei causa aëris & loci constitutioni fuit adscripta, sed falso; errârunt enim in præparatione & crematione. In Hafsia enim habetur lignum in abundantia maxima, quare ibi non parcitur ipsi in cremandis crucibulis usque ad lapideam duritiem; id quod præstari nequit igne cespitum exiguo. Crucibula igitur sufficienter non cremata non omnia, uti Hafsiaca, in igne retinere possunt.

Similis error committitur cica cantharos aliaque

que vasa, quæ conficiuntur Frechemii, Siburgi, alijsque in locis propè Coloniam, quæ transportantur ferè per totam Europam; quorum bonitas solummodo terræ, non præparationi illorum adscribitur. Docuit verò nunc temporis experientia, quamvis terram bonam, lapidescere in igne violento, absque omni loci respectu nativitatis suæ. Quare verisimile videtur ob possibilitatem talia aliquando etiam alibi præparatum iri Vasa: quælibet enim terra cremata album retinens colorem, igne nimirum mediocri, cantharos & crucibula dat porosa, fortiore verò & longiore morâ, vitri instar compacta, cumprimis si illis adspergitur copiosè sal commune crematis igne violentissimo; quod illis intrinsecè exactissime crematis superaddit extrinsecam lævitatem vitream, ita ut eò melius in igne spiritus retinere possint. Quare nemo dubitet de præparatione vasorum prædictorum, è quâvis aliâ terrâ albescente nimirum in cremationè, beneficio ignis fortissimi; quæ quo majorem in cremationè adipiscitur albedinem, eò meliora dat crucibula & elegantiores cantharos. Et cum magna sit præparationis differentia crucibulorum in igne collocandorum, & cantharorum fiendorum liquidorum retinendorum gratiâ, dabo præparandi modum utrorumque, cantharorum, nimirum ad Primam & Secundam pertinentium fornacem, & crucibulorum ad Quartã; ut sequitur. Probaturus terræ albæ & puræ bonitatem, utrum nimirum lapidescat in igne, projiciat frustum magnitudinis o-

vi gal-

vi gallinacei terræ crudæ in ignem ingentem, observans utrum cito vel tarde fatiscat & in particulas frangatur: quæ si non fatiscit nec abit in pulverem, etsi rimas contrahat, bona est & crematione conveniens, si modo rectè præparatur mixtura, in quâ latet artificium.

Terra cremanda pro cantharis, recipientibus & lagenis aliâ non opus habet præparatione, quam figulorum; quam quia plerumque nimiâ pinguedine prædita; cum arenâ mundâ cribratâ fusibili miscere, pedibus calcare, manibusq; tandem depsere oportet, antequam inde formentur Vasa; quæ solis calore, vel alibi in calido exsiccanda; exsiccata vehementissimo igne cremanda 24. vel 30. horarum spatio; quibus etiam salem interea temporis adspergere licet, si vis, quæ sic cremata instar vitrorum facile retinent quævis liquida. Facturus verò crucibula, tegulas, testas, aliaque fortissimo igni destinata, majorem diligentiam adhibeat in præparatione. Et primo quidem oportet terram solis calore exsiccatam probe vel alibi, malleo ligneo minutissime contundere, contusam cribrare per cribrum majusculum, & ad partem unam terræ cribratæ admiscere partes 2. 3, vel etiam 4. (habitâ nimirum ratione pinguedinis terræ) terræ crematæ in furno figulino & pulverisatæ, cum aquæ sufficientis quantitate, mixta pedibus calcare, tandemque manibus depsere, & erit præparata terra ad formationem vasorum. Facturus autem crucibula & testas, prospiciat sibi de typis majoribus vel minoribus ligneis

gneis tornatione factis, quorum beneficio formentur; formari enim non possunt figulorum usitatâ arte vasa prædicta; quia materia illorum macerrima esse debet, igne violentissimo destinata, quare communiter typorum ligneorum beneficio conficiuntur, sequenti modo.

Applicatur nimirum manibus typo frustum terræ præparatæ, quem unâ tenere oportet manu, eique alterâ applicare terram; vel cruribus tenere, ut ambabus applicari possit terra manibus. Oportet quoque antea typum optimè affricare arenæ mundæ cribratæ, alias enim terra typo ligneo adhæresceret ita ut vix absque periculo possit auferri crucibulum; quo facto ulterius illud applicatur percussione nimirū lignei alicujus instrumenti convenienter lævigati, quo exactissimè typo incumbat crucibulum, hâc enim ratione fortissima redduntur crucibula: quo etiam peracto auferatur à typo crucibulum collocandum super assere, & quidem in aëre primo, postea ignis vel solis calore exsiccandum, cremandum tandem vel in camerâ Primâ Fornacis nostræ Quartæ, vel in furno figulino. Etsi solummodo intendis lique facere metalla, non autem salia non opus est crematione si modo rite & exacte, exsiccentur crucibula.

Hæc autem cautela observanda in liquefactione crucibulorum beneficio instituendâ non crematorum; quod ignem paulatim administrare oporteat superne, propter periculum fractionis crucibulorum calorē subitaneum percipientium.

Opor-

Oportet autem ut reddantur æqualia robore, pondere & crassitie, librare unum typi beneficio ritè confectum crucibulum in bilance, imponendæ alteri bilancis parti frustum terræ præparatæ; quæ si pondere æqualia, auferre frustum illud terræ, aliudque imponere; atque id toties quoties requiritur ad desideratum nnmerum crucibulorum conficiendorum: Hâc ratione æqualia redduntur, nec opus est superfluam terram typo applicatam abscindere, quia singula redduntur æqualia, ob singulorum pondus materiæ æquale; citiusque opus peragitur quàm alias.

Hæc quidem est via optima, sed tædiosa & laboriosa, quare rem paulo altius perpendens mecum, inveni tandem modum sequentem priore longe meliorem: quo non solum fortiora conficiuntur crucibula, sed etiam & quidem in unâ horâ plura quàm in 3. vel 4. horis vitâ illâ vulgari nimirum primâ. Ubi primo conficitur typus ex orichalco, cui terram applicare jussi sive monui, lit. A. signif. optimo nimirum, fusionis beneficio; Deinde huic correspondens autetypus lit. B. significatus. ita tamen ne ille hunc nimis profunde intret, fundum non attingens per distantiam ad minimum digiti lati transversi unius; in crucibulis verò majoribus majore tiam requiritur fundi crassities, sicuti te docebit practica.

Facturus igitur crucibulum applicet terram. typo sicuti supra dictum in modo primo; quo facto iterum auferat crucibulum formatum, & in aëre siccandum collocet: Deinde factâ prius suf-


A
B

ficienti copiâ crucibulorum, typum mundificet à terrâ sive arenâ adhærente, ipsumque inungat lardo, vel oleo olivarum excepto spongiâ, sicuti etiam ante typum, cui imponat semifactum & semisiccatum crucibulum, atque huic typum, quem superne percutiat bis terve malleo ligneo quodam graviore, ut ubique rite exactissimèque typo applicetur terra: quo facto auferat typum & vertat ante typum unà cum crucibulo, quem à latere paululum offendat scamno (ubi crucibula conficiuntur) & manu excipiat crucibulum inde excidens; quod postea exsiccare & cremare oportet, sicuti supra dictum in modo Primo. Atque hâc ratione optima, optimèque proportionata redduntur crucibula, fixa & lævia, non solum pro metallis sed etiam pro mineralibus & salibus fundendis; quorum similia hactenus non vidi, utpote omni carentium periculo, si modo rite è terrâ conficiuntur optimâ. Et ut pondere & robore reddantur æqualia, oportet ut librentur sicuti dictum antea. Atque hic labor est facilis & jucundus, ubi propriâ conficiuntur manu, & quidem pro lubitu majora vel minora.

Simili quoque ratione conficiuntur testæ, ejusmodi typorum beneficio nimirum, quos non oblongos sed planos ad instar testarum esse oportet, uti apparet ex appositâ figurâ A. & B. Non solum autem testæ sed etiam cupellæ horum typorum beneficio conficiuntur.

Facilius autem hâc ratione conficiuntur testæ quam crucibula; quia terra solummodo libratur,





manibusq;tratacta-ta imponitur ante-typo, quam postea parte superiore fortiter imprimere oportet,ut typo reddatur conformis, plano nimirũ non oblongo id quod propterea facile fieri potest; ac proin etiam facile iterum eximuntur crucibula, si nimir ũ vertitur typus vel antetypus paululũ à latere scamno offendendus. Et si nimis arctissime percussionibus terra fuisset impulsa ita ut ad latera exiret,cultro illam abscindere oportet;secus difficulter eximitur crucibulũ sive testa,adhęrescens margini,id quod te docebit exercitatio: non enim omnia tam accuratè ad amussim calamo demonstrari possunt.

Et hanc tibi habeto cautelam ne testas & crucibula è terrâ nimis molli effingas, sed ex semisiccâ, alias difficulter è typis auferuntur;illa enim facilius rectiusque applicatur typo. Etsi recte processeris secundum præscriptum unum è 100.vix perdetur crucibulum. Hoc

Hoc etiam obſervandum terram ſuperfluam, abſciſſam non eſſe remiſcendam maſſæ crucibulorum, quia pinguedine olei typis illiti infecta, perfectè remiſceri nequit, ac proin cremata fatiſcit, quâ de causâ inepta redduntur crucibula. Quare ſeorſim ſervanda pro fornacibus emendandis ingenti ignis calore perditis; vel pro operculis crucibulorum per ſe manuum ſolummodo, vel typorum beneficio conficiendis, quibus carere non poſſumus, ſi omnia exactè elaborare volumus.

Quod ad tegulas & alia vaſa deſtillationi & fuſioni neceſſaria, parantur illa typorum beneficio ligneorum hoc modo: conficiantur typi ſimilitudine exactiſſimè referentes tegulas aliaque vaſa, deinde exſcindantur è terrâ optime præparatâ folia beneficio fili cuprei ſuper duo ligna æqualia, & poſtea ex his fruſtum terræ cum cultro, typo ſuper imponendum, ut ibi duritiem aliquam acquirat; quod poſtea auferendum, perfectè exſiccandum & cremandum. Et ſi quid aliud præterea agendum, exſcindendo nimirum & adjiciendo, fiat illud è terrâ ſemificca, ſive paululum indurata. Hâc igitur ratione quilibet ſibimet ipſe comparare poteſt vaſa fictilia neceſſaria ſine magnis ſumptibus & laboribus certitudinis gratiâ: venalia enim negligenter parantur; ubi ſæpe in exſiccatione contractæ rimulæ, linimento aliquo terreo replentur, antequam cremantur crucibula quæ venduntur, quæ in igne durabilia non ſunt, ſed rumpuntur & quidem ſæpe non ſine magnâ

metalli, jacturâ, recolligendi iterum è cineribus lotionis beneficio tædiosæ: Præstat igitur certitudinis causâ propriâ manu parare vasa. Non autem omnia & singula crucibula semper & ubique æqualia confici possunt, æqualiter in igne durabilia; ut ut enim diligentissimè elaborentur, non tamen omnia & singula æqualiter perficiuntur; ac proin habitâ ratione bonitatis, diversis usibus adhiberi possunt, & quidem meliora usurpari in liquefactione metallorum meliorum. Nemo autem sibi persuadeat quod hæc omnia indifferenter in igne retinere possint & quidem omnium optima, quotquot tractare licuit crucibula; nondum enim mihi visa terra, quæ lithargyrium in igne & salem tartari retinere potuerit, quia etiam omnium optima unquam mihi visa, immunis non est ab illorum penetratione; id quod maximum impedimentum quorundam laborum utilissimorum, qui propterea omittuntur.

Atque hæc de crucibulorum præparatione dicta sufficiant: quilibet igitur curam habens negotiorum suorum, meliorem in posterum adhibeat diligentiam in præparatione crucibulorum melioris certitudinis gratiâ, & non pœnitebit ipsum laboris sui. Quomodo verò testæ & cupellæ prædictis typis exactissimè applicentur, id non opus esse duxi hic locorum tradere, quia jam dudum ante multos annos ab aliis, & inprimis ab ingeniosissimo Lazaro Erckero, ejusmodi satis abundanter & aperte demonstrati labores; quorum scripta de ratione conficiendarum testarum

& cu-

& cupellarum emendare nequeo, ad quos authores Lectorem relegatum volo, ubi inveniet sufficientem instructionem & informationem hâc de materiâ agentem. Sunt tamen & aliæ testæ, de quibus hic locorum nihil sed alibi fortè quarum beneficio plumbum melioratur in examine, si denuo inde eliquatur.

De vitrificatione vasorum terreorum pertinentium ad Fornacem Primam & Secundam.

IN defectu instrumentorum vitreorum pertinentium ad Fornacem nostram Primam; oportet utilia conficiantur è terrâ optimâ, quæ rite vitrificata sive devitreata, quandoque meliora sunt vitreis, cumprimis confecta è terrâ spiritus non absorbente, qualis ferè ubique reperibilis lapidescens cremata: artificium verò crematonis non usque adeò cognitum; de quo aliquid antea dictum, ubi terra igne fortissimo cremata redditur compacta adeò ut lapidi duritiem & soliditatem acquirat. Fornacibus autem figulinis huic crematoni fortissimæ insufficientibus, requiritur peculiaris ad hoc opus fornax, in quâ fortissimus crematonis ignis administrari possit; sed quia nemo talem paucorum solummodo quorundam vasorum gratiâ exstruere cogitat, sumptibus laboribusque impendendis indignorum, datur adhuc alius vitrificationis modus uniuscujusque nimi-

rum tertæ (argillâ rubrâ exceptâ) non contemnendus rite peractus; cumprimis si materia vitrificans crematione finitâ, refrigescens non fatiscit vel rimas contrahit, nec læditur à spiritibus corrosivis, sicuti vitrum illud plumbeum, retinens spiritus nimirum tam subtiles illos quam corrosivos; qualis est Italorum & Hollandorum vitrificatio alba. Oportet igitur in defectu fornacis debitæ, quâ cremata lapidescunt vasa, illa conficere è terrâ optimâ, eaque devitreare sive vitrificare vitro stanneo optimo, non autem plumbeo: Et quo plus cineris stanni ingreditur mixturam vitrificantem, eo melior illa redditur, stannum enim cum plumbo in cinerem redactum, nullam amplius affinitatem habet cum spiritibus corrosivis, quare vitrificationi aptissimum. Nolens autem hos impendere sumptus, vitrificet vitro Veneto pulverisato; quæ etiam non spernenda vitrificatio, ingentem crematonis calorem requirens, ac proin difficulter fluens in fornacibus illis vulgaribus figulinis, quare aliquid borracis vitro admiscere oportet, ut eo facilius fluat vitrum in furno figulino. Aliter oportet vasis terreis incrematis affundere aquam vitro mixtam, ita ut ubique probe adhæreſcat illis vitrum, quæ postea exactissime exsiccata congregentur in unum cumulum artificiose, ne magnum sive ingens occupent spatium, ad instar patinarum cremandarum terrearum, atque hæc postea cingere lateribus crematis undique, relicto tamen superne foramine carbonum injiciendorum gratiâ, ita tamen ut

à vasis

à vasis distent lateres manum latam unam transversam, quo carbones superne injecti libere circumcirca ad fundum descendere possint: quo repleto spatio carbonibus siccis, oportet alios vivos illis superimponere, ut paulatim superne ignis accensus deorsum officium suum præstare possit crematonis: quo sic peracto omni carebunt periculo vasa si modò rite exsiccata. Igne accenso & flagrante claudere oportet foramen lapidibus, donec ultro ignis carbonibus consumptis exstinguatur, vasaque refrigescant; quæ ubi refrixerint eximenda. NB. Si verò esset ingens vasorum cumulus, oportet primis conflagratis carbonibus, recentes alios adjicere adhuc semel, alias enim vasa in medio collocata sufficienter cremari nequeunt nec vitrum sufficienter fluere potest. Quare cautela requiritur in ignis administratione in hoc nimirum modo, ubi si omnia rite peraguntur, melius rectiusque cremantur & vitrificantur vasa, quàm in furno aliquo figulino communi, majore tamen periculo vasornm obnoxio, furno scil. figulino muris cincto. Crematurus autem crucibula aliaque parvula vasa pauca, poterit illa cremare in fornace nostrâ fusoriâ vel destillatoriâ, carbonibus obruta, ignem superne administrando; sic enim hactenus omnia mea crucibula ipse cremare solitus fui & vitrificare, nec-non alia vasa destillatoria. Atque hic in defectu fornacum requisitarum, optimus crematonis & vitrificationis modus est, ubi 3. vel 4. horarum spatio perfecte cremantur & vitrificantur vasa: oportet

tet autem terram (celerrime cremandam) per se esse optimam & in igne durabilem propter periculum fractionis quorundam vasorum. Utatur igitur in hoc casu majoris securitatis gratiâ fornace nostrâ quartâ, qui eam exstruxit cum suis cameris, in quarum Primâ cremare & vitrificare licet absque periculo. Sed non contemnendus ille cremationis & vitrificationis modus antedictus, si caute regitur ignis: quare te admonitum velim, ut cautus sis in ignis administratione, nec majorem justo vel minorem administres, ne postea causam erroris commissi, dum franguntur vasa, imputes mihi, ac si non vera scripsissem, sed tibimet ipsi erranti, inposterum majorem & diligentiam & cautelam in ejusmodi opere adhibituro.

Aliarum quoque vitrificationum cognitionem habeo variorum colorum, hactenus incognitarum & quidem secretissimarum, indifferenter cuivis non communicandarum. Sed qui noverit metalla redigere in vitrum verum metalli sui colorem retinens, ille revera inventor est maximi secreti, cui rem altius perpendenti, sesequeexercenti, janua aperta majoris luminis, Deo annuente.

Sunt etiam aliæ, quibus obducta, ac si esset gemmis ornata terra apparet, sed quia non est nostri instituti jam de ejusmodi tractare vitrificationum finem faciemus, unica saltem excepta, quam adhuc in ægrorum & medicorum gratiam communicabo; ut sequitur.

Fac ut habeas pocula parvula fictilia, lævissima & al-

& albissima, ex optima terra cremata: Deinde fac ut fluat in crucibulo forti maximo vitrum sequens, in quod immergas unum post alterum forcipula exceptum poculum in fornacula aliqua peculiari prius candefactum, aliquantulum illud subtus occultando, ut eò melius à terra attrahatur vitrum: quo facto eximatur, iterumque in fornaculam prædictam collateralem recollocetur poculum, ubi antea fuerat candefactum; aliudque ejus loco substituatur sive vitro immergatur, quod etiam sicuti primum denuo recollocandum in fornaculam prædictam; atque id iterandum toties donec singula obducta vitro pocula: quibus omnibus rite peractis ubivis locorum fornacula exacte claudenda, ne ventus illam ingrediatur, & sic relinquenda, donec sponte refrigescat, & vitrum obductum poculis permanebit integrum, quod alias fieri non posset poculis in frigido collocatis. Vitrum autem conficitur hoc modo.

℞. Antimonii crudi part. 2. nitri purissimi part. 1. mixta contere optimè: mixturam in crucibulo collocatam accende ferro candente, & una cum nitro comburetur sulphur antimonii, relicta massa coloris fusci, quam adhuc calentem eximere oportet cum spatula ut refrigescat: quæ postea fusa in alio crucibulo fortissimo, horæ dimidiæ, vel integræ spatio probe, dat vitrum illud, quo prædicta pocula cum suis operculis obducuntur.

De

De usu poculorum prædictorum.

ANtimoninm omnium vomitivorum esse præstantissimum nemo est qui neget, quare tot & tam variæ à Medicis inventæ præparationes, ipsius malignitatis tollendæ gratiâ; quarum nonnullas ego quoque dedi unà cum illarum usu in Prima & Secunda hujus libri Parte; ubi semper una melior alterâ: Nihilo tamen obstante, est in confesso, Antimonium in vitrum redactum sufficere ad purgandum ventriculum & intestina ab omnibus vitiosis humoribus & quidem absque omni periculo (rite rectéque administratum) tam per vomitum quàm per alvum; qua ratione multi gravissimi affectus non modò imminentes præcaventur, sed etiam præsentes curantur.

At infers, hanc nimis crudam adhuc & imperfectam esse præparationem, ac proin non usque adeò tutam. Cui: Antimonium purgans magna non indiget præparatione; si enim omnino ejus tollitur cruditas fixatione nimirum, non amplius vomitus & sedes movere potest: quare vitrum Antimonii prædictum non formidandum, quia non periculosum, sed tuto etiam puerulis unius vel alterius anni administrari potest, non autem in forma pulveris, sed in infusione vel exstractione potioris virtutis facta cum melle, saccharo & vino dulci vel austero. Qua ratione administratum attrahit ex omnibus visceribus cunctos vitiosos humores, eosq; evacuat tam superne quam inferne

inferne sine periculo, de quâ re alibi plus &c. Usurus igitur poculis prædictis, infundat unciam unam vel alteram vini, collocetque illud per noctem in loco aliquo calido, & attrahet è vitro vinum tantum, quantum ipsi sufficit; quod postea mane propinatum idem præstat, quod infusio facta cum pulvere vitri: Estque hâc illa delicatior administratio, quia patienti mittitur poculum, ut per noctem infundat in ipso 2. vel 3. cochlearia vini proprii, collocando ipsum per noctē in loco aliquo calido, quod ebibat mane tepidum, cum administrationis regiminis necessarii instructione. Quæ meo quidem judicio delicatior administratio proprio vino domestico, manuque propriâ facta, quàm tædiosa illa potionum illarum ingentium amararum nauseabundarum: Potestque tale poculum sapissime usurpari, & si tandem vinum sufficienter non attraheret, collocandum poculum cum vino aliquantisper in aquâ fervente, ut eò melius & attrahat & operetur vinum necessitate exigente. Administraturus autem aliis ejusmodi pocula, oportet ut recte illos instruat de rectâ regiminis administratione. Sufficitq; poculum unum patri familias cum tota sua familia per omnes vitæ suæ annos: Non autem omnibus & singulis, & in omnibus affectibus indifferenter usurpandum; sed solummodo robustis & junioribus, & illæsis partibus principalioribus. Alia quoque ratione vitro obducuntur pocula, absque Antimonio, uti sequitur.

Sublima auripigmentum in cucurbitâ vitreâ

vel

vel terreâ & accipies flores elegantissimos aurarici coloris, qui peculiari aliquo modo fusi dant vitrum rubrum elegantissimum instar rubini orientalis fetè, quare frustulatum loco ornamenti usurpari potest; est autem hoc antimoniali vitro mollius & fragilius. Hoc vitrum vel etiam flores illi auripigmentales nondum redacti in vitrum egregie devitreant pocula prædicta colore rubro elegantissimo.

Vitrificaturus igitur sive vitro obducturus pocula prædicta, candefacito prius illa in igne è carbonibus extracto, candentia intingito in flores fusos prædictos, indeque iterum extracta collocato sub vase terreo vel ferreo candente ut ubi refrigescant; quæ eadem præstant quæ dicta de poculis Antimonialibus.

Hæc pocula periculosa non sunt nec proin metuenda, quia sicuti calcinatione Antimonium, ita sublimatione corrigitur auripigmentum: à quibus si aufertur omnis malignitas igne sive nitro, aufertur etiam vis eorum emetica, sicuti postea prolixius demonstrabitur in 5. hisce partibus, quando prodibunt denuo in lucem auctæ nimirum, quid sint purgantia & quomodo vires suas exserant habitâ ratione malignitatis suæ.

Sunt etiam alii vitrificationis modi, & quidem elegantissimi, exoptatissimi multis si communicarentur; sed quia nunc non est instituti nostri tractare de mechanicis, sed saltem de particularibus quibusdam quorundam vasorum, pertinentium ad nostras fornaces vitrificationibus, omitte-

mittere illa decrevi nunc temporis & finem facere harum rerum. Decrevi has 5. partes, annuente Deo correctiores & auctiores edere, ubi varia egregia; certis de causis nunc omissa, publicabuntur & communicabuntur.

Quare finem imponam nunc Quintæ huic parti, ubi etsi aliquid adhuc singulare de fornacibus artificiosis apponere potuissem, attamen quia tempus nunc non permittit, differetur ad alium locum, ubi plus agetur de examinatione, probatione & separatione metallorum: Optima enim metallorum fusionis via in Quantitate Majore nondum innotuit: Et quamvis sibi persuasi mineralium tractatores de perfectione artis suæ, demonstrare tamē facile possum viam faciliorem & compendiosiorem metallorum fundendorum tempore breviori, in majori copia, nimirum minoribus sumptibus & laboribus. De quâ re alibi fusius, quare hisce nunc esto contentus Lector benevole, etsi hæc paucula tibi videro esse grata, majora aliquando in tui gratiam & commodum communicabo *Secreta mirabilia* mundoque incredibilia, hactenus abscondita vel ex invidiâ vel ex ignorantiâ.

APPEN-

Crater seu vas fusorium ad Quartam Fornacem pertinens.

APPENDIX.

BIennio nunc elapso feci initium publicationis Fornacum mearum noviter inventarum, ubi simul mentio facta quorundam *Secretorum*, quæ etsi divulgare nunquam cogitaveram, nihilominus tamen illorum communicandorum gratiâ molestias tuli maximas. Quare singulos volo rogatos, ne amplius mihi nec sibimet ipsis molestias creare velint petitionibus suis & scriptis, quia certis de causis nihil nisi sequentia in posterum communicaturus sum. Exspecta igitur patienter tempus Editionis alterius, ubi prodibunt hæ 5. partes, correctiores & auctiores, communicabunturque secreta multa selectissima, in primâ Editione certis de causis omissa.

Sum autem, annuente Deo, communicaturus sequentia, hâc tamen cum conditione, quia pleraq; sunt talia, ut eorum beneficio maximas divitias bonâ conscientiâ, sine proximi incommodo, comparare possis divinâ benedictione, ut pauperum memor, & divitiarum honeste acquisitarum bonus œconomus esse velis, illasque usurpare ad nominis divini gloriam animæq; salutem æternam.

Præparatio frumentorum, hordei, tritici, avenæ &c. pomorum, pyrorum, cerasorum &c. ubi factâ fermentatione beneficio destillationis dant spiritum purum putum, vini spiritui similimum sine magnis sumptibus; ex cujus remanentia, si materia fuit frumentum, confici potest cervisia

optima, vel acetum; si verò materia fuit genus aliquod fructuum, utpote poma, pyra, potus optimus vino similis; ita ut hâc ratione duplicem percipias fructum, à quo non modò habes, unde honeste vivas, sed etiam reponas pro hæredibus.

Potio egregia & salubris fructuum & frumentorum durabilis, vino Hispanico, Francico, & Rhenano simile.

Destillatio aquæ vitæ rerum quarundam vulgarium, non sumptuosa, similis aquæ vitæ vini Gallici & Rhenani.

Præparatio sacchari, similis occidentali, & Tartari similis naturali Rhenano, è melle non sumptuosa. Ubi libra una sacchari non excedit pretium 8. vel 10. stuferorum; & lib. 1. tartari, non 2. stuferorum pretium excedit.

Purificatio tartari crudi peculiaris sine jactura, & reductio in crystallos ingentes non sumptuosa, ita ut pretium libræ unius non excedat 6. stuferos.

Ablatio saporis & odoris ingrati mellei, ita ut posteà possit inde confici vitæ quædam aqua optimi mellis odorem & saporem amplius non sapiens; nec-non hydromel optimum vino optimo simile, cum quo eadem quæ cum vino optimo præstari possunt.

Hydromellis confectio è passulis majoribus & minoribus similimum in rebus omnibus vino Hispanico, è quo etiam conficitur acetum optimum, sine magnis sumptibus.

Præparatio vini & aceti optimi uvarum sylvestrium & incultarum.

Po-

Potiones durabiles & salubres ribium, berberum, mororum, fragorum & similium.

Correctio vinorum turbulentorum, acidorum, mucidorum &c.

Confectio aceti optimi è quibusdam vegetabilibus ubique reperibilibus Gallico comparabile & quidem in magnâ copia, cujus 2. amphoræ non excedunt pretium unius Imperialis.

Promotio maturationis vinorum regionum Europæarum frigidarum (pauciſſimis frigidiſſimis exceptis) ut vina proferant optima dulciſſima, & durabilia, ubi aliàs illa maturitatem ſuam acquirere nequeunt) ſimilima illis quæ producuntur in regionibus calidioribus.

Secretus aliquis modus deportandi vina è locis montoſis, curribus, navibus, alijſque commoditatibus deſtitutis, ubi 10. culcorum vectio, non excedit pretium vectionis unius aliàs culei, ita quidem ut hâc ratione vina peregrina maximo cum lucro adportari poſſint.

Præparatio æris viridis optima & facilima è cupro, cujus lib. 1. pretium 6. ſtuferorū non excedit.

Nova & compendioſa deſtillatio aceti, cujus amphoræ 2. pretium non excedunt imperialis ½. Cum quo multa præſtari poſſunt, cumprimis æris viridis cryſtalliſatio, cujus lib. 1. hac ratione parata pretium etiam non excedit imperialis dimidij.

Compendioſa & facilima via ſpiritum urinæ deſtillandi fortiſſimum, & quidem ſine ullis ſumptibus & laboribus; ita ut 20. vel 30. libræ non excedant pretium Imperalis unius; præſtantiſſimum

mum in Medicinâ, Alchimiâ & mechanicis; cujus beneficio è cupro confici potest vitriolum elegantissimum cœruleum in Alchymiâ & Medicinâ utilissimum, argentum adeò reddens fusile, ut illius beneficio vasa vitrea, utpote putinæ, discei, candelabra ita &c. de argentari possint ut pro argenteis habeantur.

Modus destillandi solis spiritum in maximâ copiâ & quidem exiguis sumptibus, ita ut unius libra pretium vix excedat 6. stuferos, præstantissimum in Alchimiâ, Medicinâ, alijsque artibus, cumprimis ad sequentiâ perpetranda: facientem nimirum ad separationem auri ab argento, illæsis poculis alijsque it. ad solutionem & separationem auri cupro & argento mixti, vi præcipitationis, ubi menstruum servatum denuo ad eosdem usus adhiberi potest; quæ separatio omniũ aliarum humidarũ facilima, qua aurum in supremũ redigitur gradũ.

Separatio auri volatilis flammantis ex arena, argilla, silicibus, &c. utilissima, sine qua alias illud separari nequit, neque lotionis beneficio nimirum, neque per Mercurium, neque vi fusionis.

Artificiosa, secreta hactenusque inaudita proba mineralium contumacium, inveniens illorum tenorem, quem alias invenire non licet. Sæpe enim reperiuntur mineræ aureæ immorigeræ, in quibus nihil invenitur viâ illa vulgari, ac proin incultæ relinquuntur quandoque etiam alibi ubi non reperiuntur metallorum mineræ, reperiuntur alia, utpote talcum album & rubrum, nihil dantia vulgari ratione examinata vel admodum parum, auro

tamen

tamen & argento abundantia, quæ hac via separari possunt.

Nova & inaudita via compendiosa liquefaciendi mineras in maxima cõpia; ubi unius diei spatio beneficio certæ alicujus fornacis separatoriæ plus eliquari potest, quàm via illa vulgari unius octidui spatio; ubi non modo parcitur sumptibus, sed etiam lucri majoris spes.

Liquefacta viâ alia melius probandi, argentumque à plumbo separandi modus novus.

Modus liquefactionis mineralium celerrimus, ubi in magna copia eliquantur vi carbonum fossilium in defectu aliorum carbonum.

Fixatio mineralium sulphureorum, arsenicalium, antimonialium, aliorumque volatilium, quæ vi ignis retineri & liquefieri nequeunt; beneficio furni alicujus peculiaris crate præditi, ita ut postea infusione aurum & argentum elargiri possint.

Eliquatio auri & argenti flammantis & rarefacti, ex arena, argilla, silicibus &c. fusionis beneficio.

Separatio auri latentis in mineralibus & metallis vilioribus fructuosissima, quæ via vulgari fieri nequit.

Separatio artificiosa celerrima, faciliſque auri & argenti eliquati, fusionis beneficio; ita ut unius diei spatio, unius furni beneficio, & per unum virum aliquot 100. Marcæ separari possint; longe minorum sumptuum & laborum, quàm via illa vulgaris per cementa & aq. fortem.

Reductio auri elaborati catenarum aliorumque ornamentorum in supremum gradum; item sepa-

ratio auri ab argento deaurato fusionis beneficio; qua ratione facilius separantur 100 marcæ, quàm via illa vulgari 20.

Modus certus, quo plus argenti separatur à plumbo, quàm per cupellas.

Separatio auri boni à ferro quovis antiquo, qui etsi non ingentis lucri labor, sufficit tamen ijs qui paucis contenti.

Separatio ☉ & ☽ è ♂ & ♀. secundum plus minus. Maturatio mineratum, ita ut postea plus auri de se dare possint & argenti, quàm viâ vulgari; ut & separatio auri & argenti antimonio, arsenico & auripigmento.

Separatio sulphuris extranei Veneris, ut nascatur Cupido filius.

Separatio argenti cupellarum quas intravit illud in examine, absque fusione alijsque laboribus & sumptibus.

Præparatio fictilium variorum, ubivis terrarum possibilis, porcellanis similium, ignem ferentium & spiritus retinentium.

Alumen quoddam exaltans figensque quosvis colores; cumprimis requisitum ad colorem coccinum aliosque pretiosos; cum certo quodam aheno perpetuo, colores non alterante, non sumptuoso.

Confectio colorum non sumptuosa pictoriorum utpote laccæ purpureæ, ultramarini, cinabrij, & cumprimis albedinis elegantissimæ, nunquam antea visæ, perlis & margaritis similis item auri & argenti peculiaris coloratio.

FINIS.

ANNOTATIONES

IN

APPENDICEM

Quintæ Partis Fornacum Philosophicarum, ubi de variis agitur Secretis utilissimis, optimis & incognitis, incredulorum & naturalium Secretorum ignarorum gratiâ publicatæ.

Per

JOANNEM RUDOLPHUM
GLAUBERUM.

AMSTERODAMI,
Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↃ IↃC LI.

PRÆFATIO

Ad

LECTOREM.

QVid me moverit quinque illis Partibus Fornacum mearum Philosophicarum affigere appendicem, videre licet statim in introitu illius, id quod hic locorum repetere superfluum esse duxi. Præterea scopus meus fuit patefacere mundo, quanta & quidem hactenus incognita, utilissimaque secreta huic seculo reservaverit Deus omnipotens nostræ vitæ sustentandæ gratiâ, non dubitans multorum contumacium provocare & excitare ad debitam gratitudinem erga Deum. Contrarium autem accidit, peperit enim multis, tam doctis, quàm indoctis, appendix visa maximam admirationem, quod Deus tanta, hactenusque incognita secreta huic seculo reservaverit revelanda, qui propterea Deo egerunt gratias. Alij verò & quidem plurimi deriserunt appendicem pro more solito, ejusque contenta pro rebus impossibilibus & mendacibus proclamarunt, quorum etiam nonnulli nasuti Zoili (naturam & artem ignorantes) in hæc erupêre verba: Mirum quod Glauberus non do-

ceat etiam panis confectionem è lapidibus, cum vini docuerint confectionis posibilitatem ex aquâ, nec opus haberent rustici in posterum tot exantlare labores. Tales aliasque ejusdem farinæ cavillationes excogitârunt ejusmodi homines in suis conventiculis, quorum nonnulli videri volunt docti & sapientes, præ nimiâ sapientiâ (stultitiâ) semet ipsos ignorantes; qui revera sunt inertes, indocti, rudes & superbi asini, quantumvis elati, despicientes alios longè peritiores; quorum ego ignorantiam tantopere admiror, quantopere illi mea scripta, apertis nunc cernens oculis rationes silentii multorum, quibus Deus olim dederat singularem rerum naturalium cognitionem, qui nihil omnino posteris reliquerunt. Sed non multum refert, Non enim omnibus placere est possibile, *teste experientiâ à condito mundo ad hunc usque diem, quare non peregrini quid. Vt ut autem sit, mirum tamen non est, quod quis male accipiat, ingratitudinem hominum pessimorum mercedem laborum suorum, ut & cavillationes & contumelias scriptorum quasi falsorum & mendacium, perhibentium nimirum hominum; Glauber, si tantarum rerum habet cognitionem, quarum fecit mentionem in appendice, quare divitem semet ipsum non reddit inprimis, sed in otio degit? Igitur non nisi somnia nullius momenti. Egregie sanè judicas de coloribus nunquam tibi visis, cui non cogor reddere rationes mei otij; quas si me interrogasses, sine dubio dedissem tibi satisfactionem, & impedivissem stultum tuum judicium. Sed ejusmodi homines propriam produnt ignorantiam rerum per ignem perpetrandarum: pisces enim capturus*

pturus rete suum non in montes sed aquam ejicit; ita etiam victum suum quærens in metallis, opus habet quod sit sive versetur in ejusmodi locis, ubi reperiuntur illa.

Quod autem in hisce locis jam aliquot annorum spatio vixerim cum incommodo præter voluntatem, id impedimento fuit fortunæ meæ, quæ alibi, ubi laborare potuissem, forte accidisset mihi. Sed melius pauca in pace possidere, quam multa in periculo belli formidabilis. Decrevi autem prorsus, sive sequatur sive non, pax exoptatissima Germaniæ, me ad talia conferre loca, ubi datur occasio carbones tractare & mineras; quod ubi factum, inquirant si velint cavillatores, utrum aliquid agam; sed non hic locorum, ubi ob incommoditatem nihil, ut inde diteſcerem, tentare cogitavi: Satis enim laboriosum fuit mihi hic locorum, ubi omnia carissima, acquirere honestam vitæ sustentationem, & naturæ penetralia in tui commodum indagare & experiri in minoribus probis, majoribus neglectis. Hinc tibi patebit otij mei causa; quare amplius tam temere judicare noli, sed res proprias curare, aliorumque mittere cogita. Atque hæc causa est explanationis appendicis, non factæ communicationis gratiâ secretorum illorum universalis & generalis, quorum cognitionem (ut conjecturari licet) non ita facile consequi licuit; factæ verò demonstrationis gratia veritatis, ne nugæ amplius ab incredulis & ignaris, sed secreta naturalia utilissima (quorum inventorem me reipsâ deprædicare audeo) ab omnibus & singulis habeantur & accipiantur.

Quare à principio usque ad finem acturus sum de singulis breviter, singulorumque daturus explanationem, quantam nimirum licet sine damno, ne pro somniis sed pro naturalibus accipiantur scientiis, certis & utilissimis, confutationis gratiâ Zoilorum.

Sequuntur igitur nunc Paragraphi.

ANNO-

ANNOTATIONES

In Appendicem Partis Quintæ.

Paragraphus I.

PRæparatio frumentorum, tritici, hordei, avenæ &c. it. pyrorum, pomorum, cerasorum, aliorumque fructuum arboreorum, instituenda certæ cujusdam fermentationis beneficio, quâ destillationis ope dant spiritum optimum & purissimum similimum confecto ex sedimento vini, sine magnis sumtibus: ubi etiam è remanentia (spiritu ardente abstracto) frumentorum nimirum confici potest vel cervisia vel acetum optimum; fructuum verò potus optimus vino similis. Vnde duplex commodum, ita ut quis inde non modò habeat quo vivat, sed etiam quod reponat.

Hoc artificium multis apparuit admodum peregrinum, cujus nemo antea fecerat mentionem. Nonnulli cognitionem habentes artis vulgaris destillatoriæ rem destillandam vesicæ inditam arbitrabantur, præditam nimirum spiritu ardente, omnem in igne de se dare nihilo relicto in remanentiâ. Hoc illis condonandum illorumque ignorantiæ adscribendum, rationes reddere nescientium laborum suorum, operantium solummodo ex usu & consuetudine visa & audita, non secum considerantium modum dari melio-

rem destillandi sive propinquiorem spirituum; cum quibus non certabo, sed saltem demonstrabo breviter, quo modo omnia frumentorum & fructuum genera destillata plures dent spiritus, quam viâ illâ vulgari, vel saltem quomodo abstracto spiritu è materiâ residuâ aliquid conficiatur pretio materiæ destillatæ æquivalens, ita ut hâc ratione ferè gratis habeatur spiritus ardens: fit autem modo sequenti. Negari nequit omnia quotquot sunt vegetabilia, utpote frumentorum, fructuumque genera, nec-non ipsum gramen, præparata & fermentata dare spiritum ardentem secundum plus minus & quantitate & qualitate, habitâ nimirum ratione maturitatis & immaturitatis, pinguedinis & ariditatis. Species enim pinguiores & dulciores, plures dant spiritus, quàm res immaturæ, acerbæ & siccæ; quo enim subjecta sunt sicciora, minusque matura eò pauciores dant spiritus, & quidem non prius quàm factâ fermentatione, pinguedinem & dulcedinem eo redigente, quod possint in destillatione spiritum ardentem, quem sine fermentatione dare nequeunt. Hinc igitur necessariò sequitur, fermentationem esse causam illam unicam spiritus ardentis, & per consequens unicum illud medium quo copiosi impetrantur spiritus, si nimirum recte & bene fermentantur species, unde qualificantur ita ut possint postea de se dare eò facilius spiritum ardentem; quæ quo melius fermentantur, eò plures dant spiritus. Sed cum vulgaris illa fermentatio non sufficiat ad totalem spiritus ardentis ele-

tis elevationem, fit ut optima ejus pars relinquatur in vesicâ, quæ ad nihil aliud quàm ad porcos saginandos usurpari potuit hactenus propter ignorantiam, quod male factum, materia enim relicta privari prius oportuit suâ pinguedine, & quidem vel destillatione plurium spirituum, vel confectione cervisiæ vel aceti, antequam projicerentur ante porcos reliquiæ; unde duplex commodum vergit ad manum operatoris. Cæterum non ignorandum, ad hanc operationem non esse eligendum ahenum aliquod vulgare, in quo empyreuma fructus contrahere solent, ingratum nimirum & saporem & odorem, sed certum aliquod aliud instrumentum ejusmodi conditionis, quod materiæ destillandæ quantumvis spissæ, adustionem impediat vel non permittat, cujus beneficio spiritus impetratur suavissimus; secretæ verò fermentationis adminiculo copiosissimus. Atque sic intellexisti rationes quarum beneficio & plures & suaviores impetrantur spiritus è frumentis & fructibus (unde duplex lucrum) beneficio nimirum certi alicujus vasis sive instrumenti, & *secretæ* alicujus fermentationis.

Parag. II.

Confectio vini haud dissimilis Rhenensi, Gallico vel Hispanico, durabilis multorum annorum spatio, è genere frumentorum & fructuum.

In hoc paragrapho res se habet aliter quam in Primo: in Primo enim demonstratur quomodo

è frumento & fructibus eliciantur spiritus & copiosiores & meliores quam viâ illâ vulgari: in secundo verò quomodo ex iis conficiatur potus vino naturali similis, diversi generis, coloris, saporis & odoris, pro lubitu nimirum, & quidem vel Rhenensi & Gallico vino similis pro potu ordinario, vel Hispanico, dulcior scil. & pinguior illo; durabilis etiam multorum annorum spatio, nec non ijsdem usibus conveniens, quibus naturale destinatum vinum; ita ut ferè nulla prorsus utriusque percipiatur differentia. Quod sanè est artificium præstantissimum & utilissimum, quia merito præfertur vinum clarum cervisiæ turbidæ. At ais potum illum è frumento confectum quantumvis similem vino, colore nimirum & sapore, non tamen esse verum vinum, utpote ex uvis non confectum, sed potius cervisiam limpidam, sive claram boni saporis. Scito autem me non esse primum, qui vini nomen adscripserit potibus vinum odore, sapore & colore referentibus. Succus enim ille expressus pyrorum & pomorum passim appellatur mustum vel vinum pyrorum & pomorum, & quidem non immerito; si enim duo aliqua invidua conveniunt in omnibus & singulis proprietatibus, quare non uno eodemque nuncupentur nomine? Nonne ubivis locorum nuncupatur spiritus ille ardens qui è frumentis elicitur, vinum frumentorum, quem si rite parare scirent (at ignorant) utique in omnibus similis futurus esset spiritui vini, id quod præter me hactenus nemo, quantum scire licet, præstare potuit.

tuit. Quare nemo hoc judicato secretum impossibile, sed potius rem altius perpendito, vel veritatem rei apud illos inquirito, qui ejus habent cognitionem, & re ipsâ experietur scientias esse utilissimas & præstantissimas ad vitæ sustentationem. Si quis posset è frumento & fructibus, in regionibus frigidioribus vino carentibus, potum instar vini clarum, salubrem, sapidum & durabilem conficere, nonne rem omnibus gratissimam facturus? Certè etsi pro potu homines electuri essent cervisiam turbidam, utpote potionem consuetam, ille tamen hâc gratior senibus & debilibus confortandis. Præterea etiam conficitur ex ejusmodi vino acetum optimum & clarum, præstantius illo, quod conficitur è cervisiâ. Etsi infers, confectionem illam vinorum è pyris nimirum & pomis esse rem communissimam, eaque in nonnullis convenire qualitatibus cum naturalibus ex uvis expressis, in nonnullis verò non, quia ultra semestre vel annum unum non durabilia, sed corruptibilia; acetumq; inde confectum non esse durabile, sed corruptibile, rubescere, mucorem & lentorem contrahere; ac proin bonitate non conferenda cum expressis ex uvis. Cui resp. me hoc confiteri vinum è pomis & pyris confectum non esse comparabile illi quod exprimitur ex uvis. Poma enim & pyra, alijque fructus arborum carent nonnullis qualitatibus, quibus prædita uvæ, & vice versâ nonnullis qualitatibus prædita, quibus carent uvæ; quibus ablatis, illisque adjectis, vinum dare possunt in omnibus comparabile ex

uvis

uvis expreſſo. Quale ſemper habeo mecum pro potu meo ordinario, à multis bibitum pro Rhenenſi, melius illo Gallico ſulphurato & ſophiſticato. Quare eſt hoc artificium utiliſſimum & præſtantiſſimum, non modò pro regionibus vino carentibus, ſed etiam pro abundantibus: Ubivis enim terrarum habetur frumentum, habenturque fructus arborei, in regionibus etiam frigidiſſimis, è quibus vinum optimum elici poteſt uſurpabile loco vini carioris aliunde adportati; vel majoribus ſumptibus domi propagati: majoribus enim ſumptibus propagantur uvæ quam frumentum & fructus arborei, quorum nonnulli etiam prorſus habentur gratis, & ubivis locorum in agris alijſque locis incultis producuntur, uvis requirentibus optimam culturam, ſolis calorem debitum, alioſque labores. Educatus ſum in Franconiâ, regione vino abundantiſsimâ, ubi vinitorum plerorunque potus communiſſimus aqua, vinum proprium vendentium rerum neceſſariarum coëmendarum gratiâ, quia vites maximam requirunt curam & diligentiam per totam æſtatem, quæ ſi calida dat vinum melius quàm alias ac proin carius, quod mittitur in alias regiones vino carentes; parum eſt quod ſibi reſervant vinitores recreationis gratiâ: frigore verò majali corrumpente palmites; vel in Junio flores uredine; vel grandine uvas ferè maturas (id quod ſæpe accidit in locis montoſis) tunc parum ipſis relinquitur ſpei pro præſenti, coactis pro futuro colere vineas vitæ ſuſtentationis gratiâ, qui ſæpe coguntur

paupe-

pauperiem fugientes vendere unam, ut alteram colere possint vineam, vel aliunde mutuo accipere pecuniam, quam cum fœnore retribuere oportet tempore messis. Quid igitur consilii tempore annonæ aliquot annorum? quare testor vinitores plerumque pauperculos esse, aquæ non vini potatores quod pro alijs plantare solent; alij verò, quibus non crumena vacua, valentibus nimirum tempore annonæ colere vineas, ditiores evadunt mutuantes cumprimis sive commodantes pauperioribus suas pecunias &c. Quod autem hoc vini artificium utilissimum non solum sit pro regionibus vino carentibus, sed etiam pro illis, quæ vino abundant, ita probabo. Loca illa vinosa pleraque carent cervisia, quare divites vinum, pauperculi verò aquam bibere coguntur, vel potum illum, qui conficitur ex uvis expressis & aquâ, quo sitim restinguunt in æstate vinearum cultores, quià vinum illis interdictum vendendum coëmendarum rerum necessariarum gratia. Qui si scirent è pyris & pomis, quæ ibi habentur in abundantiâ passim in sylvis, & vilissimo pretio comparantur, ejusmodi conficere potum, utique possent se illo per integrum recreare annum, & vendere proprium nativum rerum necessariarum emendarum gratiâ; quo ignorato artificio contentos esse oportet aquâ fontanâ &c. Forte quæres, utrum desit ejusmodi locis frumentum, è quo cervisiam conficere possit? Certe habetur ibi frumentum abundanter, sed non curant cervisiam incolæ, quorum pauperes etiam malunt bibere a-

aquam

aquam limpidam & claram, quam cervisiam instar urinæ equorum turbidam, & quidem rectè memores sine dubio proverbii Germanici: *Comede cocta, bibito limpida sive clara, & loquere vera, ut vivere possis.* Sufficiant igitur nunc dicta & demonstrata de possibilitate artificii vini è frumentorum fructuumque genere ubivis terrarum. &c.

PARAG. III.

Confectio spiritus ardentis è rebus vilioribus non ignotis, Rhenensi & Gallico similis, exiguo pretio comparabilis.

Hic paragraphus longâ non indiget demonstratione, quia ex prædictis facile intelligere licet, quæ hic in tertio dicuntur paragrapho verisimilia, de quibus omnino non dubitandum, ac proin ut vera acceptanda.

PARAG. IV.

Confectio sacchari (Indico similis occidentali) & tartari (Rhenensi similis) è melle non sumptuosa: ita ut pretium 1. lib. sacchari non excedat 8. vel 10. stuferos: Tartari verò lib. 1. non excedat pretium 2. stuferorum.

Mellis naturam & proprietates recte consideranti, facile hujus negotii apparebit possibilitas. Est enim magna inter saccharum & mel affinitas, uti apparet ex separatione principiorum utriusque

que, de qua nunc agere non est nostri instituti, sed saltem demonstrare possibilitatem artis. Saccharum est succus quidam dulcis & suavis repertus in cannâ, sive arundine, instar medullæ, ubi in regionibus calidioribus calore solis maturatum abscinditur, molâ confringitur & exprimitur, melli fusco colore suo haud dissimile: quod postea arte purificatur & clarificatur; clarificatumque advehitur inde in Europam. Ita etiam mel est succus quidam dulcis vegetabilis, attractus ab apibus è floribus arborum, aliorumque vegetabilium nascentium in pratis & campis, & congestus summâ diligentiâ sustentationis gratiâ propriæ; referens plerumque saccharum rude & crudum, sive nondum præparatum, paululum tamen saccharo crudior & impurior, teste experientiâ. Rem ita sese habente, quid in arte, quæ nunc temporis ad supremum fere pervenit gradum, purgaretur mel ab impuritatibus, saccharoque redderetur simile? Nonne sæpe in officinis pharmacopæorum saccharum usurpatur loco mellis, & mel loco sacchari, in præparatione nimirum syruporum & conservarum; quia nulla alia eorum differentia, quam quod saccharum naturaliter sit melle palulum purius, & gratiore sapore præditum; cujus verò ingratitudo saporis facile tollitur, ita ut in omnibus saccharo reddatur mel simile. Quod sine dubio artificium tandem aliquando innotesceret mundo (adjuvantibus hisce meis scriptis) sacchari nimirum è melle confectio, ne opus sit amplius tantis comparare sumptibus.

Quod

Quod ad tartarum è melle conficiendum, non est dubitandum de ejus possibilitate, sicuti nec de confectione sacchari ex eodem; hoc tamen illo verisimilius videtur, quia utraque sunt dulcia, mel nimirum & saccharum; sed non item tartarus durus & acidus: quare possibilitatem demonstrabo paucis quibusdam similitudinibus sive exemplis, exordium faciens exemplo musti dulci in principio ante sui fermentationem; quod decoctione inspissatur & ad succi spissi redigitur consistentiam, saccharo & melli similis sapore; qui reservatus in vasis terreis mundis, vel potius vitreis, dat ultro temporis progressu sal essentiale proprium adhærescens margini magnitudinis ovorum, ad instar sachari candi rubri; relictis fecibus seorsim, cum residuo saccharo, quod propter nimiã limositatem crystallos producere nequivit; nihil suavitate dulcedinis saccharo Indico cedens, in cannis nato, quæ dulcedo fermentatione alterabilis convertitur in tartarum acidum. Hoc exemplo datur nobis per naturam ansa possibilitatem artis melius considerare, dum saccharum conficitur è musto ablatione limositatis & aquositatis superfluæ. Id ipsum etiam apparet in passulis (uvis calore solis exsiccatis) in quibus saccharum granulatum reperitur, si relinquuntur per annum, simile nato in musto inspissato: Quare matres bonæ familias in regionibus vino abundantibus inspissare sæpe solent mustum ad mellaginem, quam per annum reservant & usurpant in cibis, & potibus. Id ipsum etiam fit cum cerasis pyrisque dulcibus contu-

contusis, expressis & inspissatis ad mellaginem, quæ reservata aliquot annorum spatio dat saccharum quemadmodum mustum; cujus sæpè in defectu fortissimorum fictilium, poros penetrat fictilium infirmorum pars purior, sal nimirum essentiale, extrinsecè fictili adhærescens coagulatum & crystallisatum, elegantissimum & albissimum instar sacchari purissimi, quia purissima saltem pars penetrat terram porosam, relictis fecibus in olla. Hinc igitur apparet quodvis vegetabile dulce, dulcemque quemvis succum dare salem sachari instar dulcem, quæ dulcedo convertibilis in tartarum: Quid igitur dubitas de melle puriore succis illis expressis? An infers, esse quidem verisimilem mellis conversionem in saccharum, quia idem accidit aliis etiam succis inspissatis dulcibus, saccharo dulcedine affinibus, sed non item ejus in tartarum conversionem, quia tartarus sal est acidum, saccharum verò dulce, non igitur ex unâ eademque radice proficisci possunt.

R. Causa incredulitatis est cerebri stupiditas, quod si esset adeò porosum ut fæmellarum ollæ à sacharo penetratæ musti, sine dubio fides in illud inventura ingressum possibilitatis, & quidem in tantâ copiâ, quanta fœminis exudat sacchari præter spem è fictilibus: adspice aures asininas oblongas quas tegere non vales, & judicium exiguum rerum naturalium: quid juvat cum ignominia contradicere veritati?

Nunc tibi dicam quomodò è dulcibus fiat tartarus acidus, non quidem tui gratia (qui tibi soli

sapis in tui aliorumque fraudem) sed illorum gratia qui discere non erubescunt. Considera mustum dulcissimum ab uvis expressum, salemque dulcissimum indè profectum spissationis beneficio, aquositatis evaporatione, quâ non separata facta fermentatione, producitur tartarus copiosissimus; cujus separationis causa non nisi fermentatio, congregans partes puriores & segregans partes crassiores. At instas quærendo, utrum hoc soli adscribendum fermentationi, quod dulcia producant tartarum; & quare non producatur in aqua illa dulcificata saccharo & melle, hydromelle nimirum; in cujus doliis nunquam repertus tartarus; Quare fieri non posse fermentatione aliqua vulgari concludis. Recte nunc instas: nec est vulgaris sive communis fermentatio illa, qua impetratur tartarus ille hydromellis, quia in illa operatione fieri nequit separatio tartari: quare etiam insalubres ejusmodi aquæ & ingratæ & laxativæ quantumvis antiquæ, quia melli nihil adjicitur quod faciat illam separationem. Qui enim è melle tartarum creare nescit, vinum quoque ex illo producere nequit. Sed non licet nunc publicare secretum cujus beneficio illa perpetrantur, reservandum aliquantisper pro amicis, donec nimirum tempus (quo omnia mutantur) revelationis tandem aliquando approximaverit; interea-que tibi sufficiat possibilitatis demonstratio. Ego sanè citius ad artem perveniissem olim, si quis tantum mihi dedisset lumen: Et quia nusquam tale quid legere vel audire licuit, facile conjecturare pote-

poteris, quantos sumptus, quantosque hujus rei gratia exantlaverim labores.

Parag. V.

Purificatio peculiaris tartari vulgaris impuri absque jactura aliquâ & crystallisatio, sive reductio in crystallos majores; cujus purificati lib. j. non excedit pretium 6. stuferorum.

Artificium hoc consistit unicè in præcipitatione aliquâ conveniente, quâ simul & semel omnis separatur limositas à tartaro soluto; quarè nihil vel parum perditur, ac proin facilè in crystallos majores convertitur tartarus.

Parag. VI.

Ablatio odoris & saporis ingrati mellei, quo ablato elicitur è melle spiritus ardens optimus mellis qualitates non sapiens, nec non hydromel vino naturali simili sapore & viribus, &c.

Hoc quoque secretum consistit in præcipitatione limositatis superfluæ, odorisque ingrati: ubi mel nanciscitur gratum & saporem & odorem, ità ut bonum inde & vinum & acetum conficiatur.

Parag. VII.

Confectio hydromellis optimi & clarissimi è passulis majoribus & minoribus, vinum referens Hispanicum optimum

mum, æquo etiam optimum clarissimumque conficitur acetum.

PAssulæ nonnisi sunt uvæ maturæ exsiccatæ, quæ quæ in Hispania aliisque regionibus calidioribus tempore justo abscinduntur, & exsiccantur super terram calentem, exsiccatæ verò mittuntur in Germaniam aliasque regiones; quæ naturâ suâ & proprietate nihil sunt nisi succus in siliquâ inspissatus uvarum, aquositas enim inter exsiccandum, reliquit in siliquâ succum dulcem, seu saccharum sive essentiam uvarum; quibus amissa calore solis humiditas restitui potest per aquam aliam, ita ut vinum inde parari possit; id quod à multis probatum, qui passulis integris vel incisis aquam calidam affuderunt fermentationis gratiâ in dolio, ut vinum hâc ratione impetrent Hispanicum: sed res ex animi sententiâ non successit; non enim vinum, sed liquorem aliquem dulcem impetrarunt; quià passulæ inter exsiccandum alienam adeptæ naturam, propter quam elargiri nequeunt tale vinum, quale recentes de se solent dare. Quare hactenus nondum innotuit confectio vini Hispanici è passulis, similis nimirum confecti ex unis recentibus, quæ nunc inventa. A multis quidem creditur passulas aquæ affusione recuperare quod ipsis decessit in exsiccatione, ac proin possibilem esse vini ex iis confectionem viribus & sapore similis confecti ex uvis recentibus: Sed hoc non fit viâ illâ vulgari, sed alia quadam, beneficio nimirum certæ præcipitationis, sive ablatione

tione saporis passularum, promotione fermentationis, & separatione partium heterogenearum. Non enim peculiaris aliqua ars est conficere potum aliquem dulcem è passulis aquæ additione via illa cognita, vini veri & durabilis probam sustinentem, qui statim facta fermentatione nondum clarificatus, paulatim acescit, id quod vinum Hispanicum verum (quantumvis citius acescat aliis) non facit aliquot annorum spatio durabile, si ritè tractatur. Quare quia vina illa viâ vulgari confecta è passulis, durabilia non sunt (teste experientia) neglecta posteà fuit illorum confectio, propter opinionem inde natam impossibilitatis; quæ tamen non passulis sed artifici imputanda culpa: si enim in exsiccatione nihil nisi insipida evaporat humiditas, relicta bonitate in passulis omni; quare inpossibilis esset ex iis vini confectio humiditatis restitutione naturali similis? Sed obstat passularum peregrinus sapor in exsiccatione acquisitus quem auferre nemo potuit: qui verò id noverit, non solum poterit indè conficere Hispanicum, sed etiam Rhenense vinum. At quæres, quomodo possit Rhenense è passulis confici Hispanicis; quæ recentes non nisi dant vinum dulce? Responsio habetur in antecedentibus paragraphis, ubi demonstratur possibilitas vinorum diversorum generum conficiendorum è quavis materia dulci.

Sanctè affirmare ausim, non nunquam me è passulis illis vulgaribus & melle confeciſſe vina dulcia, quæ à plerisque pro Hispanicis bibita fuêre. Nihil igitur amplius hac de re experientia confirmanda.

Dicam autem hoc coronidis loco, quod si sciveris mellis auferre ingratum saporem & odorem, possis ubivis terrarum ubi mel est reperibile, vel pyra dulcia, conficere vinum Hispanicum optimum vel quodvis aliud fortè, utpotè malvaticum, & illud à monte Petri Simonis nuncupatum, sine passulis nimirum; quia ubivis locorum materia illorum reperibilis. Dant etiam ejusmodi vina acetum album, clarum & acerrimum, & quidem præstantius Gallico & Rhenensi. Vina quoque ejusmodi confici possunt per totum annum, ita ut non sis ligatus ad certum quoddam anni tempus; id quod magnum emolumentum iis, qui quotannis magnam faciunt vini jacturam.

PARAG. VIII.

Quomodò vina bona, bonaque aceta conficienda in iis locis, ubi uvæ crescunt in locis incultis acidæ.

EST etiam hoc secretum utilissimum: plantari quidem possunt uvæ in locis frigidioribus, sed maturitatem non acquirentes bonum vinum dare nequeunt uvæ immaturæ & austeræ, teste Germaniâ, ubi sæpè tempore æstivali frigidiore, in locis aliàs calidioribus, maturitatem non adeptæ vinum dant uvæ tenue & austerum, quare etiam sæpè vinitores maximam patiuntur jacturam, nescientes vina sua vendere, transportationis indigna, relicta ipsis pro potu, vel anno meliori pro mixturâ vino fortiori admiscendâ venditionis gratiâ melioris, & quidem non sine magnâ sæpè vinitoris

toris incommodo: Si enim sequitur sterilis quoque annus, vinum vernum austerum adjuvare nesciunt, etsi sequitur annus satis fertilis, uvas producens dulces, vina tamen illâ bonitate propriâ carere nequeunt venalia, quare austeris illis anno antecedente natis succurrere nesciunt bonitate, sibi vix sufficiente propriâ. Quarè illa opus habent auxiliatore optimo, quem hactenus invenêre nondum; sæpe enim expertus ejusmodi vinorum multorum annorum spatio relictorum omnimodam corruptionem. Sæpe etiam accidit ut vinitores in messe siniſtrâ meliores saltem eligant uvas, relictis in vite vilioribus, cum maximo suo incommodo; qui si scirent uvarum immaturarum tollere austeritatem, sine dubio non ita eas abjecturi essent. Vinum enim austerum ab immaturis expressum uvis, corrigi facilè potest & emendari, ita ut pro optimo haberi possit, id quod scio per experientiam propriam, dum fieri optimum ex uvis immaturis & duris malleo contusis, Rhenensi omnium judicio simili. Iudicent igitur alii de præstantiâ hujus secreti, cujus beneficio non solum in locis frigidissimis, ubi vinum omnino non ad maturitatem pervenire potest, sed etiam in calidioribus ob aëris quandoque inclementiam, ita potest arte corrigi & emendari, opem uvis ferendo immaturis, ut evadat optimum & præstantissimum, quo cognito innumeris ita succurri potest, ut postea vina sua arte correcta eo melius vendere possint. Cæterum possunt quoque uvulæ immaturæ sponte nascentes in vineis incul-

tis ob Martis inclementiam, in vitibus relictis inutilibus aliàs, hujus artis beneficio ita corrigi & meliorari, ut vinum proferant optimum. Est igitur hoc si exercetur artificium optimum utilissimumque; non tamen omnibus & singulis indifferenter communicandum, quia publicatum tam hostibus quàm amicis prodesse potest: quare occultandum potius, quàm cum damno aliorum revelandum, donec Deo aliquandò placuerit. Sufficiat igitur dixisse de possibilitate.

PARAG. IX.

Item Præparatio potuum salubrium è ribibus, berberibus, moris, aliisque fructibus sylvestribus.

HIc se refert ad par. 2. & 8. idem enim artificium faciens ad uvarum immaturarum maturationem, huic quoque inservit negotio, estque unus idemque processus utrobique, unico excepto odore illo sylvestri fructuum sylvestrium corrigendo, in uvis deficiente, cujus causâ illis præferuntur uvæ, quibus etiam illi præferuntur abundantiam ubivis locorum; qui etiam uvis citius faciliusque plantari possunt, quæ in vineis incultis propagari nequeunt. Si enim surculus aliquis longitudinis unius vel alterius spithamæ ribium vel berberum terræ inseritur in vere, fructus suos proferre potest illo ipso anno, in regionibus etiam frigidissimis, locisque incultis: locus tamen pinguior pinguiores etiam majoresque producit acinos & fructus.

PA-

PARAG. X.

Correctio vinorum turbidorum, tenacium, rubescentium, mucidorum, acescentium.

HIc etsi paragraphus nullius esse momenti videatur, hoc tamen secreto vinificium carere nequit. patet enim sæpè numero integra dolia vinorum corrumpi, tenacitatem, rubedinem, mucorem contrahere & fœtorem; suntne talia propterea effundenda? Minimè; esset enim maximum damnum, sed illis succurrendum medicamento quemadmodum ægrotis hominibus. Si igitur tibi datur tale vinum, omne vitium præcipitare oportet, & intra paucos dies pristinam suam recuperabit bonitatem, colorem & claritatem. Acescens etiam, non tamen in acetum conversum, bonitatem pristinam recuperare potest adjutum nimirum debitis mediis: nimis autem acidum rectè convertitur in acetum sine damno, quo nemo carere potest.

PARAG. XI.

Confectio aceti facilima in magnâ copiâ è quibusdam vegetabilibus ubique reperibilibus, optimi nimirum, clarissimi & durabilis, simili Gallico, &c.

HOc est Secretum egregium, cujus beneficio ubivis terrarum è vegetabilibus quibusdam acetum conficitur optimum & durabile, in magna copia sumptibus exiguis. Estque hoc secretum pro Emporiis illis magnis maritimis, ubi magna exer-

exercetur mercatura, unde cum maximo lucro in alias deportari potest provincias.

PARAG. XII.

Productio vinorum in locis frigidioribus, vina ob aërem frigidiorem alias non producentibus, (frigidissimis tamen omnium exceptis) optimorum, suavissimorum, dulcissimorum & durabilium, bonitate, claritate, dulcedine & durabilitate non cedentium natis in Germaniâ, Galliâ, Italiâ & Hispaniâ.

HOc Secretum convenit cum 8. & 9. fere, sed hoc hic requiritur cumprimis, quod vitis radici adjuvandæ applicare oporteat medicinam nutritivam & confortativam, fœcundativam & à frigore præservativam necessariam ad uvarum productionem; quæ etsi maturitatem non adipiscuntur, arte tamen possunt tam post, quàm in ipsa fermentatione perfici, ita ut vinum inde habeatur optimum & præstantissimum.

PARAG. XIII.

Secretum aliquod, cujus beneficio vina facile transportantur à locis montosis remotis à fluminibus, aliisque vectionis commoditatibus destitutis, ita ut 10. *culeorum vectio vilioris sit pretii, quàm alias unius.*

HIc varios offendit paragraphus tam doctos quàm indoctos secretorum ignaros, rem impossibilem judicantes, & non nisi somnia & figmenta.

gmenta. Quod veniens ad aures noſtras fecit me pœnitere ſcriptorum meorum, quia varias moleſtias mihi multorumque creaveram contradictiones: confortatus verò iterum conſiderans hunc eſſe morem mundi hujus perverſi & ignari, carpere ſoliti honeſtos, eorumque ſcientiam. Multi rem incredibilem judicârunt ob carentiam quadrigarum alatarum, equis non indigentium, ſe mutuo in incredulitate confirmantes, cæcorum more ſeſemutuo, manibus ducentes & impoſſibilitatem concludentes. Sed quæsò quare judicas judicium adeò perverſum; ſi enim unius alicujus ſecreti eſſes præ aliis particeps, non ita temerè judicaturus eſſes, ſed potius incognita non contemnenda judicaturus. *Zoilorum* enim *mos* eſt *proprium quærere honorem*, aliorum placita deſpicientium, qui ſi non eſſent rudes & inertes, paraſitos agere non opus haberent & ſycophantas aularum appendices verſipelles, vafros omnia ſua negotia verſutè verſantes, quorum vices non dolendi diſcere & carbones tractare erubeſcentium. Sed ad propoſitum veritatis demonſtrandæ gratiâ: Muſtum recens ante ſui fermentationem decoctum & inſpiſſatum nihil perdit virium, præterquam humiditatem inſipidam, teſte experientiâ; cum tamen factâ fermentatione calorem ſentiens privetur ſpiritu ardente, parte nimirum, præſtantiore, relictis partibus inſipidis & inutilibus, uti videre licet in deſtillatione vini. Sequitur igitur muſtum recens ſive recenter expreſſum, ante fermentationem ſui, decoquendum eſſe ad mellis con-

consistentiam, sed non in aheno viâ tædiosâ musto ingratum saporem conciliante, sed in vase aliquo peculiari secreto. Humiditate evaporatâ remanet pars 8. vel 10. specie sua mel referens, in qua tota omnisque delitescit virtus. Qui succus inspissatus & in angustiam redactus dolio inclusus transportari potest facilius in loca alia, quàm partes illæ 10. non inspissatæ, quarum vectio sive transportatio non modò est longè carior, sed etiam sæpissimè suspecta falsificationis sive sophisticationis gratiâ ab aurigis faciendæ, vino aquam admiscentibus.

Succus ille inspissatus aliundè transportatus convertitur in vinum, si dissolvitur in sufficiente quantitate aquæ, quanta nimirum ipsi decessit in decoctione sive inspissatione, vel in minori quantitate, si fortius meliusque desideras vinum; & dissolutum in doliis reponitur ad fermentandum.

Nec solum unius specici, sed diversarum vina confici possunt è musto inspissato, pro diversâ nimirum aquæ admiscendæ quantitate, & quidem non sine magno lucro, ita ut non opus habeamus transportatione vinorum peregrinorum dulcium è Galliâ, Hispaniâ & Italiâ, tædiosâ & sumptuosâ.

NB. Mustum non est inspissandum in aheno propter ingratitudinem odoris & saporis, quam inde contrahit, vel adustionem. Cæterum requiritur etiam peculiaris aliqua præcipitatio, cujus beneficio separatur flavedo & sapor in musti decoctione attractus clarificationis gratiâ: sine quibus secretis duobus, secreta nimirum decoctione, &

ne, & præcipitatione sive clarificatione fermentationis tempore bonum vinum fieri nequit. Qui igitur noverit illa, intra paucos annos magnas divitias comparare sibi poterit confectione vinorum diversorum generum, ignarus verò abstineat ab hoc vinificio. Poteris ante periculum facere in aheno minoris probæ mustum inspissando, & reipsâ experiere; nihil vinum decedere musto, relicto inspissato in fundo vasis atque huic admiscere denuo sufficientem aquæ quantitatem dissolutionis gratiâ, & recipies mustum primi musti dulcedine præditum, excepto sapore attracto ex aheno, quæ dissolutio factâ fermentatione dat quidem vinum sed ingratum flavedinis causâ & saporis ex aheno contracti. Sed si moveris prædicta illa duo secreta, sine dubio conficies è musto inspissato vina præstantissima.

Parag. XIV.

Præparatio facilima æris viridis è cupro vetere, cujus libræ prætium non excedit 6. stuferos.

HOc sane est optimum secretum quo viâ quadam facilima non tædiosa nec sumptuosa æs viride conficitur in magna copia, pictoribus & coloratoribus utilissimum, quo quis honestè familiam propriam alere valet.

Parag. XV.

Destillatio nova & inaudita aceti in copiâ maximâ, cujus

cujus duæ amphoræ non excedunt pretium Imperialis dimidii, cum quo multa præstari possunt, cumprimis autem crystallisatio æris viridis, cujus lib. j. non excedit pretium Imperialis dimidii.

Hic destillandi modus prorsus fuit incognitus hactenus, ac proin dignus, quod ejus hic fiat mentio, quia nemo carere potest aceto destillato in operationibus Chymicis, propterea quia ipsius beneficio purgantur & clarificantur colores ita ut majore pretio venum eant, qua ratione quis honeste familiam alere potest. Quod aliàs fieri nequit in destillatione aceti in vasis vitreis tædiosa & sumptuosa.

PARAG. XVI.

Destillatio Spiritus urinæ fortissimi facilima, celerrima, non sumptuosa nec tædiosa, ubi 20. vel 30. libræ confici possunt pro Imperiali, cujus beneficio multa præstantur in Medicinâ, Alchymiâ & mechanicis, cumprimis verò ejus cum ipso è cupro conficitur vitriolum elegantissimum cæruleum, præstantißimum in Medicinâ & Alchymiâ: cum quo argentum adeò redditur fusile, ita ut ejus beneficio vasa vitrea (utpotè pocula, patinæ, disci aliaque) tam internè quàm externe argento obduci queant: ita ut argentea appareant.

IN tractatu 2. Furn. Phil. mentionem feci copiosam de destillatione hujus spiritus, ejusque dedi modos varios; sed hujus modi, de quo hîc agitur, feci mentionem nullam; quia hæc destillatio nullam

lam habet affinitatem cum omnibus aliis peragendis per instrumenta, terrea, vitrea & metallica, sed solummodo per lignea absque ullo igne; ita ut 100. libræ non unam expostulent lib. carbonum: ubi non solùm 20. 30. sed etiam 100. libræ pro uno Imperiali confici possunt: quæ revera destillatio artificiosa. NB. Eadem ferè ratione peragitur destillatio aceti. Quod autem dixerim in appendice de 20. vel 30. libris conficiendis pro uno imperiali, feci propterea quia verisimilius, quàm si dixissem 100. Et quia ignaris pretium illud 20. vel 30. librarum verisimile non videtur, palam dico nunc pretium 100. libr. non excedere Imperialem unum; capiat igitur qui velit, mihi si quidem perinde, sive credas, sive non, quia indubitantur verum. Etsi præstantissimus hic spiritus in variis operationibus Chymicis propter medicos tamen propriè usus ipsum saltem communicare volui: Si enim in maxima copia facile, sine sumptibus & laboribus paratur, liberaliter etiam usurpari potest in Medicina, cumprimis verò in balneis humidis & siccis, quorum beneficio multi gravissimi, aliasque incurabiles, morbi sæpe curantur feliciter. Hic enim spiritus mirabilia & incredibilia præstat; ita ut ipsum sequantur honores & opes. Hinc igitur apparet, hunc non contemnendum paragraphum, pro more Zoilorum. Potuissem plura addere de viribus & virtutibus ejus, sed tempus nunc non patitur.

Parag.

PARAG. XVII.

Destillatio spiritus salis facilima non sumptuosa, cujus lib. j. 6. fluferorum pretio venalis esse potest, utilissimi in Medicinâ, Alchymia aliisq; artibus mechanicis, cum primis verò præstantissimi ad sequentia perpetranda.

IN Primâ Parte fornacum nostrarum philosophicarum dedi modum facilimum spiritum salis distillandi in copiâ: Sed hic paragraphus agit de alia aliqua peculiari destillatione, quam divulgare nolui; Spiritu verò salis necessario requisito ad varias egregias operationes (vulgo incognitas) operæ pretium judicavi ejus deprædicare laudes. Apponam igitur saltem nunc temporis aliquot ejus usus Chymicos brevitati studens, reservans reliquos in alium locum aliudve tempus.

PARAG. XVIII.

Separatio auri ab argento illæsis ornamentis: item Solutio & separatio auri argentum & cuprum continentis, aurique præcipitatio ex aquâ, illæsâ aquâ, ità ut ad eosdem usus venire iterum possit: quâ de causâ hæc omnium separationum viâ humidâ perficiendarum, præstantissimâ, aurum redigens ad supremum gradum.

NOn latet Chymicos auri separatio ab argento deaurato per aq. reg. nec non auri solutio & separatio continentis cuprum & argentum: Sed rarò exercetur ob sequentes rationes, quia nimirum auri illa separatio ab argento deaurato (argen-

(argento nimirum auro non obducto crasso modo) non resarcit sumptus expensos, propter sumptus & labores requisitos ad aq. regiæ confectionem: Spiritus verò salis hâc ratione confectus caret sumptibus. Secundo etsi aurum dissolvitur in aq. reg. difficulter tamen iterum separatur: nonnulli aurum solutum in A. R. præcipitârunt illud cum lixivio salis tartari, præcipitatum edulcorarunt, & cum borrace reduxerunt, & quia hæc calx ignis calorem sentiens accenditur cum maximo tonitru, miscuerunt ipsam cum sulphure communi, mixtaque calcinarunt tonationis & accensionis auferendæ gratiâ, antequam nimirum illam cum borrace reduxerunt.

Qui labor maximam requirit diligentiam, ingentes labores, & sumptus non exiguos, si nolis auri aliquam facere jacturam, quare non optimus modus. Alij destillationis beneficio aq. reg. ab auro soluto separavere, sed præter labores & fœtores, nec-non vitrorum periculum experti auri jacturam quam perpessi ab aq. reg. Quare nec hic separationis modus pro bono habendus. Nonnulli aurum solutum præcipitarunt ex aq. reg. cum solutione vitrioli & aluminis in pulverem nigrum, quem in fusione mixtum reperêre cum ferro & cupro, attractis è vitriolo: quare nec quoque inutilis separationis modus. In notrâ verò separatione talia non habentur obstacula, auro enim soluto in salis spiritu statim adjicitur res aliqua præcipitans, solutioque in alieno cupreo (ubi nullum periculum fractionis

vaſorum) collocatur ſuper ignem, coctionis gratiâ quod dum fit ſeparatur aurum & præcipitatur elegantiſſimum; relicto cupro in ſpiritu ſalis, quem ab auro (edulcorando, poſtea exſiccando & fundendo) decantare oportet & ad uſus ſuos reſervare. Quâ ratione omnia facile abſque jacturâ, ſineque ſumptibus peraguntur. Quæ omnium ſane ſeparationum humidarum præſtantiſſima & utiliſſima auri cuprum continentis & argentum. De quâ re plus in Parte Quartâ fornacum.

PARAG. XIX.

Separatio auri ex argillâ, arenâ, ſilicibus aliiſque mineris, flammeum, ſpongioſum & leve, quod aliàs ſeparari nequit neque lotionis beneficio, nec cum Mercurio, nec fuſionis ope; vtâ nimirum quâdam facili elixationis, non ſine magno lucro. &c.

Hic paragraphus agit de aliquo labore peragendo cum ſalis ſpiritu; quo quis ubivis terrarum, ubi montes, ſaxa ſive lapides, arena & argilla, facili negotio victum & amictum acquirere poteſt honeſtum & quidem abundanter. Ubivis enim terrarum argilla reperitur, arena & ſilices, auro quodam ſubtili prædita, inviſibili nimirum in argillâ & arenâ, conſpicuo verò interdum in ſilicibus & ſaxis quando franguntur, quæ ſi nimis dura, oportet illa probe candefacta in aq. frigidâ extinguere, ut fatiſcant, & in pulverem abeant contrita; quâ ratione aurum in ijs manifeſtatur magis. Reperiuntur quandoque montes integri referti ejuſmodi lapidibus auro tali ſpirituali ſive ſubtili præditis, adeò nimirum ſubtili & levi, ra-

roque

roque ut sumptus fusionis refarcire nequeat. Hâc autem ratione facile elicitur cum salis spiritu, ita ut quis privatim honeste & abundanter acquirere possit, quæ pertinent ad vitæ sustentationem. Oportet autem horum lapidum habere cognitionem, quorum omnium facilime cognoscuntur silices, quibus candefactis, in aquâ extinctis & fractis, si aurum in ijs, apparet illud ubique in omnibus & singulis particulis colore splendente flavo & rubro; qui si conteritur in pulverem, rubro apparet ille colore, quo non fuerunt præditi silices antequam in igne candefierent. Continent autem ejusmodi lapides etiam ferrum, quod tamen huic negotio nullum infert damnum, quia solum aurum præcipitatur è salis spiritu, relicto ferro in aquâ. Est labor hic egregius & facilis, quem etiam in magna materiæ quantitate exercere licet cum maximo lucro, ita ut hâc ratione aliquot mille hominum victum & amictum suum acquirere possint absque ullâ aliuâ jacturâ proximi. Consistit autem hoc secretum in duobus; in copiosâ nimirum facilimâque spiritus salis præparatione, debitaque præcipitatione.

PARAG. XX.

Nova & inaudita proba mineralium sylvestrium & fumacium, omnium nimirum & singulorum, quâ illorum tenor reperitur, id quod alias viâ illâ vulgari fieri nequit: Estque hoc cumprimis secretum pro ijs locis, ubi sunt abundantes mineræ. Sæpe enim reperitur auri mine-

rapertinax, quæ si examinata nihil dat, inculta relinquitur &c. Nonnunquam etiam reperiuntur alia, ubi non reperiuntur metallorum minerę, variorum generum, talcum album & rubrum &c. quæ vulgari ratione probata, parum vel nihil dant, auro tamen sæpe & argento abundantia occultis in ipsis, quæ cum lucro ratione aliâ separari possunt.

Hæc proba longè aliter se habet quàm vulgaris illa tegularum nimirum & cupellarum, cumprimis destinata sylvestribus illis & pertinacibus mineralibus, plumbo non miscibilibus; quæ si plumbo non miscentur, quomodo tenorẽ illorum scire licet. Est igitur hoc secretum utilissimũ & præstantissimum pro ijs cumprimis qui fortunam suam quærunt in montibus, in terrâ, mineris & lapidibus. Hac enim ratione tenor illorũ etsi admodum sit exiguus, facile est reperibilis, quo cognito, scire quoque licet utrum cum lucro vel damno talia tractari possint utpote argilla, arena, lapides saxa &c. Consistit autem hoc secretum potissimum in conjunctione Saturni: impossibile enim invenire tenorem mineralium aliorumque fossilium, si misceri nequeunt cum Saturno, quorum multa auro sæpè abundantia, quia nullam cum plumbo habent affinitatem, inculta relinquuntur ceu lapides inutiles. Quæ si beneficio medii uniuntur cum plumbo recte, non minus dant tenorem, quam mineralia illa mitiora, non absque fructu: quare hoc Secretum pro fundamento Alchymiæ habendum.

Parag. XXI.

Via nova compendiosa & inaudita, quâ mineralia celeriter, in magnâ copiâ funduntur non sine fructu magno. Vbi unius diei spatio, beneficio furni alicujus peculiaris, abstractionis viâ, plus funditur, quam viâ illâ vulgari 8. dierum spatio; quâ ratione non modò parcitur sumptibus, sed etiam lucrari licet plus quàm aliàs.

Hæc fusionis via nondum innotuit, quâ in magnâ funduntur copiâ metalla, sed sine dubio aliquando publicabitur, quia vulgari illâ longe præferenda. Consistit autem hoc secretum in hoc, quod nimirum peragatur absque follibus, sed certis & peculiaribus ventilibus æque fortiter ac folles carbones afflantibus. Constat enim Mineralium tractatoribus, quanti quotannis sumptus impendendi in folles molasque tollentes illos. Cæterum sæpè oportet mineralia & carbones in valles aquarum gratiâ transportare, sine quibus folles gubernari nequeunt, qui sanè labor tædiosus & sumptuosus. Præterea hoc hîc quoque commodi, quod in hâc fundendi ratione erigere liceat furnos quantitatis pro lubitu maximæ; id quod ibi non licet: quia majores fornaces majores requirunt folles, & majorem aquæ quantitatem ac proin majores etiam sive ampliores molas; sed non ubivis locorum tanta commoditas. In hâc nostrâ novâ liquefaciendi ratione non indigemus follibus, nec molis, quantumvis furnos erigere liceat maximos, quo enim furni majores,

cò major quantitas in illis fundi poteſt. Quare non dubito quin hæc ſit omnium fundendi ratio nobiliſſima, utiliſſima & præſtantiſſima. Utrum autem omnia & ſingula in hoc liquefieri poſsint furno mineralia id ipſum ignoro, feci enim ſaltem periculum in plumbi minerâ; non autem in reliquis, ob minerarum, locique defectum furno erigendo ſufficientis. Sed ſpero me brevi victurum in loco commodiore, ubi carbones & mineræ mihi deeſſe non poſſunt, quo periculum facere poſſim in igne & mineris.

PARAG. XXII.

Modus melior fuſa & liqueſacta, ſeparare. Separatio argenti à plumbo melior.

Hoc ſecretum nihil eſt niſi peculiaris aliqua ſeparatio plumbi ab argento in plumbo contento. Sicuti enim ubique in officinis plumbum argento præditum ſeparatur in foco vi ſufflationis in lythargyrium converſum: eâdem etiam ferè ratione fit hæc noſtra ſeparatio: ubi plumbum redigitur in lythargyrium, non autem vi ſufflationis, ſed beneficio furni alicujus, quare hæc vulgari illâ præſtantior. Atque hæc intelligenda de ſeparatione, quæ fit in quantitate maximâ, ſed et & alia ſeparatio, quæ exercetur in ſeparatione metallorum minoris ponderis centenarij ſcil. qui non ſit cupellarum vulgarium beneficio è cineribus confectarum; ſed crucibulorum, quorum

6. v

6. vel 8. simul collocantur in furnello aliquo inter carbones, nimirum immediate, non sub tegulâ, quâ ratione plures in uno conficiuntur probæ, quàm sub tegulâ cupellarum beneficio in 8. diebus; quia hâc ratione, brevi unâque vice peragitur separatio in uno vase in viâ verò vulgari mineralia oportet (si sylvestria sive pertinacia) prius torrere, coquere postea in crucibulo cum certâ additione aliquâ in furno ventoso, vel aliàs coram follibus; deinde cocta in testâ sub tegula convertere in scorias, tandem scorias cupellare. Qui labores quatuor, *Tostio*, *decoctio*, *scoriatio* & *cupellatio* vix 3. vel 4. horarum spatio perfici queunt: in hâc verò separatione mineralia sive mitia sint sive sylvestria, non torrentur, non decoquuntur, sed omnia & singula simul, unoque perficiuntur labore $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ horæ spatio, in uno crucibulo.

Quæ revera Proba est præstantissima & utilissima sine quâ vix tantam metallorum cognitionem assecutus fuissem. Facile enim conjecturare licet, quantum requiratur laboris, quantumque temporis (nihil dicam de carbonibus) in quâlibet Probâ si peculiaris ignis in suo proprio furno, pro unaquâque probâ in specie accendendus separationum gratiâ nimirum diversarum; quæ omnes & singulæ uno igne unoque furno peraguntur hac nova nimirum separationis viâ. Estque hæc celeris metallorum separatio pro studiosis illis naturæ indagatoribus, qui multitudine aliorum negotiorum, vulgarem illam exercere nequeunt;

nec-non pro mineralium fossoribus & tractatoribus variorum & plurimorum ; item pro Chymicis in auro & argento laborantibus probaturis operis sui bonitatem. Nec autem solum in minori quantitate, sed etiam in majore exerceri potest hæc secreta separatio ; eâdem enim facilitate 10. & 20. libræ probari possunt, quam una vel altera uncia sed quia in majori majus plumbi requiritur pondus , majora quoque requiruntur crucibula. Non autem in hâc nova separatione tanta requiritur plumbi quantitas, quanta in vulgari illâ. Si enim dupla vel tripla quantitas plumbi adjicitur ad unam metalli sive mineræ alicujus etsi cuprum (requirens alias 16. vel 18. plumbi partes) æque bene rectéque purgatur. Præterea nec plumbum nec cuprum hac amittitur ratione, nec è cupellâ quam porosam in vulgari illa intrare solet eliquandum iterum ; quia in hac facile iteterum separatur à plumbo cuprum igne nimirum parvo.

Quare non exiguum est secretum Chymicum, januam multorum aliorum aperiens. At ais, multa quidem promittis , sed pauca præstas ; multorum quidem facis Secretorum mentiõnem , sed nihil doces ; quis unquam quæso talia ingenii sui acumine invenire poterit ? ℟. Non est nostri propositi offam præmansam offerre tibi , quare quære & labora indesinentur, sicuti feci ego, feceruntque alij, tu qui novitatis avidus. Nemo fuit qui me docuerit præter exercitationem sive usum & fortunam, secundum proverbium : *Usus facit*

facit artificem, & *fabricando fimus fabri.* Si tantam habuissem ego, quantam hic tibi dedi, manuductionem, sine dubio minoribus sumptibus & laboribus ad majora perveniissem. America mundi Quartâ Parte vastissima explorata à Christophoro Columbo & quidem non sine magnis curis & laboribus, quantam quæso postea habuerunt alij prærogativam minori cum periculo & labore deportare inde thesauros? Nonne laude dignus ille? inventor nimirum terræ locupletissimæ, ersi non omnibus & singulis digito monstraverit? Nonne secuti alij illius manuductionem, indeque per Oceanum vastissimum amplissimas deportârunt divitas? quid ni etiam hujus secreti gratia aliquos exantlares labores, cujus beneficio aurum & argentum comparari potest absque periculo navigationis? At infers cum vulpecula; *Terrent me vestigia*, vidi multos oleum & operam in Alchymia perdentes, domos & fundos consumentes suos. ℞. Fateor equidem, at *culpa non Artis est sed Artificis.* Non autem dubito quod hæc mea scripta totam illustrabunt Alchimiam, multos ab erroribus revocatura. Cæterum scito esse & alium Saturnum, cum quo præstantur mirabilia in Alchimiâ (ubi non usurpatur vulgaris ille) illum videlicet, quem Paracelsus tantopere deprædicat in cœlo suo Philosophico. In hac autem separatione usurpatur plumbum illud vulgi omnibus notum, non inferius illo Philosophorum fratre suo, quod totum & spiritualisatum conclave regium non minus intrare audet feudi accipiendi gratiâ.

PARAG. XXIII.

Quomodo mineralia in defectu carbonum ligneorum, fundenda beneficio carbonum fosilium, viâ quâdam facilimâ & utilissimâ.

Nec hic follibus peragitur labor, sed flamma ignis carbonum vel ligneorum vel fossilium, occupante mineralia ita ac si essent crucibulo circumdata. Est autem hic modus saltem pro mollibus faciléque fusibilibus metallis, ubi non tanta, sicuti ibi, fit mineralium jactura.

PARAG. XXIV.

Fixatio mineralium sulphureorum, arsenicalium, Antimonialium, Koboltorum, aliorumque volatilium venenatorum, quæ aliàs ob nimiam volatilitatem in igne retineri nec fundi possunt, beneficio nimirum furni alicujus cementatorij, seu crate præditi, ut aurum postea inde & argentum eò melius haberi possit.

Non ignoratur à mineralium fossoribus reperiri nonnumquam mineralia immatura auro & argento carentia, quæ aëri aliquantisper exposita, postea probata aurum dant & argentũ tam in majori quam minori probâ; sicuti sunt wismuthum, coboltum, auripigmentum, aliaque antimonialia & arsenicalia. Causante igitur hanc maturationem aëre (stimulante salẽ nimirum mineraliũ activum & maturativũ) quidni etiã arte mineralia talia

lia per ejusmodi salia fixantia perficerentur & maturarentur? Certe fieri potest per artem & naturam, etsi ruditate ingenij non capiatur. Quid igitur consilij? Est-ne secretum incredulis ignaris revelandum? minime, quærant illi etiam sicuti alij, illud inventuri à Deo prædestinati, aliàs non etsi plus satis hâc de re informarentur. Sed non, te latetat, aurum & argentum eductum factâ maturationem ex illis immaturis mineralibus, non latuisse in illis corporaliter, aliàs enim separari potuissent artificiosâ illâ separatione, sed spiritualiter, instar infantis in materno multis involucris circumdati. Sicuti Paracelsus ejusmodi mineralia nominat *sulphura embryonata*, nihilo præter maturationem carentia, quâ privantur nimis tempestive è mineris eruta à fossoribus. Quâ autem fixentur ratione, id non est hujus loci docere: hoc tamen dicam, quodvis sulphur volatile immaturum, nullam habere cum auro fixo corporali affinitatem, ac proin vix ac ne vix quidem cum ipso miscibile; uti apparet ex separatione metallorum fusionis beneficio, ubi aliquot metalla simul fusa sive colliquata, fixa nimirum & non fixa, in adjectione sulphuris communis, quod mixtum cum non fixis sibi proximis convertit illa in scorias; fixa verò scil. aurum & argentum, (cumprimis verò aurum) nolunt misceri cum illo, illud respuentia, seque naturaliter separant ab illâ mixtura, fundum petentia in regulum conversa, aurum nimirum cumprimis, quod ab omni sorde purgatum, inquinari respuit impuritatibus denuo ob anti-

antipathiam quæ est inter sulphur fixum & non fixum. NB. Sulphur autem commune fixatum facilius miscetur cum auro quàm cum cæteris metallis imperfectis; id quod admirabile in oculis ignarorum, in quo magnum latet secretum consideratu dignum. Figuntur quoque mineralia arsenicalia & Kobolta, ita ut postea cum argento unita permaneant. Auripigmentum verò & antimonium participant de utraque naturâ, aureâ nimirum & argenteâ, in qua ex parte fixari possunt. Oportet autem confiteri me, hunc admodum esse periculosum laborem, quare cautè tractandus, & quidem non nisi in furno nostro quarto. Me quod attinet testor mihi nunquam nocuisse furnos arsenicales, qui nunquam alio usus præservativo, quam quod nunquam ejusmodi labores accesserim stomacho jejuno; quare accessurus labores illos comedat prius fructum panis cum butyro, bibatque haustum absinthitis, vitetque pro possibilitate fumum.

PARAG. XXV.

Fructuosa quædam separatio auri & argenti flammei, spongiosi & rari, ex arenâ, argillâ, silicibus &c.

Diximus supra in Par. 19. de auro tali, quod neque, ablutionis beneficio possit separari ab arena, neque vi amalgamationis, quia levius arenâ in angustiam redigi nequit seorsim, possit autem separari cum fructu vi elixationis cum salis spiritu: Hic autem dicitur, quod etiam separari possit fu-

sit fusionis beneficio, id quod multis incredibile videbitur propter pauciſſimam auri quantitatem arenæ copioſiſſimæ mixtam, quomodo nimirum exigua auri quantitas à maxima arenæ vel argillæ ſeparari poſſit cum fructu. Quibus reſponſum volo, quod non poſſit fluxus vel additionis alicujus (quantumvis viliſimæ) beneficio ſeparari cum fructu vi liquefactionis quia aurum eliquatū ſumptus expenſos reſarcire nequit; oportet igitur ut fiat aliâ ratione. Sunt nonnulla metalla viliora, quæ arte deſtruenda, & perficienda, additionem arenæ vel ſilicis requirunt, ſine quibus illorum deſtructio & perfectio fieri nequit, quorum loco ſi adjiciuntur ejuſmodi ſilices & arenulæ, tunc illorum aurum, quod alias eliquari nequit, una producitur in lucem cum illo quod elargiuntur metalla deſtructa & meliorata, & quidem cum meliori fructu.

PARAG. XXVI.

Eliquatio quædam fructuoſiſima ſecretiſima auri inviſibiliter contenti in metallis vilioribus, mineralibuſque quod alias viâ illâ vulgari fieri nequit.

Hic Parag. tractat de eodem negotio, de quo in antecedente §. Eſtque hic labor non niſi deſtructio viliorum metallorum, utpote Saturni, Jovis, Martis & Veneris, & in eſſe quoddam terreum reductio, vitro ſimile ſive ſcoriæ, qua deſtructione, & reductione maturantur metalla vi

ignis

ignis partimque purgantur additionis beneficio, ita ut postea suum aurum & argentum dare possint in separatione, quod aliàs dare non potuissent.

PARAG. XXVII.

Separatio quædam celerrima, nec sumptuosa auri & argenti eliquati, fusionis beneficio, ita ut per unum hominem, uno die, in uno furno, aliquot centenarij separari possint, & quidem minoribus sumptibus & laboribus, quam per aq. fort. vel cementa.

Hic sanè labor est egregius, celerrimus & utilissimus (quia fit absque aq. forti) quo aurum separatur ab argento, nemo est inter expertos qui ignoret tædia separationis aquæ fortis beneficio instituendæ; id quod hâc facilime & celerrime perpetratur viâ, ut sequitur nimirum: Confringitur argentum & redigitur in frustula, quibus repletur crucibulum, adjecto simul fluxu separatorio; argento fuso præcipitatur aurum in argento cum certa quâdam re præcipitante in regulum, quo facto una omnia effunduntur in conum; quibus refrigeratis, percussione mallei separatur regulus à massâ reliquâ, argento non privatus omni, continens ad unam auri 2. 3. partes argenti, quæ factâ cupellatione separare oportet per aq. fortem. Atque hâc ratione aurum contentum in 100 marcis (sive 50. libris) argenti, redigitur in 2. vel 3. quæ postea separantur per aq. fortem. Ubi non opus 100 illas marcas primo cremationepurgare, gra-

re, granulare, & granulatas singulas separare per aq. fortem; habemus autem opus aqua forti saltem ad paucas aliquot marcas; ubi egregiè parcitur sumptibus impendendis aq. forti copiosissimæ coëmendæ, nec-non vitris periculo fractionis obnoxijs; nec-non laboribus. Secundò separari quoque potest hâc ratione ingens argenti deaurati quantitas unius diei spatio, & quidem exiguis & laboribus & sumptibus, quod per aq. fort. fieri nequit. Noli autem opinari hunc esse illum, de quo scribit modò Lazarus Erker, quia magna utriusque differentia. Etsi enim illa separationis via ab Erkero tradita non sit contemnenda, tædiosa tamen & sumptuosa quodammodo; nostra verò minime.

Parag. XXVIII.

Reductio auri laborati, utpote catenarum, annulorum &c. ad supremum gradum celerrima; nec-non separatio auri facilima ab argento deaurato, ita ut facilius hac ratione separentur 100 *marcæ, quam viâ vulgari* 20. *ubi & sumptibus, & laboribus, nec-non tempori parcitur egregiè.*

Fit hic mentio alterius cujusdam separationis, nullam omnino affinitatem habentis cum antecedente, respicientis saltem aurum viâ quadam facilima separandum ab argento & cupro, & ad supremum reducendum gradum. Qui etiam labor est utilissimus & facilimus, quia non perficitur per quartam, cementa & antimonium, sed per

fluxum

fluxum aliquem peculiarem adjiciendum metallo fundendo, quo fuso congregat ille fluxus argentum, cuprum & alia & in scoriam convertit, quæ postea effusa percussione separantur, auferendo aurum purum putum ab additione separatum: postea etiam separatur additio fluxus, ab additione auri præcipitatione; ita ut primò solummodo præcipitetur argentum (si placet) è fluxu, postea etiam cuprum, vel ut separetur solummodo argentum, relicto cupro in fluxu. Hac ratione unius horæ spatio separantur aurum, argentum & cuprum, & quidem singula seorsim, quod aliàs vix unius diei spatio fieri potest: Hoc reverâ secretum separationis excellentissimum.

PARAG. XXIX.

Separatio argenti in majori copiâ, è quovis plumbo, quam cupellarum probâ.

Lectis his verbis sine dubio exorta disputatio inter Chymicos & separatores, de hujus rei possibilitate; quibus responsum est in parte 4. fornacum nostrarum, ubi etiam agitur de probatione Metallorum, ubi demonstratum cupellarum probam non esse sufficientem ad omnimodam argenti separationem à plumbo, ad quam lectorem relegatum volo. Quod autem in quovis plumbo continentur magna quantitas argenti, testis sum ego qui multoties feci periculum hujus separationis. Sanctéque protestor curam omnibus Chymicis

micis probis, Saturnum non esse nisi argentum impurum & immaturum; qui igitur illud purgare & maturare noverit, sine dubio singulare quid habebit. Ego quidem multa tentavi, visa possibilitate, sed ad finem pervenire non potui optatum, quia nondum habere potui congrua vasa, retinentia Saturnum cum sapone suo, tempore illi labori destinato: id quod minoribus, crucibulis nimirum, etiamnum præstare possum collocando unum in altero, ita ut materia penetrans primum retineatur à secundo vel tertio, sed non cum commodo. Tempus igitur misericordiarum exspectandum, donec Deus aliquandò monstraverit materiam, è quâ talia conficiantur vasa, quæ alterum senis Saturni crus, quo evadere solet, decurtare (abbreviare) possint, ut præter voluntatem tempus debitum maturationis & purificationis commoretur.

Parag. XXX.

Eliquatio auri boni è quovis ferro vetere, quod etsi non fiat cum ingente lucro, sufficit tamen iis qui paucis contenti sunt.

FErrum naturæ particeps aureæ non solùm testantur Philosophi, sed etiam mineralium fossores tam veteres quàm moderni: Non autem dixerim omne esse unius ejusdemque bonitatis ferrum, quia semper unum altero purius magisque aureum, quare magna ferri differentia. Nonnunquam adeò auro dives, ut in effossâ minerâ quandoque (an-

tequam eliquatur ferrum) reperiantur granula, venulæ vel lapilli auri puri puti, teste Johanne Matthesio in suâ Sareptâ unà cum Philosophis, dicente se in diversis lapidibus (ferri mineris) allatis è mineris montis, qui dicitur *Fichtelberg*, nec-non è mineris, Stiriæ, vidisse aurum purum putum instar venularum. Paracelsus etiam maximoperè deprædicat ferri mineras Stiriæ & Carinthiæ, earumque divitias, & quidem sine dubio non propter ferrum & chalybem, sed propter occultum in iis aurum copiosum, fossoribus incognitum. Econtra ferrum Suecicum, nec-non Germanicum nonnunquam auro destitutum, id quod sæpius probavi. Quarè indagaturus, circumspectus esto sive cautus in electione ferri.

Fit autem hæc eliquatio cum Antimonio, quod etiam plerumque secum habet aurum (unum tamen altero plus minus) Hungaricum & Transylvanicum nec-non Cranachicum sunt optima; cætera verò parum possident. Potest autem eliquari aurum, quantumvis modicum in ferro & Antimonio, sed non cum tanto lucro, ac si major ejus quantitas ineslet iis. At interrogas re ità sese habente, quare non separatur ex iis à fossoribus? R. Fossores ignorant hanc separationem, ex usu & consuetudine saltem laborantes ceu mercenarii absque ullâ aliquâ consideratione. Ingeniosissimus ille Lazarus Ercker ipsemet etiam confitetur, ferri sæpè mineram multum possidere argenti, quod ignoranter à fossoribus malleo subjicitur; qui etiam argenti docet è ferro separationem, sed auri nullam facit mentionem: quam fortè ignoravit. *nemo* enim *omni-*

scius

ſcius eſſe poteſt. Qui (foſſores) etſi ſcirent aurum ineſſe prædictis mineris, quæritur utrum ibi locorum detur commoditas ſeparandi illud cũ lucro & commodo. Facilè autem crediderim, ſi iis innoteſceret auri ſeparatio ab Antimonio, eos illam non intermiſſuros, ſed potiùs aurum ſeparaturos, quàm in Antimonio relictum pro vili pretio vendituros. Non ignorant quidem aurum latere in Antimonio, nec etiam ejus ſeparationem, ſed cum damno. Quid quæſo lucri ex ſeparatione auri pretium ſuperante? Quarè potius aurum cum Antimonio vendunt quàm ſeparant. Ignorant enim foſſores ſeparationem illam antimonialem, per quam non ſolùm conſervatur aurum ſed ipſum etiam Antimonium; & ſeparaturi illud, facturi cum copiosa plumbi additione, beneficio cupellationis eſſent, & quidem cum jacturâ & plumbi & antimonii. Hâc autem ratione non peragitur hæc noſtra ſeparatio, ſed aurum ſeparatur è ferro & antimonio colliquaquatis, abſque additione alicujus rei peregrinæ (corrumpentis ferrum vel antimonium) ita ut factâ auri ſeparatione, ferrum denuò & antimonium uſurpari poſſint, ita ut nihil pereat, niſi quod evaporat in ſeparatione, vel involuntariè projicitur. Atq; hac & non aliâ aurum ſeparatur à ferro & antimonio cũ fructu. Non autẽ ſolùm hæc ſeparatio verſatur circa ferrum & antimonium auro prædita, ſed etiam circa alia; utpotè ad ſeparandum aurum è nonnullis marcaſitis, lapide calaminari, aliiſque feris & contumacibus mineralibus, in quibus deliteſcit admodum ſpirituale & rarum, ac proin indè cum commodo inſeparabile vulgaris ſeparationis beneficio,

& quidem cum magno lucro, absque jactura antimonii. Dum nimirum ejusmodi mineralia colliquantur cum antimonio (etsi auro carente) & aurum inde per ♂ præcipitatur in regulum unius lib. ponderis profectum è 100. minera & antimonii, continentem in se omne aurum, mineræ, ferri & antimonii, qui posteà regulus facilè ulterius elaboratur omnimodæ auri separationis gratiâ absque magnis sumptibus; ubi etiam conservatur antimonium, quod denuò ad alia usurpari potest. Est igitur hæc separatio secretum utilissimum, etsi nusquam reperirentur ferrum & antimonium aurum tenentia, ad separandum aurum nimirum è mineralibus aliis contumacibus, ubi aurum absque ullâ aliqua jactura redigitur in angustiam sive regulum, qui porrò ulterius elaborari potest facilimè, ubi non opus est totum antimonium cum minera aliqua colliquatum cum plumbo coquere & perdere & quidem potius cum damno, quàm cum lucro; quia in hac operatione non solùm elicitur aurum, sed etiam conservatur antimonium.

Quam separationis viam submittam censuræ omnium Chymicorum & separatorum honestorum & peritorum certis quibusdam de causis; non dubitans de approbatione singulorum & omnium, veritati non contradicentium. Præterea est etiam alia separatio auri è ferro & antimonio, quæ non fit in crucibulis; ubi illa prius una figuntur, postea igne carbonum fortissimo immediatè reducuntur, ad obtinendum tenorem ferri & antimonii.

PA-

Parag. XXXI.

Item Separatio auri & argenti è quovis ſtanno & cupro, ſecundùm plus minus.

HÆc aliter peragitur ſeparatio, non cum antimonio, ſed cum plumbo; dum nimirum anteà ſpirituali modo miſcentur cum ipſo ſtannum & cuprum, ſine quâ ſpirituali mixtione, corporalis metallorum mixtio nihil valet. Omnis enim Metallorum peritus non ignorat, ſtannum cum plumbo fuſum via vulgari, radicaliter non miſceri cum ipſo, ſine qua radicali unione metallorum, mutuò perfici illa & meliorari nequeunt. Errant igitur quotquot conantur aurum ſeparare & argentum è ſtanno, cupro, aliiſque metallis imperfectis, vi liquefactionis vulgaris; qui incognita Philoſophica illa unione ſive conjunctione, tempeſtivè abſtineant ab ejuſmodi laboribus inanibus & inutilibus, id quod ipſis ſuadeo fideliter, expertus rei veritatem cum jactura temporis & ſumptuum. Quænam verò ſit mixtio illa ſpiritualis, quæ fieri poteſt aquarum beneficio tam humidarum quàm ſiccarum, indicabit tibi Philoſophus ille & Chymicus præſtantiſſimus Theophraſtus Paracelſus, qui valdè illam celebrat, multaque de ea ſcripſit.

Hoc tamen hic cum primis monere volui, quod nimirum ad hanc radicalem metallorum imperfectorum mixtionem etiam requiratur aurum, cujus beneficio fit ſeparatio puri ab impuro, in metallis impurioribus & imperfectioribus. Poteſtque hæc

comparari cum illâ Divinâ, ubi Christo præsente separabuntur boni à malis (corruptis primò illorum corporibus) attrahente Deo *puros corde*, impuros verè rejiciente. Quod etiam in hâc metallorum imperfectorum separatione fieri oportet; oportet nimirum ut primo deponant corpora sua impura, ut corrumpantur, & clarificentur; tunc enim sese radicaliter associat illis aurum, facitque separationem attrahens sibi simile, rejicienſque dissimile. Sicuti enim omnis homo habet *animam*, quæ *scintilla divina*, inquinata verò peccato, sulphure infernali, dolo & fraude Sathanæ; ita etiam metalla in centro suo aliquid possident incorruptibile, quod verò adeò circundatum sulphure impuro terrestri, ut non possit emendari (meo quidem judicio) nisi corrumpantur & in nihilum redigantur, è quo nihilo aurum postea attrahit bonam illam scintillam & in bonam convertit substantiam; quod ante ablationem puritatis accidentalis sulphureæ nigræ fieri non potuisset: quemadmodum etiam nos quoque prius cum Deo esse non possumus, quàm purificentur corda nostra à vetere illo fermento (nobis ab Adamo relicto) Christumque induamus & pueruli similes reddamur. Quę sanè dura verba, cum quibus natura convenit hic locorum fidem nobis inculcans, à paucis observata. Et quemadmodum de Auro dictum, ita etiam de Argento intelligendum; quod mixtum metallis corruptis attrahit sibi simile tanquam sui nutrimentum; ad instar diversorum seminum in terrâ, quorum unum quod-

quodque attrahit suum simile, relictâ superfluitate. Ex. gr. si quis in terram projiceret semina fœniculi, cumini & ceparum, fœniculi semen è terrâ saltem attracturum esset sibi appropriatum ad productionem fœniculi cum foliis, caulibus & seminibus: Idem etiam intelligendum de semine ceparum &c. Hoc etiam accidit in regno minerali metallico, dum perfecta seminantur in imperfecta, ubi putrescunt, suumque pro incremento attahunt simile. Non autem dixerim hâc similitudine, aurum & argentum esse *catholicum Metallorum semen*, aurum enim solummodo est habitaculum seminis illius metallici, minimeque totâ suâ substantiâ semen. Est autem hæc similitudo propterea introducta, ut appareat, quomodò nimirum sese mutuò amplectantur similia spiritualisata, & retineant. Sed nolim tibi persuadeas, Metalla in aquis corrosivis esse solvenda & per alembicum destillanda; qui labor Chymicorum vulgarium, metallis noxius est, ac proin sterilis, fraudulentus & sophisticus; quo multi viri etiam doctissimi fuerunt decepti, cogitantes hâc ratione conficere Tincturam, contra naturæ cursum; quare nullus inde unquam produci potuit fructus aliquis bonus. Nec unquam spes alicujus commodi artifici viæ huic ineptissimæ insistenti, donec ab hâc declinat ad viam veram & rectam, permanenti aliàs in sua cæcitate, ab aliis cæcis turpiter decepto.

Oportet autem ut Chymicè spiritualisentur Metalla absque aquis corrosivis, & absque instrumentis

tis variis artificialibus, beneficio humidi radicalis proprii, absque multis sumptibus & laboribus: Totum enim illud negotium (metallorum nimirum purificatio, vivificatio & spiritualisatio, quæ fit solutione, putrefactione, destillatione & circulatione (Philosophicâ nimirum) perfici potest per peritum Spagyrum absque vitris unius horæ spatio; ita ut non opus sit illa tot mensium spatio aquis corrosivis humidum radicale destruentibus vexare & macerare. Atque hæc intelligenda de via humida Philosophica separationis particularis. Qui verò aurum aliudve subjectum aureum immergere sciret substantiæ alicui purissimæ, penetrantissimæ, fixæ & fusili, quæ ingressum haberet in alia metalla fusa, & radicaliter misceretur cum partibus ejus purioribus, ille sine dubio transmutationem venturus esset particularem celerrimam, vel separationem puri ab impuro, cum manuductone legitimâ & verâ ad opus illud universale, quo multi hactenus frustra intricati.

PARAG. XXXII.

Maturatio minerarum, ut plus auri & argenti dare possint in fusione.

HOc de mineralium metallorumque maturatione est unum è præstantissimis meis Secretis de emendatione metallorum. Sæpe enim conatus metalla & mineralia, via quadam secreta fixare, & reperi quod possint aliqua ex parte maturari, ita ut relinquerent in cupella aurum & argentum, quod

quod antea non poterant relinquere, priusquam nimirum maturabantur. Nunquam autem expertus veritatem in quantitate majore librarum nimirum multarum; & quæ sit hujus rei causa, videre licet in principio harum annotationum, superfluum igitur eam hic repetere.

Sed hoc adhuc dicere oportet, hanc nimirum fixationem esse nimirum quodammodo sumptuosam, quæ propterea non benè ubivis terrarum perpetrari potest cum lucro (etsi possit in magna quantitate, quod tamen ignoro) fit enim illa fixatio beneficio alicujus aquæ, qua etiam utitur natura in terra (quam non ubivis habere licet, ubi non bona terra) aqua si commodum expectandum, oportet ut mineralia factâ fixatione, copiosum dent aurum & argentum; aliàs verò frustrà & in cassum laboramus. Sæpe feci probas juxta pondus centenarii minoris mineralium immaturarum sive semimetallorum, & reperi in 100. lib. cobolti, marcam 1½. argenti puri, & in Wismutho unicas 2. 3. 5. auri. Lapis quoque calaminatis & Zinckum (debito loco effossa) suum dederunt aurum satis abundanter. Sed plerumque facta computatione pretii mineralis figendi, nec non materiæ fixantis, factaque abstractione hujus pretii à pretio auri & argenti inde producti, reperi lucrum verè exiguum & quandoque ferè nullum; ita ut hactenus reliquerim opus, donec aliquando aquam fixantem minori pretio comparare, vel mineralia longiore tempore maturare potuero ma-

joris auri & argenti copiæ gratia, id quod docebit experientia.

Etsi nunquam pervenero ad perfectionem hujus maturitatis fructiferam, non tamen spernendam volo, utpotè utilissimam in aliis laboribus Chymicis, meque certificantem in concepta opinione de Metallis per naturam perficiendis, mineralibusque & imperfectis metallis (nihilo obstante) maturandis tam per artem, quàm per naturam in visceribus terræ, & convertendis in aurum; de qua re fusius in lib. de generatione metallorum.

PARAG. XXXIII.

Separatio auri & argenti ex Arsenico, auripigmento & antimonio.

HÆc mineralia volatilia communiter secum habent, aurum volatile & argentum, cum primis ab auri & argenti mineris profecta, nihil in cupella tamen relinquentia. Qui verò noverit fixare aliquantulum, illisque adjicere metallum, in quo se volatilia illa abscondere possint, ille certò videbit possibilitatem eductionis auri boni & argenti, è mineralibus illis volatilibus & abjectis; non tamen ex omni antimonio, arsenico & auripigmento.

PARAG. XXXIV.

Separatio sulphuris ex tranci Veneris, Cupidinis prolis producendi gratiâ.

Cu-

CUprum (nec non ferrum) natura auro proximum ob affinitatem maximam mutuam, teste experientia.

Verisimile igitur quod ita possit purgari, si modò nobis innotesceret artificium, de quo Paracelsus in lib. suo Vexationum, ita nimirum ut aurum & argentum relinqueret in cupella; id quod fieri nequit ob ignorantiam. Meum secretum respicit cumprimis mineram Veneris repertam præcipuè propè mineras auri, non quamvis nimirum. Aqua si separatur sulphur illud superfluum combustibile, reperitur aurum purum putum; sed hic labor in quantitate majore exerceri nequit, possibilitatem saltem artis demonstrans, divitias verò non promittens; è quo fortè aliquid commodi, si instituitur cum verâ Venere rectè nimirum; id quod non hujus loci, sed aliquandò alibi fusius demonstrabitur. Hoc autem hìc te scire velim, quod mineræ Veneris sulphur superfluum non crematione vel ustione ignis vulgaris sit auferendum, uti moris est apud mineralium tractatores sed igne aliquo secreto spiritualisetur, quò corpus proprium exaltare & emendare possit, ut aureæ fiat particeps naturæ. Mineræ enim tales cupreæ vulgari modo fusæ & purgatæ, non aurum, sed argentum dant solummodò; undè apparet non nisi igne illo secreto lotionis & gradationis illas adipisci perfectionem. Periti enim Chymici præter ignem illum vulgarem habent & alium, cujus beneficio probantur & funduntur metalla; sine cujus cognitione metalla rectè tractari nequeunt.

Ex.

Ex.gr. In fusione & tostione minerarum vulgari quæ igne fit vulgari, ignis illius vi abigitur pars metalli volatilis, quæ ejus spiritus & vita vegetabilis, relictâ parte fixiore & crassiore: At si solummodò igne quodam peculiari separantur partes impuriores, relicto spiritu gradatorio cum corpore, reperitur corpus melius & præstantius illo, quod eliquatur igne illo violento communi. In igne ceu elemento fortissimo latent maxima Secreta, de quibus nihil constat Philosophis illis & Chymicis vulgaribus. In Scoriis rejectis, expertis vim ignis majorem, latet aliquid perfecti; quod inde elicitur, si denuò funduntur modo nimirum aliquo peculiari; quæ emendatio non nisi à vulgari focali proficiscitur igne. Hæc verò cupri emendatio proficiscitur ab igne aliquo lavante, purificante & exaltante. Sæpius probavi cupri mineram igne utroque, semperque expertus non nisi argentem inde, igne illo vulgari eliquari, tam antè quàm post fixationem nimirum, & non aurum, igne verò secreto non nisi aurum & non argentum. Sicuti etiam stannum vulgari ratione probatum non nisi dat argentum; redactum verò in Cineres vel Scorias non argentum sed aurum dat, utpotè expertum majorem vim ignis. Igni igitur hoc adscribendum, diversa operanti pro diversitate regiminis. Quarè ignium differentia cognoscenda, alius enim metalla destruit, alius digerit & maturat metalla; alius mundificat & lavat; alius denique penetrat, calefacit, exaltat & transmutat metalla in speciem meliorem

em; ita ut rectè dicatur: *In Sole & Sale sunt omnia.*

Præter prædictos calidos & siccos reperiuntur gnes frigidi & humidi, nullam cum illis affinitatem habentes, quorum beneficio in terræ viscebus natura, & extra terram artifex metalla detruit & regenerat; de quibus plus apud Philosohos; & ego plus dicere possem, si esset opus. At uid? mentio facta Secretorum incognitorum, nvidiam parit. E panno vetusto vestem novã conicere nolo, quia sunt alii, qui nihilnisi lectarisciunt & audita, novorum librorum authores. Me igitur uod attinet, malo silere quàm publicare Secreta, el scripta scribere sive repetere. Perinde enim st nunc scribere Secreta & trita hoc nimirum sculo. Quarè satius esse duxi aliis dare ansam ad inlaganda secreta, quàm illa indifferenter communicare singulis & publicare. Sufficiant igitur dicta de differentiâ ignium calidorum & frigidorum, quorum beneficio metalla tam intrà quàm extrà terram generantur & destruuntur. De quibus fusius tractare decrevi in lib. de Origine illorum, ubi quæ hic desiderantur non omittentur.

Parag. XXXV.

Separatio argenti à testis, quod in probatione illas intravit, sine liquefactione sineque laboribus & sumptibus.

Est hoc pro iis, qui commoditate carent testas suas liquefacere, argenti separationis gratiâ, quod

quod una cum plumbo illas intravit in examine: Estque Secretum facillimum, multis constans sumptibus & laboribus.

PARAG. XXXVI.

Præparatio sive confectio vasorum terreorum elegantissimorum Porcellanis similium non sumptuosa, spiritus retinentium, igni resistentium, ubivis terrarum locorum.

VIx carere possumus talibus fictilibus tam in œconomiâ, quàm in laboratorio Chymico & officinis pharmacopœorũ; quarè rectè illorum fit mentio. Pro œconomia confici possunt patinæ, disci, pocula, canthari &c. Pro laboratio verò alembici, cucurbitæ, retortæ, scutellæ, aliaque necessaria. Pro officinis autem pharmacopœorum, ollæ majores & minores pro syrupis, conservis, electuariis, & pro aquis herbarum in vitrorum defectu. Et merito vasa talia præferuntur vitreis, quia non ita facilè franguntur, retinentque quasvis humiditates subtilissimas & accerrimas. Præferuntur etiam merito patinis & discis stanneis, quia continuò tam hyeme quàm æstate suam retinent munditiem; faciliusque mundificantur aquæ ablutione.

PA-

Parag. XXXVII.

Confectio aluminis quosvis colores exaltantis & fixantis: cum primis requisiti ad colorem coccinum aliosque pretiosos. Nec non præparatio aheni non sumptuosa, colores non alterantis.

HOc alumen venale non est, quia per artem conficitur è certis quibusdam mineralibus, hâc virtute præditum, ut possit fixare colores & exaltare cujuscunque generis, ne à sole, aëre, aqua, aliàs colores alterantibus, nullam patiantur injuriam, ad quod negotium requiritur etiam peculiare quod ahenum.

Sciunt enim tinctores coloris coccinii, grana coccina colorem omnium præstantissimum & pretiosissimum alterari in ahenis cupreis, quarè stanno olent obducere, vel ex mero conficere stanno. Hoc verò alumen nostrum, nostrumque ahenum ongè præferenda illis vulgaribus, quantumvis iliori habeantur pretio; quare hæc non contemnenda scientia; quia multum inde lucri ad possesorem redire potest.

Parag. XXXVIII.

Præparatio quædam peculiaris colorum pictoriorum m sumptuosa, utpotè purpurei, ultramarini, cinabrii c. cumprimis verò albedinis alicujus elegantissimæ,

nun-

nunquam hactenus visæ, similimæ perlis elegantissimis: nec non aureis argenteisque coloris.

Prædicti colores hactenus neque communes, neque in copia cum aliquo fructu confici potuerunt, sicuti nunc &c. Servientibus igitur illis arti pictoriæ, quâ memoriæ causâ depinguntur historiæ tam sacræ quàm profanæ, non malè fit dum docentur illi; quia illis ægrè carere possumus: Et quamvis vilissima appareat, utilissima tamen scientia; quoniam tales colores in magnâ consumuntur copia in locis multis, unde ac possessorem lucrum redire non exiguum potest.

CONCLUSIO.

NEmo dubitet de veritate dictorum in hisce Annotationibus. Natura enim & Ars possunt multa, nostra verò scientia exigua est, in vegetabilibus nimirum, & ferè prorsus nulla in metallicis; atque hæc ratio est, quod ignaris res nunquam visæ & auditæ, incredibiles & monstrosæ appareant. Quare testor atque iterum testor hæc non somnia esse nec nugas scripta mea, sed Secreta naturalia vera. Natura enim dives est, terraque gravida thesauris occultis; id quod à paucis creditur. Nec autem solum intrinsecè, sed etiam extrinsecè in circumferentia in abundantia, terra reperibiles thesauri, quantumvis ignoremus illorum quærendi modum. Nihil dicam nunc de argilla, arena & lapidibus, nec de vilioribus abjectisque

ctisque mineralibus, è quibus aurum & argentum separari potest, ubivis locorum facile sine sumptu reperibilibus. Præterea ubivis etiam locorum, ubi olim ante aliquot secula, eliquata fuerunt metalla, & etiamnum eliquantur, ingentes montes scoriarum; è quibus secundùm artem, aurum & argentum (in ijs relictum) eliquari potest. Videtur ac si Deus nobis immorigeris suis filijs, divina sua providentiâ, in Europa, cumprimis verò in Germania (castigatis, & privatis pompâ, per nationes peregrinas ob impietatem vitæ) aliquid in nostri commodum reservaverit, quod olim ipsimet non in pace, nec nunc tempore belli nostri inimici usurpare potuerunt. Sicuti nos quoque per naturam corrupti providentia utimur filiorum nostrorum gratia inobedientium, patrimonium, honeste acquisitum male perdentium; reponentes pecuniam ad certum tempus necessitatis nimirum extremæ, ne prorsus in infamiam desperent parentum, sed resipiscant & ad meliorem frugem redeant & deprecentur.

Quidni etiam Deus ille altissimus & sapientissimus, Pater noster misericors, videns nostram pœnitentiam, reservato Thesauro nos provocaret ad debitam gratitudinem & obedientiam? Deus nihil facit frustra, non ignorans, quid faciendum sibi, & quid nobis prosit; qui sine dubio videns filialem nostrum obedientiam, provisurus nobis benedictione suâ divinâ tam temporali quàm æternâ.

Et quidem videtur ac si hâc ratione integræ Provinciæ iterum emergere possent; postquam

enim, nonnulli sibi comparârunt divitias, alios etiam isti adjuvare possunt vel commodando, vel pro mercede labores illis vel negotia imponendo. Nemo autem miretur, quod dixerim, delitescere aliquid boni in scorijs abjectis; dicens, si aliquid boni in ijs, utique eliquatum fuisset à majoribus nostris? &c. Posito quod tum temporis nihil amplius ignis violentiâ elici potuisset, sed non sequitur propterea quod nec etiamnum aliquid eliquari possit boni. Primò enim non latet fusores, tam priscos quàm hodiernos, scorias sæpe abjectas, relictas aliquot annorum spatio in aëre, iterum fuisse imprægnatas ob vim magneticam, dedisse postea plus metalli, meliusque quàm antea (de qua re videant ignari libros tractantes de fossilibus.) Non a.in hac eliquatione usurpatur artificium aliquod singulare, sed modus ille communissimus ubivis locorum usitatus

Secundò potest etiam è quorundam metallorum scorijs (sive imprægnatis ab Elementis, sive non) viâ quadam secreta, elici & eliquari aurum & argentum, cùm tamen in illis antea nullum reperiretur. At quæris quomodò fieri possit ut in prima fusione producantur solummodo imperfecta, in liquefactione verò repetita, scoriarum nimirum, producatur aurum & argentum? Cui: Cuncta metalla imperfecta continent in se aliquid perfecti, quod cupellarum probâ elici nequit; nisi ijs destructis & conversis in scorian (de qua re etiam alibi) imperfecta enim metalli multum continent sulphuris combustibilis, non permittentis sufficientem illorum purificationem in cu

in cupellarum examine, sed facientis simul boni combustionem & conversionem in lithargyrium, substantiam capellarum intrans : metallum verò reliquum, quod igne illo vehementissimo fusionis primæ eliquari non potuit, combustione conversum in scorias, majorem ignis sustinuit violentiam, quàm quod prima vice fuit eliquatum, quare magis purificatum, auroque & argento proximius quàm metallum ipsum à quo fuit separatum. Qui igitur ejusmodi scorias, in quibus sæpe multum relictum, cumprimis verò stanni scorias liquefacere noverit denuo cum additione congrua, ille sine dubio meliora reperturus metalla, metallis illis nimirum prima vice eliquatis à mineralium fossoribus. Non autem affirmaverim, tantam inesse vim igni focali purificandi metalla viliora, & perficiendi.

Ignis quidem magna potentia in purificandis & maturandis metallis, sed nimis est violentus pro volatilibus. Sine dubio sunt etiam alia quæ ignem adjuvare possunt, quibus cognitis facile magna perpetrare possumus. Et quia dictum in præcedentibus paragraphis, nonnulla occultum in se aurum & argentum de se dare non posse metalla, nisi prius destruantur & in scorias redigantur, non opus est ipsa metalla (suis usibus destinata) destruere auri lucri gratia, cùm reperiantur in magnâ copia destructa & in scorias conversa, è quibus aurum & argentum elicere licet pro sustentatione vitæ humanæ. Cumprimis autem commendantur nonnullæ scoriæ stanni à certa ejus minera profectæ ob auri copiam, teste experientia

propria, & id quidem non sine causa; & quanquam omne stannum naturæ sit aureæ, illud tamen (quod dicitur Germanice *Saiffen Zinn*, à sapone) dupliciter est aureum; primò quidem propter aurum à natura sibi traditum, secundò propter aurum accidentale, ubi etiam communiter reperiuntur granula aurea, quæ dum stanni lavatur minera, quia ablutionis beneficio separari nequeunt, miscentur stanno infusione, quod sæpe non latet mineralium tractatores, latet autem eos separationis modus. Sæpe reperitur stannum, cujus centenarius venditur pretio 20. vel 24. Imperialium, quod majoris in sese pretij continet aurum. Quid igitur hic consilij, si absque damno separari nequit? Per Saturnum enim via vulgari separatum omne habere nequit, quia major pars abit in scorias. Et posito quod non converteretur in scorias, sumptus expendendi tamen in stanni separationem per plumbum, auri contenti pretium excessuri essent. Data igitur hac informatione nullus dubitabo, quin aliqui aliquando hoc inventuri secretum; quibus etiam pro virili assistam meo consilio.

Et quæ dicta de scorijs stanni, intelligenda quoque de cæterorum imperfectorum metallorum scorijs; non tamen ita ac si omnes absque discrimine multum possiderent auri: & quidem Martis Scoriæ, quæ maximam ignis vim sustinuerunt, conversæ in vitrum viride vel cœruleum, (è quo nonnulli aurum extraxêre cum aq. reg. communi, sed sine lucro, sumptus enim expensi excesserunt pretium auri educti) præferendæ cæteris minorem

rem vim expertis. Cæterùm sunt qui affirment veram confici posse tincturam ex ejusmodi scoriis, imperfecta metalla transmutantem in aurum; id quod in suo relinquo pretio inexpertus, agens solummodò de iis (rebus) quas me docuit experientia, testimonium perhibens de Thesauro latente in ferro; quem non ab illo impetrare per antimonii separationem, de quâ suprà, licet adeò facilè, nec aliis viis sive mediis, exspectante sese fortiorem, victorem nimirum auferentem spolium illius: nemo enim qui non aliquandò se fortiorem reperiat, messurum illi sicuti is messus fuit aliis. Senex ille ♄ adspectu vilissimus, supremus est in firmamento, qui multa potest in Metallicis, sine quo nihil, quod sit alicujus momenti præstare possumus; quarè meritò præ cæteris honorandus. Cæterùm non modò circa scorias metallorum abjectas talis separatio institui potest, sed etiam circa ipsa metalla, si modo viliori pretio, quemadmodum nunc tempore belli, comparari possunt; ubi spatio 30. annorum tanta copia ☿ & ♃ aliundè in civitates majores transportata, vilissimoq; pretio vendita, ità ut palam iterum inde ad alia loca per naves transportari oportuerit. Quod si quis tunc sciviſſet hanc separationem, nonne divitias ingentes acquirere potuisset inde æquè ac ex minerarum culturâ, & simul ac reservare metalla, sive in separatione illa reservata Metalla suis iterum usibus dedicare Ecclesiasticis nimirum, & bellicis, pro campanis nimirum & tormentis bellicis comparandis? quâ ratione maxima pars in propriâ patria retineri potuisset, quæ

aliàs

aliàs cum maximo damno, ex inopia metallicarum rerum peritorum, in peregrinas Provincias ablata. Sed non mirum quod adeò parum nunc præstetur in Alchimiâ, cum plerique Chymicorum nullam habeant Metallorum cognitionem; quâ deficiente, deficit etiam Chymicus, sive doctus, sive sit indoctus; *hæc* enim *cognitio non habetur in Academiis*, consistens in profundâ speculatione, & assiduâ exercitatione. Olim apud Chaldæos, Persas, Arabes & Ægyptios artes plus honorabantur, quàm nunc apud Christianos, eligentes magistratum è Sapientibus, quorum reges filios suos in Philosophiâ educabant. Chymia cumprimis erat celebris apud Ægyptios, per quam opes & divitias maximas impetrabant; ità ut Diocletianus Imperator eos antè superare nequiverit, quàm omnes illorum libros combusserit. Quo tempore in magno artes habebantur pretio; sicuti apparet ex salario annuo Alexandri Magni, quod dedit Aristoteli, coronatis nimirum 400 & 80000, & ex 3000 sociis, quos ipsi adjunxit naturæ perscrutandæ gratiâ. Nunc verò honorantur Thrasones, Sycophantæ & Moriones neglectis sapientibus, undè hæc præsens miseria tot regionum & civitatum, &c. In summâ artes & scientiæ nunc tam sunt raræ, quàm est nix in regionibus calidioribus in æstate mediâ. Honestam enim non permittit superbia informationem sive eruditionem, non nisi opes quærens & divitias; quas si quis habet, honoratur absque respectu dignitatis & virtutis. Sunt nonnulli persuasi sibi, aliquid decedere honori suo, si filios educarent in hone-

honestis artibus, contenti patrimonio pro statu conservatione: Sæpè autem apparet, quomodo sufficiat patrimonium, ablatis divitiis & opibus, per fas & nefas acquisitis, infortunio aliquo terræ marique approximante: tunc enim tanquam butyrum ad solé consistunt, ubi amissis divitiis nihil restat, quo vita sustentari possit, qui propterea non in exiguo versantur periculo. Utinam aliquando tempus acceleraret, ubi vitiorum loco virtutes colerentur, & liberi educarentur in bonis artibus! tunc enim non tot in mundo grassaturæ calamitates, nec tot spolia & homicidia, sed in pace victuri homines & in sudore vultus panem acquituri essent sine ullo proximi damno. Atque sic audivisti de restantibus mediis honestis facientibus ad familiæ sustentationem honestam, absque nimirum usurâ & fraude, Martisque violentiâ. Fraude siquidem & dolo, bello que acquisitæ, utpote contra Scripturam & proximi charitatem, male communiter dilabuntur. Melius igitur est unicuique relinquere suum, & in sudore vultus juxta voluntatem divinam acquirere vitæ suæ sustentationem, id quod rectè commodéque fieri poterit viâ à me nunc demonstratâ. Etsi hactenus ad me ipsum ex hisce secretissimis scientiis nihil lucri redierit certis quibusdam de causis, neque (Deo sic volente) ulla unquam spes fururi commodi reliqua esset, contentus tamen sum naturæ cognitione. Interim spero me aliquandò divinâ favente gratiâ patriam exoptatissimam revisurum, ubi in pace laborare & œconomiam honestè sustentare potuero: Et tunc quidem audacius aliquid amplius edere & publicare potero. Decrevi enim scribere *librum qualis nunquam fuit visus*, multis mortalibus utilissimum ad vitæ sustentationem. Sicuti enim fœmina gravida nihil magis in votis habet, quàm ab onere liberari; Sic etiam ego, ut tanquam instrumentum divinum proximum meum adjuvare possim Talento mihi concredito. Nullâ autem re magis destitutus sum quàm tempore. Quilibet enim vir sapiens facilè conjecturare poterit, quantos exantlaverim labores (nihil dicam de sumptibus) hic locorum ubi omnia carissima, in rimandis naturæ penetralibus solummodò, postpositis laboribus majoribus. Dicam propterea in rerum veritate; *Alis inserviendo ipse consumor*. Etsi

avaritiæ

avaritiæ deditus unicum solummodò, jam dudum mihi cognitum, exercere voluissem Secretum, maximas divitias acquirere potuissem: id quod nolui. genius enim meus non permisit exercere perfectè inventa, ceu artificium mechanicum, instar asini hinc inde quotidiè tot deportantis saccos; sed voluit ut invento uno invenirem aliud & quidem ex alio jam invento Secreto, semper enim unum alteri aperiebat januam. Id quod hactenus indesinenter factitavi absque ullâ considerationè sumptuum & laborum in commodum proximi; nec cessabo (Deo permittente) donec ad optatam pervenero viam. Interea decrevi inservire proximo inventis & probatis; sperans bonos in partem bonam versuros studium meum, non curans cavillatorum contumelias consuetas (à quibus nihil lucri) prodituros tandem aliquando maximam suam asininam ignorantiam.

Concludam igitur & remittam lectorem benevolum, ad libros meos reliquos, tractaturos hisce planius de rebus secretis, quos brevi in lucem dare decrevi. Vale igitur lector & recommendatus esto Deo patri luminum.

AD OSOREM.

Qui squis es, Zoile, hoc animadvertito. Incognita despicere noli: Non enim in terris, qui cunctis placere potest. Esto igitur cautus in actionibus tuis. Noli sine judicio judicare, ne ipse aliquando judiceris: Veritas enim permanebit, osoribus veritatis perditis. Etsi tibi sint socii iniquitatis, non tamen permanebis nec evades pœnam. Quarè tangere noli innocentem, nihil nisi tuum quærentem commodum; viam tibi demonstrantem, opes & honores acquirendi rectam. Si quid habes melius, dato; nemo est qui prohibeat: Sin minus, fræna linguam, & carpere noli artibus divinâ favente gratiâ illustrem. Secus vindictam non effugies imminentem, à qua à condito mundo immunes non fuêre Zoili: atque hæc tibi admonitionis gratiâ candidè dicta sunto.

FINIS.